COMPENDIUM

Theologiae Dogmaticae

SPECIALIS

CONCINNATUM

AB

IEREMIA DALPONTE

S. THEOLOGIAE DOCTORE

ET IN SEMINARIO TRIDENTINO THEOL. DOGM. PROFESSORE

TRIDENTI

TYP. ED. « ARTIGIANELLI » INSTITUTI FILIORUM MARIAE

1890.

Quum ex relatione ab ecclesiastico Censore Nobis facta compertum habeamus opus, cui titulus *Compendium Theologiae Dogmaticae specialis concinnatum ab Jeremia Dalponte S. Theologiae Doctore eiusdemque in Seminario Tridentino Professore*, scholasticis praelectionibus valde accomodum esse, ab importuna prolixitate haud secus ac a nimis compendiosa brevitate pariter remotum, nihilque in eo censura dignum contineri, immo et doctrinas quae in scholis catholicis maiori suffragio tenentur fideliter dilucideque proponi, Nos libenter permittimus ut opus imprimatur, illudque approbamus et commendamus.

Datum Tridenti 26 Aprilis 1890.

N.º 1106/297 Eccl.

† Eugenius Carolus

EPISCOPUS.

Discipulis.

Quo consilio impulsus, quasque rationes secutus hoc Compendium concinnaverim, paucis proponere necessarium prorsus existimo.

Ac primum id unum mihi fuit in animo, vobis, qui in Theologiam dogmaticam specialem addiscendam incumbitis, auxilio venire. Cum enim studia theologica ea in nostro imperio regantur lege, — de qua non est cur conqueramur cum eam immutare in nostra non sit potestate, — ut, tradita primo anno scholastico ea Dogmaticae parte, quae in demonstranda religionis christianae et catholicae Ecclesiae veritate versatur, quamque Theologiam fundamentalem seu generalem vocant, unius secundi cursus spatio universa theologia dogmatica specialis, quae est nostra provincia, absolvi debeat; unusquisque facile intelliget ejusmodi opus esse textu, qui cum modum non excedat summarii, ita tamen sit comparatus, ut omnia in hac re theologiae candidato scitu necessaria complectatur. His numeris absolutae non videbantur Institutiones theologicae, quae pluribus ab hinc annis in nostro Seminario adhibebantur, cum in iis multa quidem egregie, alia partim prolixe partim obiter pertractentur, nonnulla vero penitus desiderentur: quo fiebat, ut magna cum temporis jactura haud pauca scribendo addenda essent, quae deinde, studiorum curriculo exacto, — quae est omnium manuscripto-

rum conditio et exitus, — plerumque deperduntur et ad cognitiones in scholis comparatas per vitae decursum recolendas vix unquam resumuntur et excutiuntur.

Scio equidem, praeclara alia eaque erudita prostare volumina, quae ad clerum sacra doctrina imbuendum plurimum conferant; attamen, — ut missum faciam aliud aliis vel in rebus communibus concipiendis et declarandis esse ingenium quo exui non possumus, — pleraque saltem non modo singulari studiorum rationi, quam apud nos obtinere supra commemoravi, minus accomodata, sed iis qui studia theologica compendiaria via metiri volunt, prorsus esse impervia; nemo, qui rei theologicae non sit omnino nescius, inficiabitur.

Ceterum ut hac via necessitati huic domesticae aeque ac commodo vestro prospicerem, alia eaque potior me impulit causa, quam, cum tota aliorum potius quam meae vertatur laudi, silentio praetereundam non censeo. Spes mihi affulgebat fore, ut, conflata et ob oculos posita praecipuorum theologorum synopsi, praeclara illa volumina non penitus laterent quos curae animarum negotia, quominus illa evolvant, prohibent, simulque ut cupientibus ex vobis ulterius progredi et penitiores huius disciplinae recessus penetrare, degustatis rivulis, cum mens excitaretur et animus, tum planior pateret aditus et via ad adeundum uberes ipsos fontes copioseque ex illis hauriendum.

Quandoquidem hanc mihi hujus operis constitui rationem, ut veterum scholasticorum, praesertim s. Thomae, atque recentiorum theologorum, eorum potissimum, quos magistros habuisse glorior, non solum inhaererem vestigiis, sed quidquid ex eorum sacrae doctrinae et sanae philosophiae thesauris scopo mihi praestituto opportunum visum est, huc derivare meumque in usum convertere non dubitarem. Ex quo nihil in controversiis pronunciatum in hac opella invenietis, quod e probatis eorum libris depromptum non fuerit, aut doctrinae eorum non sit conforme. Hac ratione praeter utilitatem illam vestram, quam superius dixi, haud parum etiam fidei, securitatis, soliditatis iis, quae disputata sunt, conciliatum iri confido.

Quod vero ad methodum rerumque dispositionem attinet, nihil habui antiquius quam ut, quantum per temporis angustias, quibus obstringimur, licebat, veterum speculationem in veritatibus penitius explicandis cum illa ratione, qua praestant potissimum recentiores, quaeque in veritatibus ex fidei fontibus comprobandis excellit, pro virili parte amico foedere consociarem. Res vero ita disponere curavi, ut, erroribus recensitis praestitutisque notionibus, doctrinam catholicam brevi complecterer propositione, hujus propositionis sensum determinarem et declararem, eam certissimis argumentis confirmarem. Difficultates magnam partem in ipsa thesis explicatione vel argumentorum expositione praeoccupavi: reliquas fere semper scholastica methodo propositas et dilutas invenietis, adiectis quoque et adumbratis quaestionibus, quae in scholis in utramque partem disputari solent. Ceterum haec omnia ipse libri usus vos docebit et lectio.

En vobis quid mihi fuerit saltem in votis; utrum res e sententia cesserit, judicaverint scientiae periti.

Hoc unum omnes, in quorum manus hic liber pervenerit, rogo, ut naevos, defectus et quaecumque in eo minus bene dicta vel apte exposita offendunt, pro benevolentia condonent, et pro sapientia in melius vertant.

Tridenti die festo s. Josephi 1890.

Introductio

1. Duo capita continet haec Introductio, in quorum 1.° de *Theologiae notione,* in 2.° *de dogmate sententiisque theologicis* agitur: illo ad universam theologiam, hoc ad specialem nostram disciplinam praeambula quaedam traduntur. (1)

CAPUT I.

De theologiae notione.

2. Ut clara theologiae universim notio concipiatur, haec distinctis articulis sunt evolvenda: 1°. de theologiae definitione et obiecto; 2.° de habitu theologiae ad philosophiam; 3.° de varia theologiae divisione; 4.° de theologiae praestantia.

---

(1) Solet communiter et 3.um caput inseri de *principiis theologiae,* quod omittendum censuimus. Et sane principii nomine venit « omne id, a quo aliquid procedit, quocumque modo. » S. Thom. p. 1. q. 33. a. 1. Itaque doctrinarum quoque principia non unius sunt generis. Nam 1.° et mens quae cognoscit, 2.° et inter cognitiones quaedam prae ceteris dicuntur principia, 3.° et fontes seu loci, e quibus cognitiones hauriuntur.

Quare etiam in sacra doctrina, primo modo, principium theologiae est *intellectus* humanus, non solo tamen naturali rationis, sed *supernaturali quoque fidei lumine imbutus.* — Altero modo, ipsa fidei dogmata principia theologiae esse constat: multa enim ex singulis ratiocinando deducimus. — Tertio denique modo, tres sunt praecipui loci, et quasi sedes, e quibus theologus, quae tradat, repetere debet: *Scriptura sacra, Traditio divina* et *Ecclesia,* quorum duo priores principia *constitutiva,* tertius principium *directivum* appellari a quibusdam solent, ad quos revocari possunt *Patres, Theologi* et ea, quae vocant subsidia theologiae, cuiusmodi sunt philologia, hermeneutica, archeologia sacra.

ARTICULUS I.

De theologiae definitione et obiecto.

3. *Theologiae* vocabulum varia sumitur significatione. 1.° *Latissime* et quidem ex ipso etymo vocis pro sermone seu doctrina de Deo, aut de quavis divinitate sive vera sive commentitia. — 2.° *Strictissime* praesertim penes Patres graecos ad designandam tractationem de Deo sive secundum naturam sive secundum personas spectato illamque hoc sensu distinguunt ab *oeconomia*, quo nomine doctrinam de Incarnatione totoque Redemptionis opere comprehendunt. Hac pressiori acceptione s. Ioanni et s. Gregorio Nazianzeno nomen *theologi* velut proprium tribui consuevit, quod ille prae ceteris Evangelistis Verbi divinitatem, hic vero prae ceteris Patribus dogma de SS. Trinitate luculentius expresserit et illustraverit. — 3.° Maxime *proprie* sensu qui sequenti exhibetur propositione, quemque cum jam unice attendant theologi, unice et nos distinctius declarandum sumimus.

4. Prop. 1. **Theologia recte definitur: Dei rerumque divinarum ex revelatione comparata scientia.**

Declar. Verbis definitionis: *Dei rerumque divinarum*, theologiae obiectum materiale, quod est Deus, designatur. Agit quidem theologia de aliis multis praeter Deum; attamen ea omnia contemplatur in ordine ad Deum ceu ad supremum principium a quo sunt, et ad ultimum finem ad quem sunt. Atqui in scientia quavis obiectum et subiectum attributionis est illud, ad quod cetera omnia, quae in ea tractantur, ordinem habent et sub cuius ratione considerantur. Obiectum igitur, non quidem unicum et adaequatum, princeps tamen theologiae, est Deus.

5. Dicitur: *ex revelatione comparata*, ut obiectum formale

Jam vero si primo et altero modo sumitur principium, de illo in duobus his Introductionis capitibus agitur, si tertio, qui certe est potior, pro locis nempe theologicis, tunc in his theologia fundamentalis seu generalis tota versatur. Ne igitur actum agamus et brevi repetitione, quae ibi fuse exposita sunt, obscura fiant, ad illam remittimus lectorem.

indicetur, quod et principium cognitionis vocari solet et nihil aliud est quam modus proprius, quo obiectum cognitionis manifestatur et redditur cognoscibile. Iam vero obiectum theologiae fidei cognoscibile redditur lumine revelationis, per quam manifestatur vel immediate in se, vel certe in suis principiis ex quibus deducitur. (1)

6. Dicitur: *scientia*, h. e. non cognitio quaecunque, sed ea quae serie demonstrationum comparatur. Ad scientiam duo requiruntur: 1.° ut veritates non divulsae invicem sed in eo mutuo nexu, quem ex sese praeseferunt et 2.° ut firma cum certitudine cognoscantur. Primum quod attinet, animadvertendum est, inter veritates hierarchiam quamdam esse, secundum quam una ex alia pendet, una ex alia promanat. Veritates, ex quibus aliae pendent, principia dicuntur eo utique superiora et universaliora, quo plures iis veritates reguntur. Principiorum, quatenus non ex aliis prioribus sed ex se ipsis cognoscuntur, *intellectus* dicitur esse a veteribus non proprie scientia; haec enim est cognitio ex causis seu generalius ex principiis, unde scientia est conclusionum.

7. Alterum quod spectat, animadvertendum quoque est, quod, cum totum systema veritatum et conclusionum principiis regatur, certitudo, quae est precipua scientiae dos, tota pendet a certitudine principiorum. Haec igitur certa sint oportet, ne non scientia sed systema opinionum et hypothesium constitutum esse videatur; non tamen requiritur, ut illa principia sint per se intrinsece evidentia (2); sufficit enim si principia aliunde tam obiective quam subiective certa sint; cum evidentia eatenus tantum requiratur, quatenus ad gignendam certitudinem necessaria est.

8. Porro in theologia veritates, ex quibus aliae cognoscuntur,

---

(1) « De divinis duplex scientia habetur; una secundum modum nostrum, quae sensibilium principia accipit ad notificandum divina, et sic de divinis philosophi scientiam tradiderunt, philosophiam primam divinam scientiam dicentes. Alia secundum modum ipsorum divinorum, ut divina ipsa secundum seipsa capiantur; quae quidem perfecta in statu viae est nobis impossibilis, sed fit nobis in statu viae quaedam illius cognitionis partecipatio et assimilatio ad cognitionem divinam, in quantum per fidem nobis infusam inhaeremus ipsi primae veritati propter se ipsam. » S. Thom. in *Boeth. de Trin.* q. 2. a. 2.

(2) Hoc ponitur contra Durandum paucosque veteres, qui Aristotelem secuti ad scientiam evidentiam formalem postulabant, adeoque consequenter theologiam esse scientiam negabant.

saltem ex parte (i. e. sin minus utraque, saltem una propositio ex *praemissis)* assumuntur non lumine rationis intellectae, sed fide creditae (1). Adeoque quod in aliis scientiis est intellectus principiorum et evidentia, in hac nostra est fides; et principia maxime propria theologiae sunt veritates fidei, quae certitudine gaudent infallibili (2).

9. Cum igitur sive demonstratur ex verbo Dei scripto et tradito, *quaenam* veritates et *quomodo* contineantur, atque tamquam contentae quo facilius credantur probabiles redduntur, sive ex his tamquam conclusionibus theologicis aliae deducuntur, mutuusque nexus earum inter se et cum veritatibus rationalibus ostenditur: scientia efficitur, quae *theologia sacra*, vel *supernaturalis*, vel *fidei* vocatur: quamquam etiam velut *κατ' ἐξοχήν*, simpliciter theologia dici solet (3).

10. Porro cum complexus veritatum revelatarum dicatur *fides* (obiectiva); hinc theologia, quae est scientifica illarum demonstratio, explicatio, defensio et confirmatio, merito etiam definitur: *scientia fidei*. Propter eandem rationem a nonnullis denominari solet: scientia *revelationis* vel *religionis*.

---

(1) « Siquidem duplex est scientiarum genus. Quaedam enim sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine naturalis intellectus, sicut arithmetica, geometria et huiusmodi. Quaedam vero sunt, quae procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiae, sicut prospectiva procedit ex principiis notificatis per geometriam, et musica ex principiis per arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina (i. e. theologia) est scientia quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiae, quae scilicet est scientia Dei et beatorum. Unde sicut musicus credit principia tradita sibi ab arithmetico, ita doctrina sacra revelata sibi a Deo. » S. Thom. p. 1. q. 1. a. 2.

Concedendum tamen est, nostram theologiam comparatam cum illa specie altiori Dei et beatorum, esse imperfectam: sicut scientia physici imperfecta est donec ei principia e metaphysica assumpta huius lumine evidentia fiant.

(2) « Aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis, quae potest errare; haec autem (theologia) certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest. » S. Thomas 1. q. 1. a. 5.

(3) Habitum fidei ad theologiam ita describit Kleutgen Inst. Theol. n. 10: « Cum divina revelatio tam fidei quam theologiae obiectum formale esse dicitur; id secundum utriusque habitus naturam intelligi debet. Porro fidei proprium est, propter auctoritatem, theologiae, utpote scientiae, propter demonstrationem assentiri. Ad fidem igitur pertinet, ea, quae tamquam a Deo dicta rite proponuntur, firmo assensu suscipere; ad theologiam tum haec eadem ex verbo Dei, tum ex his alia demonstrare. Unde divinitus revelata fidei obiectum sunt, quatenus propter Dei auctoritatem *creduntur*, theologiae autem, quatenus ex divina revelatione *demonstrantur*. »

ARTICULUS II.

De habitu philosophiae ad theologiam.

11. Prop. 2. **Theologia et philosophia sunt scientiae inter se distinctae, non separatae, multo minus oppositae, sed subordinatae.**

Demonstr. i. p. Distinguuntur: 1.° *obiecto materiali,* quod *a)* in theologia fidei latius patet quam in philosophia, cum praeter veritates naturales, quae revelatione confirmari possunt, ad eas quoque sese extendat, quae sola revelatione innotescunt; et *b)* in theologia *in ordine ad Deum,* primam et ultimam causam pertractatur. (n. 4) — 2.° Proprie, essentialiter, et specifice, *principio cognitionis obiectivo,* quod in philosophia est intrinseca evidentia immediata vel mediata, in theologia sacra *supernaturalis revelatio.* Atqui diversa ratione cognoscibilitatis constituitur diversitas scientiarum, etiamsi circa idem obiectum materiale versentur. Ergo. — 3.° *Principio cognitionis subiectivo,* quod in philosophia est intellectus lumine tantum naturali instructus, in theologia vero fidei est quidem ratio humana, sed instructa et adiuta intrinseco supernaturali lumine fidei. Hoc consequitur et requiritur ex diversa manifestatione extrinseca et diverso principio obiectivo cognitionis (1).

12. Demonstr. ii. p. Non sunt separatae, nam *a)* conveniunt saltem ex parte quoad obiectum materiale, cum plura quae revelata sunt, lumine etiam rationis sint cognoscibilia, et *b)* suis quaeque utens principiis mutuo vinciuntur intimo nexu, cum et theologia multas veritates naturales vel supponat ut praeambula fidei, vel adhibeat ad suadendas illustrandasque veritates revelatas et ad deducendas et confirmandas veritates alias quae cum revelatis nectuntur (2); et vicissim philosophia dogmata revelata

---

(1) Patet, triplici hoc capite distingui a theologia sacra etiam illam philosophiae partem, quae *theologia naturalis* seu rationalis audit.

(2) « Haec scientia accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad manifestationem eorum quae in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis, sed immediate a Deo per revelationem. Et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam

normae instar prae oculis habens ab erroribus praemuniatur, et multiplici modo adiuvetur (1). Huc pertinet propositio XIV Syllabi: « Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita relatione. »

13. DEMONSTR. III. P. Si differunt ut lumen a lumine, non tamen opponuntur ut lux et tenebrae. « Etsi, ait conc. Vaticanum statuens quod a conc. Lateran. V. jam fuerat definitum, fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare se ipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere (2). Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerunt, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam omnino falsam esse definimus » (3).

14. DEMONSTR. IV. P. Haec subordinatio non in eo est posita, ut philosophia ac scientia suas leges, sua principia, suas conclusiones suscipiat a fide et per fidem, sed revocatur ad illud, quod, quum infallibili certitudine habendum sit ut falsum, ac proinde neque demonstratum nec demonstrabile secundum genuinas leges cuiusvis scientiae quidquid verbo Dei revelato et ab Ecclesia proposito reipsa et non apparenter contradicat; revelatio et Ecclesiae auctoritas proponens normae instar et stellae directricis in scientiis naturalibus respicienda sit.

Ex quo nedum impeditur, sed magnopere promovetur scientia

---

a superioribus, sed utitur iis tamquam inferioribus et ancillis, sicut architectonicae utuntur subministrantibus, et civilis militari. « S. Thomas 1. q. 1. a. 5.

(1) Hunc nexum ita enuntiat Conc. Vatic. « Opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vera rationem ab erroribus liberet, et tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. » Const. *Dei Filius* c. 4.

(2) Quod ita explicat S. Thomas c. g. l. 1. c. 7.: « Illud idem quod inducitur in animum discipuli a docente, doctoris scientiam continet, nisi doceat ficte; quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, quum ipse Deus sit auctor nostrae naturae. Haec autem principia etiam divina Sapientia continet. Quidquid igitur principiis huiusmodi contrarium est, est divinae Sapientiae contrarium; non igitur a Deo esse potest. Ea igitur quae, ex revelatione divina, per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria. »

(3) Const. *Dei Filius* c. 4.

veri. Etenim non solum generatim « divinarum veritatum splendor, animo exceptus, ipsam iuvat intelligentiam, cui non modo nihil de dignitate detrahit, sed nobilitatis, acuminis, firmitatis plurimum addit » (1), sed speciatim *a)* revelatione veritatum *rationalium* mens cum citius communius et certius in earundem cognitionem pervenit tum ab errore praemunita expeditius ex suis principiis easdem demonstrat, et *b)* revelatione veritatum *superrationalium* novis instruitur cognitionibus, ab erroribus praecavetur in scientiis, plurimumque iuvatur ad profundiorem cognitionem veritatum rationalium propter multiplicem analogiam, quae inter veritates utriusque ordinis intercedit. Ita v. g. notiones rationales naturae et hypostaseos, generationis, sacrificii, extensionis corporum et sensibilium phaenomenorum ex veritatibus revelatis expolitum et perfectum iri, suis locis demonstrabitur.

ARTICULUS III.

De varia theologiae divisione.

15. Ratione materiae vulgaris est theologiae divisio in *theoreticam,* quae res divinas contemplatur, et *practicam,* quae ad usum exercitationemque vitae descendit. Priorem *dogmaticam,* posteriorem *moralem* appellant (2).

16. Ad theologiam practicam alii quidem praeter morum disciplinam *jurisprudentiam Ecclesiasticam* referunt, nec non eam, quam *pastoralem* vocaverunt, quae, cathecheticam, homileticam, liturgicam aliaque ad curam animarum pertinentia complectitur; alii contra practicae theologiae morum tantum praecepta assignare, juris vero scientiam et institutiones pastorales novo nomine hierarchicae theologiae comprehendere maluerunt.

17. Ad theologiam moralem pertinet *ascetica* et *mystica;* illa

---

(1) Encycl. Leonis XIII. *Æterni Patris* data 4 aug. 1879.

(2) Non est silentio praetereunda divisio in ipsam *theologiam,* quae partes, de quibus in hoc articulo, complectitur, et *disciplinas theologicas subsidiarias.* Harum praecipuae sunt *exegesis et historia ecclesiastica;* ad priorem latiori sensu intellectam *introductio* in S. Scripturam et *hermeneutica* et *archeologia* biblica, ad posteriorem *Patrologia* et *historiae* haereseon, dogmatum et conciliorum revocantur.

viam rationemque tradit, qua a vitiis nos expedire et virtutes prosequi possimus; haec de coniunctione cum Deo et contemplatione illa agit, ad quam non omnes, sed quibus datum est, pervenire possunt.

18. Theoretica seu dogmatica alia est *generalis*, alia *specialis*. *Generalis*, quae et *apologetica* dicitur, est ea, quae innixa firmissimae christianae persuasioni de existentia revelationis, scientificam exhibet, per *distinctam* comprehensionem motivorum credibilitatis, illius facti demonstrationem (1). *Specialis* est ea, quae per generalem jam ingressis Ecclesiam aperiens thesauros, veritatum credendarum scientificam tradit notitiam.

19. Haec pro munere quod exequitur est vel *positiva*, vel *scholastica*, quam alii appellant *speculativam*. *Positiva* demonstrat *quae* veritates et *quomodo* contineantur in verbo Dei, prout in Scriptura et traditione conservatur et ab Ecclesia proponitur, atque adeo hujus scientiae principia ponit. *Scholastica* demonstrata dogmata perscrutans, quae in eis sunt inclusa, aperit, nexum, quo inter se vincta sunt, ostendit, ad alia ex eis cognoscenda progreditur, atque ita de fide ad intellectum ducens, supra fundamentum fidei, ut Clemens Alexandrinus loquitur, splendidam ac magnificam veritatis cognitionem aedificat (2).

---

(1) Haec non meretur nomen *theologiae christianae* nisi quatenus nititur ut suo fundamento primitivae persuasioni supernaturali ex lumine fidei (n. 8); hic enim nexus cum persuasione supernaturali si desit, et philosophicis tantum et historicis argumentis probatur Deum esse primam veritatem seque humano generi revelasse, Ecclesiam instituisse etc., poterit esse philosophia preambula et paedagogia ad philosophiam christianam, theologia christiana proprio sensu non erit. Hinc *intelligentia* quidem rationum, ex quibus factum divinae revelationis relucet, extensive et intensive amplificatur, non tamen inde consequitur certitudinem et firmitatem assensus ac fidei christianae per scientiam theologicam in se spectatam augeri. Ex quo patet, quam graviter erraverint Hermes aliique, qui censuerunt, firmam certitudinem de existentia et veritate revelationis christianae nullam esse posse ante *philosophicum examen* motivorum credibilitatis; atque ideo etiam a fidelibus in Ecclesia catholica enutritis posse ac debere persuasionem de credibilitate suae religionis subordinari consectariis examinis philosophici ab ipsis instituendi. Cf. Franzelin de *Deo uno Prolog.* p. 13.

(2) Si de ipso nomine scholasticae theologiae quaeras, apud antiquos scholastici vocabantur, qui doctrina clari essent. Quapropter cum a saeculo duodecimo nonnulli viri, praeeunte Petro Lombardo, Episcopo Parisiensi, universae theologiae institutiones in unum doctrinae corpus redegissent; qui has publice profitebantur, honoris causa scholastici vocabantur. Itaque principio scholastica theologia idem significabat, quod theologia erudita, ut quam nemo

Cum his omnibus porro cohaeret et in eis includitur *theologia polemica* ad defensionem doctrinae revelatae adversus errores contrarios, sive ii versentur circa ipsos fontes doctrinae ex perversione fundamentorum fidei, sive circa singula dogmata ex falsa interpretatione verbi Dei, sive circa verum intellectum eorundem ex abusu philosophiae.

20. Valde diversa est descriptio, quam scholasticae exhibent ejus adversarii, juxta quos ea est, quae vera revelata obiter pertractans alias multas quaestiones subtiliores quam utiliores congerat, atque philosophia intemperanter utens divinis humana, sacris profana misceat. Verum non est disciplina quaelibet ex vitiis definienda, in quae nonnulli cultores ejus inciderunt, sed ex virtutibus, ad quas natura sua tendit, quaeque mirabiles revera in praecipuis ejusdem cultoribus extiterunt; alioquin ipsam philosophiam sophisticam dixeris.

Ex utriusque notione facile colliges, eam fore optimam methodum tradendi dogmaticam, quae positivam simul et scholasticam coniungat.

ARTICULUS IV.

De theologiae praestantia.

21. Theologiae laudes et excellentiam s. Thomas complexus est sequentibus verbis:

Prop. 3. **Inter omnes hominum curas, studium divinae sapientiae est perfectius, jucundius et utilius** (1).

Demonstr. I. p. *Perfectius* et quidem *a)* obiecti dignitate, quod est Deus non solum quantum ad illud, quod est per creaturas cognoscibile, sed etiam quantum ad id, quod notum est sibi soli de se ipso et aliis per revelationem communicatum. Qui cum sit

---

assequi posset, nisi qui magistro duce in scholis didicisset. — Cum vero illa aetate in scholis dogmatum intellectui potius quam demonstrationi operam darent theologi, decursu vero temporis praesertim inde a saec. decimo sexto singula fidei dogmata ex divina revelatione asserere, ratione quoque, quoad fieri potest, demonstrare atque a calumniis haereticorum et infidelium vindicare necesse fuerit; hinc distinctio theologiae scholasticae et positivae, quomodo supra indicavi, orta est.

(1) C. g. l. 2. c. 2.

omnium causa efficiens exemplaris et finalis, et cognitio perfecta rerum cognitionem requirat causarum, a quibus dependent; merito a veteribus sapientia fuit appellata (1); quum de nulla re scientiam saltem perfectam, habere possit, qui scientiam de Deo non habet. Hinc Dominus per Ieremiam (9, 23): *Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terra;* hinc ardens Apostoli obsecratio, ut fideles *crescant in scientia Dei* (Coloss. 1, 10 cf. etiam Sap. 15, 3; et Io. 17, 3). — *b)* Certitudine, quae est omnium maxima. Etenim certitudo scientiae fundatur quidem in ratione divina ac prima veritate, sed *mediate* tantum: immediate autem in lumine rationis humanae; at fides *immediate* nititur in auctoritate Dei ac prima veritate. « Certitudo, ait s. Thomas, quae est in scientia et intellectu est ex ipsa evidentia eorum, quae certa esse dicuntur; certitudo autem fidei est ex firma adhaesione ad id, quod creditur. In his ergo quae per fidem credimus, ratio voluntatem inclinans, est ipsa veritas prima sive Deus, cui creditur, quae habet majorem firmitatem quam lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia, vel ratio humana, secundum quam conclusiones in principia resolvuntur: et ideo fides habet majorem certitudinem quantum ad firmitatem adhesionis, quam sit certitudo scientiae vel intellectus; quamvis in scientia et intellectu sit major evidentia eorum, quibus assentitur » (2).

22. Demonstr. ii. p. *Iucundius;* nam *a)* « de rebus altissimis, etiam parva et debili consideratione, aliquid posse inspicere iucundissimum est » (3), et *b)* si grata nobis accidit cognitio

---

(1) « Haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Cum enim sapientis sit ordinare et judicare, judicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur: ille sapiens dicitur in unoquoque genere, qui considerat causam altissimam illius generis; ut in genere aedificii artifex, qui disponit formam domus dicitur sapiens et architectus respectu inferiorum artificum, qui dolant ligna et lapides vel qui parant caementum.... Ille igitur qui considerat altissimam causam totius universi, quae Deus est, maxime sapiens dicitur. Unde et sapientia dicitur esse divinorum cognitio. » S. Th. 1. q. 1. a. 6.

(2) 3. Dist. 23. q. 2. a. 2. sol. 3.

(3) S. Thom. Sum. Ph. 1. c. 8.

bonorum, quibus ditescunt parentes et amici, majori sane voluptate perfundere nos debet divinae naturae totiusque in ordine supernaturali oeconomiae contemplatio, quae Dei amantissimi Patris, creatoris et ultimi finis nostri, infinitas perfectiones aperit.

23. DEMONSTR. III. P. *Utilius*, et quidem a) pro se ad fidem cognitam firmius tenendam et efficacius operibus exprimendam; b) pro aliis, ut ii doceri et in fide confirmari possint; c) denique ad ipsam fidem contra omnigenos adversarios defendendam: *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui et seductores, quos oportet redargui* (Tit. 1, 10.); *Quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum* (1. Jo. 4, 1). Si itaque cuncti debemus esse *parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est spe* (1. Pet. 3, 15); multo magis oportet *labia sacerdotis custodiant scientiam a cujus ore legem populi requirunt; quia angelus Domini exercituum est* (Malach. 2, 7); qui ideo oportet, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (Tit. 1, 9). Quod si jam tempore Apostolorum, nostra praesertim aetate verum est, qua nullum fere est doctrinae christianae caput, quod in dubium non vocetur omnisque generis armis impugnetur.

24. Remanet, ut dispositiones ad talem cognitionem assequendam necessarias indicemus. Eae sunt vel *naturales* vel *supernaturales.* Ex naturalibus, praetermissis iis quae communes sunt aliis scientiis comparandis, memoratu digna est praecipua ea planeque necessaria, quae *solida philosophiae institutione* continetur (1). — Supernaturales seu spirituales sunt fides, humilitas, puritas cordis et oratio. 1.° *Fides:* memor sit semper studiosus, quod theologia, auctore Augustino, est « fides quaerens intellectum, » quod Anselmus illis verbis expressit: « Credo ut intelligam. » Fides ergo praecedere debet, dogmatis veritas firmissime jam creditur, sed hujus fidei, hujus jam creditae veritatis

---

(1) « Perpetuus et multiplex requiritur philosophiae usus, ut sacra theologia naturam, habitum, ingenium verae scientiae suscipiat atque induat. » Encycl. *Æterni Patris.*

« Hi nimirum, ut erunt humanitatis artibus informati et politi, praestantissima theologiae studia ne attingant prius quam diligentem adhibuerint praeparationem in studio philosophiae. » Epist. S. P. Leonis XIII ad Episcopos Bavariae (22. Dec. 1887.)

intelligentiam quaerit theologia. — 2.° *Humilitas:* illa enim fidei intelligentia absconditur sapientibus et revelatur parvulis. Itaque *non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem* (Rom. 12, 3.) — 3.° *Puritas* cum cordis tum intentionis: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. 5, 8)*; In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (Sap. 1, 4). — 4.° *Oratio: Deus scientiarum Dominus est* (Reg. 2, 3); *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter* (Jac. 1, 5); *Optavi et datus est mihi sensus, et invocavi et venit in me spiritus sapientiae* (Sap. 7, 7). *Gustate* igitur et *videte;* gustate Deum in oratione et meditatione, et eum vividiori luce cognoscetis.

CAPUT II.

De dogmate sententiisque theologicis.

25. A generica theologiae notione ad specialis hujus nostrae disciplinae praeambula quaedam declaranda gradum facientes, agemus hoc capite: 1.° de dogmatis notione: 2.° de conclusione theologica; 3.° de censura theologica; 4.° de totius theologiae dogmaticae specialis partitione et conspectu.

ARTICULUS I.

De dogmatis notione.

26. Etsi hoc nomen *dogma* varias habeat significationes, usu tamen ecclesiastico et in scholis recepto definitur: *propositio revelata et ut talis ab Ecclesia ad credendum proposita.*

27. Prima igitur ad dogma constituendum conditio est, quod veritas contineatur in verbo Dei revelato, sive scripto sive tradito (1). De qua probe advertas, revelationem hic intelligi

---

(1) Oportet ut in revelatione *formaliter* sive *explicite* sive *implicite,* non vero tantum *virtualiter* et *mediate* contineatur. Est vero *formaliter* revelatum quod *vi significationis verborum* a loquente exprimitur, et quidem *explicite*

christianam, hancque per Christum et Apostolos fuisse absolutam (1).

28. Non tamen sufficit ut veritas contineatur in obiectiva revelatione, quamdiu satis proposita non est; secus sententia in dubium revocans e. g. auctoritatem supremam aliquot librorum deuterocanonicorum semper etiam saec. IV, negans immaculatam B. M. conceptionem, R. P. infallibilitatem ante solemnem definitionem haeretica fuisse dicenda esset. Requiritur igitur et altera conditio, ut tamquam revelata sine periculo errandi innotescat, quod non nisi per Ecclesiam fieri potest, quam Deus instituit, ut verbo suo testimonium perhibeat.

29. Haec porro propositio fit ab Ecclesia « sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio » (2) Itaque censendum est propositum 1.° quod in Scriptura et traditione immediate apparet contentum; cum enim Ecclesia totam Scripturam et traditionem ut verbum Dei proponat, hoc ipso ea, quae in ipsis tam manifeste continentur, ut latere neminem possint, tamquam divinitus revelata omnibus credenda proponit. 2.° Quod in Scripturis obscurius continetur, sed ab Ecclesia ibidem contineri sive solemni judicio sive universali praedicatione declaratur. 3.° Quod tamquam divinitus revelatum traditur ordinario et universali magisterio, quod consentiente et jugi *pastorum praedica-*

---

si termini per se, immediate, clare illud enuntiant; *implicite* si terminorum explicatio tantum requiritur, ut illud appareat. E contra illud dicitur *virtualiter* tantum revelatum, quod non est signanter idem cum revelato, sed eo tantum continetur tamquam in causa et radice, et ad illud eruendum non sola terminorum explicatio, sed aliqua superaddita distincta ratio requiritur. Ita v. g. in explicite revelata veritate, Christum verum esse hominem, continetur, Christum mente et voluntate humana praeditum esse, itemque Christum esse risibilem; verum illud formaliter implicite, hoc virtualiter continetur. Sine risibilitate enim homo concipi potest, non autem sine mente et voluntate. — Ad veritates vero etiam *virtualiter* contentas extendi infallibile Ecclesiae magisterium, hic supponimus; hae tamen *fide ecclesiastica* creduntur.

(1) Ex hoc sequitur, revelationes illas, quas dicunt privatas, v. g. s. Birgittae, s. Geltrudis, s. Catharinae Sen., etc. etsi, ut plerique existimant, ab iis, quibus de illis satis constiterit, fide divina credi possint, nunquam tamen catholicae fidei dogmata evadere posse. Approbatio Ecclesiae, si quando accedit, eo spectat ut declaretur 1.° in iis nihil esse posse, quod fidei catholicae, bonis moribus, et disciplinae ecclesiasticae adversetur; 2.° sufficientia adesse indicia veritatis, ut huiusmodi revelationes fide humana pie et prudenter ac sine superstitione credi et ad aedificationem legi possint, adeoque fas non esse eas contemnere.

(2) Conc. Vat. Const. *Dei Filius* c. 3.

tione continetur, et manifestatur vel universali et constanti theologorum consensu aliquid ad fidem pertinere docentium (1), vel ipso cultu et praxi Ecclesiae, ut in dogmate Angelorum custodum, quos Ecclesia ad nostram salutem mitti in suis orationibus clare pronuntiat. 4.° Quod solemni judicio tamquam de fide definitum est, aut cujus contradictorium tanquam haereticum fuit damnatum.

Haec Ecclesiae propositio *certa* sit oportet; certa autem censeri nequit, si graves theologi de ea inter se dissentiant.

30. Hujusmodi dogmata vocantur etiam *veritates de fide catholica* (2), *de fide definita, de fide* simpliciter, *articuli fidei* (3).

31. Commemoranda est distinctio in dogmata, quae *explicite*, et dogmata, quae *implicite* credenda sunt. *Explicite* credi dicuntur eae veritates, quae in se et in propriis terminis creduntur; *implicite*, quae non in se, sed in alia tamquam universali vel principali contentae. Hoc, in quo aliquid implicite creditur, potest esse vel 1.° obiectum *formale* fidei, seu auctoritas Dei revelantis, ut si quis diceret: credo quidquid Deus revelavit; vel 2.° principium *proponens* revelationem, ut si quis diceret: credo quidquid Ecclesia credendum proponit: quo duplici modo ille

---

(1) « Etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecum. Conciliorum et R. Pontificum hujusce Apostolicae Sedis decretis definita sunt; sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur; ideoque universali et constanti consensu a catholicis theologis ad fidem pertinere retinentur. » Pius IX in *litteris ad Archiep. Monacensem* (2 Dec. 1863).

(2) Fides est *divina*, quando aliquid creditur propter auctoritatem Dei revelantis, et hujus obiectum materiale est quidquid certo continetur divina revelatione; est *catholica*, quando accedit Ecclesiae propositio, qua ita infallibiliter constat aliquid esse revelatum, ut omnia Ecclesiae membra ad eam obligentur. Hinc vulgata divisio *dogmatis in se* (sive revelati) et *dogmatis quoad nos* (sive revelati et propositi). Haec duo sese habent ut includens et inclusum; omnis enim fides catholica est divina, non vero vicissim. *Fides* vero *ecclesiastica* est ea, qua aliquid creditur propter infallibilem Ecclesiae vel Pontificis auctoritatem illud ut *verum* non tamen ut revelatum proponentis. Hujus fidei obiectum sunt omnia quae vel ex revelatione deducuntur, vel cum ea ita connexa sunt, ut, nisi ea in tuto sint, ipsum revelationis depositum incolume servari nequeat. Haec dicitur etiam *mediate divina*, quia infallibilitatem Ecclesiae, cui innititur, fide divina et catholica credimus.

(3). Articuli tamen fidei sensu strictiori a dogmate distinguuntur. Illo enim nomine principaliora quaedam ac scitu magis necessaria doctrinae capita, quae symbolo apostolico comprehenduntur, a theologis designantur. Cf. Kleutgen op. cit. n. 91.

implicite jam credit, v. g. septem esse N. L. Sacramenta, etiamsi eorum explicitam cognitionem, imo ne actualem quidem confusam habeat; vel 3.° obiectum aliquod *materiale*, in quo alterum includitur: sic qui explicite credit, duas esse in Christo naturas distinctas, implicite jam credit, duas esse in ipso voluntates et operationes, ex utraque natura profluentes; similiter qui credit Deum liberatorem generis humani, virtualiter et implicite credit in Christum; nam hoc in illo continetur tamquam particulare in universali.

Jam vero virtute saltem et implicite quisque tenetur credere quidquid revelatio christiana complectitur, quum idem sit pro omnibus veritatibus motivum, adeoque vel omnia credantur, vel nihil *vere* propter hoc motivum credatur (1); minime vero tenetur omne id quod revelatum est credere explicite, quum hoc ne doctissimi quidem possint.

32. Quae *explicite* credi debent, alia explicite necessitate *praecepti*, alia explicite necessitate *medii* credenda sunt. Generatim illud dicitur necessarium necessitate praecepti, quod ad salutem praecipitur a superiore, ut confessio ad remissionem peccatorum, jejunium etc.; quod hoc modo necessarium est, si tamen sine culpa omittatur, non impedit salutis consecutionem. Est necessarium necessitate medii id, quo homo ordinatur in ipsum finem, sine quo sive sit in praecepto sive non, sive culpabiliter sive inculpabiliter omittatur, salus nullo modo obtinetur, ut baptismus respectu infantium; dolor de peccatis respectu adultorum existentium in peccato mortali; gratia Dei respectu omnium, tam adultorum quam infantium (2).

---

(1). Hinc sequitur, vanam esse distinctionem protestantium in articulos fundamentales et non fundamentales; nulla enim est veritas revelata, quae non sit credenda *negative*, h. e. quam affirmare vel inficiari cuiquam liberum sit.

(2). *Dices:* ipsa observatio praeceptorum Dei est medium ad salutem necessarium: ergo necessitas praecepti non differt a necessitate medii. *Respondeo.* Tametsi generatim loquendo, observatio praeceptorum sit quoddam medium necessarium ad salutem, quia qui non observat praecepta, non potest salvari; tamen quando speciatim loquimur de necessitate medii, quatenus distinguitur a necessitate praecepti, certum est, observationem praeceptorum non esse necessariam necessitate medii. Ratio est, quia hoc proprie vocamus necessarium necessitate medii, quod positive concurrit; quo pacto gratia praeveniens, baptismus, dolor de peccatis, et similia positive concurrunt ad justificationem. Observatio autem praeceptorum praecise sumpta, quatenus talis est, non con-

Porro communiter docent theologi, homines necessitate praecepti teneri ad implicite credenda omnia mysteria in symbolo comprehensa. Favet *Catechismus Romanus:* « Quae primum christiani homines tenere debent, illa sunt, quae Sancti apostoli divino Spiritu afflati, duodecim symboli articulis distinxerunt » (1). — Necessitate vero medii fuit omni tempore juxta omnes ad justificationem et salutem necessaria fides explicita de Deo, ut existente et remuneratore; et juxta plures, fides explicita de Christo et de SS. Trinitate (2).

ARTICULUS II.

De conclusione theologica.

33. *Conclusio theologica* dicitur communiter sententia, quae ex iis, quae revelata sunt, colligitur, mediumque tenet locum inter dogmata et opiniones scholasticas. Pro diversa natura praemissarum et diverso modo quo inferuntur, diversa etiam gaudent certitudine. Itaque

1.° Quando utraque praemissa revelata est, et conclusio veritatem revelatam enuntiat, v. g.: Christus ut verus Deus est adorandus: Christus est in Eucharistia praesens: ergo in Eucharistia est adorandus.

2.° Quando una tantum praemissa est revelata, et altera veritas tantum rationalis, tunc distinguendum est: *a)* si altera

---

currit positive sed negative, quia solum efficit, ne impediatur aut omittatur justificatio. Nec obstat, quod aliquando sit meritoria augmenti justitiae: quia hoc non habet ex se, qua talis est, sed quatenus in homine justo coniuncta est cum gratia et caritate. Becanus *de fide* c. 12.

(1) P. 1. C. 1. — Obligatio vero credendi et sciendi quae pertinent ad Baptismum, Eucharistiam, Confessionem sacramentalem; itemque ad illa, quae pertinent ad decalogum non oritur ex praecepto fidei, sed ex praecepto religionis, justitiae et aliarum virtutum. Becanus l. c.

(2) Diversas de hac re theologorum sententias videsis apud Hurter *Comp. Theol. Dogm.* t. 3. n. 150. Sunt etiam, qui teneant, fidem explicitam in Christum et Trinitatem ad justificationem minime esse necessariam. « Qui salvati sunt, ait s. Thomas, quibus revelatio facta non fuit, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris: quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina Providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos. » 2. 2. q. 2. a. 7.

solum assumitur ad manifestandum, quod conclusio ut pars in toto vel ut singulare in universali comprehenditur in illa priori; tunc etiam conclusio habetur ut revelata, et si de propositione Ecclesiae satis constat, ut fide catholica credenda, ut v. g.: Christus est verus Deus et verus homo; atqui homini essentialis est voluntas: ergo Christus habet voluntatem humanam; vel: Omnes homines, qui naturali generatione descendunt ab Adam, peccatum originale contrahunt; atqui Petrus naturali generatione ab Adam descendit: ergo contraxit peccatum originale. *b)* Si autem quod in conclusione enuntiatur non nisi utrâque simul sumpta continetur; id quod enuntiatur in conclusione est quidem certum, non tamen simpliciter contentum in revelatione, atque adeo non est obiectum fidei divinae, sed assensus theologici tantum, ut v. g.: Christus est homo; sed homo est risibilis: ergo Christus est risibilis; vel: Omnis puer rite baptizatus est in statu gratiae; atqui puerum hunc vidi baptizari ab eo ministro et eo modo, quo excluditur quaelibet suspicio contra valorem sacramenti: ergo hic puer est in statu gratiae.

3.° Quando argumentis hermeneuticis et historicis ex verbo Dei, vel ratiocinando ex veritatibus revelatis, conclusiones deducuntur; tunc harum certitudinis gradus pendet generatim a gradu consensionis Ecclesiae et theologorum in illas ut ex fontibus revelationis legitima consequentia deductas, vel ut plus minusve cum veritatibus revelatis connexas. Hinc:

34. *Proxima fidei* dicitur ea propositio, quae universali consensione et praedicatione continetur divina revelatione, quin tamen simpliciter et *certo* proponatur de fide.

35. *Theologice certa*, seu *fide certa* dicitur ea propositio quae, vel partim ex veritate revelata partim ex veritate rationali deducitur (n. 33. 2.° *b*), vel ex revelata sententia infert quod in ea non est nisi virtualiter inclusum, vel cum veritate revelata intime connexa est (1).

---

(1) Si dogma et haeresim excipias, in quibus determinandis conveniunt omnes, circa non genericam, sed propriam et specificam aliarum propositionum et oppositarum censurarum notionem magna est inter auctores sententiarum diversitas. Juxta traditos conceptus *proxima fidei* per se pertineret iam ad fidem divinam, sed Ecclesiae definitionis defectu nondum clare pertineret ad fidem catholicam; *theologice certa* saltem ad fidem ecclesiasticam pertineret.

36. *Simpliciter certa* est ea, quae cum revelatione remotius quidem connectitur, rationabili tamen dubio subiici nequit.

37. *Sententia communis* illa dicitur, quae ita passim a theologis docetur, ut certitudini sit proxima.

ARTICULUS III.

De censuris theologicis.

38. *Censura theologica* vocatur judicium, quo nota prava et maligna cuidam doctrinae tamquam fidei aliquo modo nocivae inuritur. Duplicis generis est: *privata* seu *doctrinalis,* quae fertur a theologis et tantum valet, quantum argumenta vel auctoritas eorum, a quibus proficiscitur; et *publica* seu *authentica,* quae ex officio infligitur a Pastoribus Ecclesiae, qui judices fidei sunt. — Duplici modo ferri solet: vel *categorice* singulas propositiones singulis qualificationibus notando, vel in *globo* pluribus propositionibus plures summatim apponendo censuras. Vi huius damnationis quae in *globo* dici solet, nulla est propositio damnata, quae non saltem unam ex subiectis censuris mereatur, nullaque est ex recensitis censuris, quae non saltem uni ex damnatis conveniat propositionibus.

39. Sicut nexus, quo sententiae theologicae cum revelata doctrina conjunguntur, varii sunt gradus, ita et doctrinae falsae vel noxiae non omnes *ex aequo* adversantur revelatae veritati, unde variae sunt quoque censurarum distinctiones.

Haeretica est ea propositio, quae *directe* et *immediate* opponitur veritati revelatae et ab Ecclesia ad credendum *certo* propositae.

40. *Proxima haeresi* est ea sententia, quae opponitur propositioni *proximae fidei.*

41. *Erronea* dicitur, si opponitur *conclusioni theologicae certae.* Nonnulli tamen utramque nomine erroris comprehendunt.

42. Dicitur *temeraria,* si, quod communiter in Ecclesia receptum est, impugnat, sive ad doctrinam, sive ad facta, sive ad Ecclesiae instituta referatur. Hinc temerarium est asserere non solum, indulgentias non valere ad remissionem poenae debitae

apud divinam justitiam (1), sed etiam falsa fuisse stigmata s. Francisci, aut: non convenire ut plura sint in eadem Ecclesia altaria, aliaeque multae Pistoriensium (2). Differt ab errore, quod conclusio, cui repugnat, debet esse vel minus certa, vel minus universaliter tradita, vel minus stricte nexa cum doctrina fidei. — Est *temeraria modaliter,* si inique damnat doctrinam probabilem vel probabiliorem, ut prop. 26 Pistoriensium, qua explodunt doctrinam « de limbo puerorum » velut « *fabulam pelagianam* ».

43. Dicitur *haeresim sapiens* vel *de haeresi suspecta,* si duplicis sensus, boni et pravi capax est, ita tamen ut ratione sive verborum sive adiunctorum sensus pravus *praevaleat,* ut v. g. in ore Lutherani: *fides justificat.*

Quid indicent inferiores notae, *schismatica, seditiosa, blasphema, impia, iniuriosa, male sonans, piarum aurium offensiva,* ipsa nominis significatione intelligitur (3).

44. Scholion. E dictis colliges, distinguendum esse inter doctrinam catholicam arctiori sensu, quae dogmata sola complectitur, et *doctrinam catholicam latiori sensu,* quae una cum dogmatibus ea, quae praeterea in Ecclesia communiter tenentur, comprehendit.

---

(1) Bulla *Auctorem fidei* prop. 40.

(2) Ibidem prop. 51 – 55. 69 – 75.

(3) Ecclesiam et Romanum Pontificem ex cathedra loquentem esse infallibilem in notanda aliqua doctrina censura haereseos, dogma fidei est; in ferendis autem censuris haeresi inferioribus adeo certum est, ut theologi disputent tantum de eo, utrum opinio opposita sit *haeretica,* an solum *erronea.* (Cf. Franzelin *de Trad.* th. XII, Mazzella *de Relig. et Eccl.* Disp. IV, ar. 8. n. 824). Hinc certum est, *gravem* adesse obligationem adhaerendi censurae haeresi inferiori assensu omne dubium deliberate excludente ob infallibilem Ecclesiae auctoritatem. (Mazzella *de Virt. infusis* Disp. II, a. 10. n. 518 et 519). Definitione vero gradus censurae, hoc ipso definitur, gradum certitudinis in doctrina opposita *saltem* illum esse, qui respondeat censurae definitae. — Ut vero ex damnata doctrina veram tenendam eruas, animadvertas, contradictorias propositiones numquam esse posse simul veras vel falsas, contrarias autem, licet nequeant simul esse verae, posse tamen simul esse falsas; hinc simul ac de propositione constiterit, quae teneri non possit, itidem constat, contradictoriam semper, sed non semper contrariam posse teneri: sic proscripta est haec 2.ª Jansenii propositio: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae numquam resistitur, » sed contraria eidem propositio: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae semper resistitur, » pariter proscribenda foret; tenenda igitur contradictoria: « nonnunquam sive quandoque resistitur. »

Quo pertinet pronunciatum Pii P. IX: « sapientibus catholicis haud satis esse, ut Ecclesiae dogmata recipiant et venerentur; verum etiam opus esse, ut se subiiciant tum decisionibus, quae ad doctrinam pertinentes a Pontificiis congregationibus proferuntur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeant, tamen aliam theologicam merentur censuram » (1). De eadem re concilium Vatic. constitutionem *Dei Filius* concludens, ait: « Quoniam satis non est haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illas plus minusve accedunt, omnes officii monemus, servandi etiam constitutiones et decreta, quibus pravae hujusmodi opiniones quae istic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt. » Huc faciunt etiam prop. XXII Syllabi et X proscripta in Encyclica *Quanta cura*.

ARTICULUS IV.

Theologiae dogmaticae specialis conspectus.

45. Superat, ut nostrae disciplinae partes, quas deinceps favente Deo exequturi sumus, indicentur.

Cum theologia in Deo tamquam in communi centro tota versetur moveaturque ita ut tota illud vere sit, quod nomine suo indicat, sermo de Deo; primum considerabimus Deum unum et trinum, dein Deum extra se agentem, totius naturae nimirum auctorem, angelos hominesque ad supernaturalem beatitudinem destinantem, hosque per peccatum in immensam ruinam prolapsos denuo divini Mediatoris ope ex tanta miseria educentem, auxiliisque ad gratiam per sacramenta recuperandam et ad eam, a qua exciderant, felicitatem consequendam, necessariis do-

---

(1) Literae apost. *ad Archiep. Monacensem et Frisingensem* (d. 2. Dec. 1863).

nantem, ita ut qui hominis conditor fuit, idem quoque reparator ejusdem sit et judex; qui salutis nostrae auctor, idem quoque restitutor existat et largitor.

Itaque hos complectitur Tractatus.

De Deo uno

De Deo Trino

De Deo Creatore

De Incarnatione, seu de Deo Redemptore.

De Gratia Christi } de Deo Santificatore
De Sacramentis }

De Novissimis, seu de Deo Remuneratore vel Consummatore.

TRACTATUS I.

DE DEO UNO.

46. Deus spectari potest, prout est in sua natura unus, vel in sua subsistentia trinus; hinc duplex tractatio: de *Deo uno* et de *Deo trino*. In Deo, quatenus unus est essentia, considerando praesens versatur Tractatus.

47. Errores praecipui sunt: 1.° traditionalismus, 2.° atheismus, 3.° pantheismus, 4.° polytheismus et idololatria, 5.° dualismus, 6.° tritheismus, 7.° anthropomorphismus, 8.° fatalismus. Prior rectae Dei cognoscendi rationi, alii quinque sequentes monotheismo, septimus Dei simplicitati, octavus ejus libertati opponuntur.

48. Doctrinam catholicam de Deo uno hac fidei professione Concilium Vaticanum exhibet. « Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.... Universa vero quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt » (1).

49. Iuxta hanc doctrinam primo Deum esse demonstrandum, dein in ejus essentiam inquirendum, hujusque essentiae praeci-

(1) Constitutio *Dei Filius* cap. 1.

puorum consideratione attributorum distinctior conceptus efformandus, postremo Dei vita, quae intelligendo et volendo absolvitur, explicanda. Omnia itaque his quinque capitibus comprehendemus: 1.° de Dei existentia, 2.° de Dei essentia, 3.° de distinctiori Dei essentiae conceptu seu de attributis, 4.° de intellectu divino, 5.° de voluntate Dei.

CAPUT I.

De Dei existentia.

50. Cum theologia fidei cognitionem Dei rationis lumine partam tamquam fundamentum praesupponat, cumque ejus proprium cognitionis principium sit revelatio; existentiae Dei *demonstratio rationalis* ad ipsam stricte non pertinet. Hinc Patres hujusmodi tractationem philosophicam potissimum in apologiis adversus gentiles velut pedagogiam ad fidem cognitionemque christianam dare solent, pariterque theologi vel illam philosophiae relinquunt, vel si illam initio hujus tractatus habent, eam praeambulam esse ad ipsam fidem diserte monent, iisque, quae ratione de Deo cognoscuntur, non tamquam principiis propriis suae doctrinae utuntur, sed tamquam propriis *ministerialiter,* (1) seu tamquam subsidiis ad comparandam luculentiorem intelligentiam eorum, quae de Deo manifestationibus supernaturalibus revelata sunt. (2)

---

(1) Cf. s. Thomam 1. q. 1. a. 5.

(2) Ne omnia omnino, quae ad philosophicam pertinent existentiae Dei demonstrationem, silentio praetereamus, haec in compendium redacta indicabimus.

Quidquid ratione cognoscitur, vel per se ipsum, vel per obiectum aliud praecognitum menti manifestatur; omnis igitur cognitio vel immediata est, vel mediata.

Dei existentiam esse immediate h. e. solo terminorum intuitu cognitam, negatur communiter cum s. Thoma, qui ad quaestionem, utrum haec propositio: « Existit Deus » sit per se nota; respondet: illam quidem secundum se, non vero quoad nos per se notam esse (1. q. 2. a. 1), ideoque ejus cognitionem mediate nobis per ea quae magis nota sunt quoad nos comparandam.

Exclusa cognitione immediata, remanet mediata, quae demonstratione gignitur. Porro demonstratio triplex est: a *priori*, a *simultaneo*, et a *posteriori*.

51. Verum hac seposita, duplex alia eaque proprie theologica succedit quaestio: utrum scilicet ratio humana viribus polleat ad Deum certo cognoscendum, et utrum veritas existentiae Dei sit etiam revelatione manifestata. Dixi utramque pertinere ad theologiam; in verbo enim Dei revelato, quod est proprium theologiae principium formale, multa continentur, ex quibus tum de illa mentis aptitudine tum de hac Dei existentiae revelatione judicium ferri potest. Has itaque duobus articulis expendemus: 1.° de cognitione rationali existentiae Dei. 2.° de Dei existentia cognita per supernaturalem revelationem.

Prior est demonstratio rei per suas causas. Altera est demonstratio rei per aliquid, quod neque causa est, neque effectus illius, sed aliquod ejus attributum: ut si demonstres Deum existere, quia est ens perfectissimum. Tertia est demonstratio rei per suos effectus.

Certum est, Dei existentiam non posse demonstrari a priori, seu per causas; quia Deus nullam habet causam, neque efficientem, cum sit ens a nullo alio factum et a quovis independens: neque causam finalem, nam cum sit ens summe et absolute perfectum, ad aliud referri nequit: neque materialem aut formalem, cum ens summe perfectum sit etiam simplicissimum, ideoque non compositum ex materia et forma. Demonstratio a simultaneo, quam nonnulli post s. Anselmum proponunt, ex idea Dei seu ab obiectivo conceptu Entis perfectissimi, qui in ipsa idea continetur, quatenus si Ens illud perfectissimum esset in intellectu tantum et non in re, jam non esset Ens perfectissimum (nam argumentatio desumpta ab idea Dei *universali* apud omnes gentes, tamquam a facto historico, quod inexplicabile foret si Deus non esset, valida est et reducitur ad argumentum *morale*); generatim ut inefficax reiicitur, et supponit eam immediatam Dei cognitionem ab Ontologis adsertam, quam negari a s. Thoma supra audivimus. Dei vero existentia efficaciter probatur a posteriori seu ex creaturis.

Praecipua argumenta sunt: *cosmologicum*, illudque multiplex, quo ex entium contingentium existentia inferimus ens necessarium, ex causis secundis et productis ultimam aliquam causam, quae non sit ab alio, sed sit a se, ex motu primum motorem immobilem; *physico-teleologicum*, quo ex ordine multorum constanti et perpetuo ad eximiam pulchritudinem composito, eorumque inter se ad suos fines apta dispositione colligimus esse sapientissimum auctorem et artificem; *morale*, quo ex humani generis consensu universali et constanti nonnullis characteribus insignito (Palmieri *Inst. phil. III.* th. 2) existentiam Dei veritatem esse certissimam evincitur; *ethicum*, quo ex legis moralis absoluta et immutabili vi obligandi supremus deducitur legislator; *metaphysicum*, quo ex aeterna et immutabili veritate, ex ideis justitiae, sapientiae, veri ac boni ascendimus ad Veritatem, Sapientiam ac Bonitatem substantialem, fundamentum et exemplar totius ordinis intelligibilis (Cf. Augustinum l. 2 de lib. arb.; Conf. l. 7. c. 7. etc.); *theologicum supernaturale*, quo ex omnibus factis extraordinariis et stupendis, historice indubiis, supernaturalis exhibetur manifestatio maximi naturae moderatoris, sapientissimi humani generis provisoris, sanctitatis vindicis (cf. Franzelin th. 8 *de Deo).*

ARTICULUS I.

De cognitione rationali existentiae Dei.

52. Prop. 4. **Revelata doctrina est, existentiam Dei naturali humanae rationis lumine certo cognosci posse.**

Declar. Est de *fide* praecipue contra Traditionalistas, qui inter alios hujusmodi mentis aptitudinem negantes contendebant, cognitionem Dei ex revelatione per traditionem propagata repetendam esse, eamque fide quidem suscipi non vero demonstrari posse: controversiam inde ortam et agitatam (1) diremit Conc. Vatic. de fid. cath. c. 2. c. 1 hac definitione: « Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis lumine certo cognosci non posse, a. s. » (2).

Porro in thesi agitur 1.° de homine *rationis usum* quodemodocumque assecuto; 2.° non de *facto*, utrum scilicet quilibet homo *solo* rationis lumine ad hanc cognitionem perveniat, sed de *jure*, utrum scilicet tametsi traditione nullam hujusmodi cognitionem acceperit, eandem solo rationis lumine comparare possit.

Huiusmodi demonstrationes principio innituntur causalitatis, quod absolute et metaphysice certum est. Has fuse expositas et contra cavillationes acute vindicatas videsis penes Stentrup *Prael. Dogm. de Deo uno* th. 7. Cf. etiam Monsabré *Esposizione del dogma cattolico (Esistenza di Dio) Confer. IV.*

Qui Deum non admittunt, *athei* dicuntur, et quidem *practici*, qui operibus Deum negant; *theoretici*, qui Deum ratione sua non agnoscunt. Theoreticorum vero duplex est genus: *negativi*, qui Dei numquam notitiam habuerunt, *positivi*, qui Dei, cujus aliquam notitiam habent, existentiam mente negant seu profiteri nolunt. — Quaeri hic solet, utrum revera dentur athei. Iam vero dari atheos practicos infelix docet experientia. De atheis negativis tenendum est, neminem posse, saltem diu, Deum ignorare; et de positivis, evenire posse, juxta probabiliorem sententiam, ut homo sive ob cordis corruptionem sive ob male feriatam mentem Deum *neget*, cui negationi tamen bona fides suffragabitur numquam.

(1) Pluries jam ante Conc. Vat. mentem suam de hac re aperuerat S. Sedes. Huc spectant propositiones, quibus a. 1840 Bautain subscribere jussus est, itemque propositiones nonnullae Gerardi Ubaghs, quas « emendandas » judicavit Congregatio Indicis et Inquisitionis a. 1843, 1864, 1866.

(2) Haec quaestio reflexa pertinet tamen etiam ad philosophiam, quia ratio reflectens in argumenta philosophica quibus Dei existentia demonstratur, intelligit evidenter ex iis legitima consequentia ad Dei existentiam concludi.

53. Demonstr. i. *a)* (Sap. 13, 1 – 9): *Vani autem (μάταιοι... φύσει) sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est (τὸν ὄντα), neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex: sed aut ignem... aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. Quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator haec omnia constituit. Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui haec fecit fortior est illis. A magnitudine enim speciei et creaturae, cognoscibiliter (ἀναλόγως) poterit creator horum videri. Iterum nec his debet ignosci. Si autem tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum; quomodo hujus dominum non facilius invenerunt.»* *α)* Si natura *vani* sunt, i. e. si naturam pervertere ac veluti exuere debent, qui cognitione Dei destituuntur, eâdem ergo naturâ duce habetur, et ex hac sponte efflorescit. *(β* Ea cognoscendi ratio, qua ex effectibus et operibus pervenitur ad notitiam causae et artificis, est humanae menti propria et prorsus naturalis; atqui in textu talis comparandae cognitionis de Deo potestas hominibus vindicatur: ergo. *γ)* Saeculum i. e. leges naturae, ab hominibus cognoscuntur facultate naturali; atqui eâdem et quidem facilius ab hominibus cognosci Deum potuisse affirmatur: ergo si illa cognitio est naturalis, multo magis haec, quae exhibetur illa facilior. — *b)* (Rom. 1, 19 – 21): « *Quod notum est Dei (τὸ γνωστόν* cognoscibile), *manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas; ita ut sint inexcusabiles.* » Deus, auctore Paulo, in se quidem immediate invisibilis, mediate redditur menti humanae cognoscibilis; medium vero sunt creaturae, ex quarum contemplatione ad ejus cognitionem mens manuducitur. Atqui in tali cognitione nullum est elementum quod tam subiective quam obiective non sit naturale: ergo.

Praeter hanc manifestationem naturalem in ordine *physico*, conferas etiam penes Paulum manifestationem Dei naturalem in ordine *ethico* (Rom. 2, 14 – 16), et *historico* (Act. 14, 15. 16 et 17, 26 – 28).

54. II. Patres magno consensu docent: meminem posse coelum aspicere et Dei existentiam ignorare; aspectabilem hunc mundum rationalium animarum scholam esse et gymnasium ad cognitionem Dei, dum per visibilia et sensibilia praebet menti manuductionem ad intelligentiam invisibilium; nullum hominum genus usquam vivere posse, quod non sit praeoccupatum naturae superioris persuasione; divinam providentiam manifestam esse unicuique ex aspectu ipso rerum; Deum esse tum oculos ipsos, tum legem naturalem rationis docere; rationem mentibus infixam movere omnes, ut ex operibus ejus cognoscant unum esse Deum, Dominum omnium; summi delicti reos esse omnes, qui nolint recognoscere quem ignorare non possint. (1)

55. III. Ut causa demonstretur per effectum, haec duo sufficiunt, nempe ut effectus existens necessariam habeat connexionem cum causa et haec connexio sit evidenter cognoscibilis. Atqui creaturae necessariam habent connexionem cum causa aliqua prima improducta et in omni genere perfectissima, quae dicitur Deus: et connexio illa creaturarum saltem collective sumptarum cum causa prima est evidenter cognoscibilis, ut ex unanimi sapientum (2) consensu et experientia constat: ergo.

56. **Corollarium.** Ergo falsum est commentum Reid, Jacobi et veterum Theosophorum, qui Dei cognitionem ex *instinctu* vel mentis quodam tactu et gustu repetendam esse censuerunt. Nam ex revelatione constat, claram Dei notitiam non solum haberi, sed ex alia h. e. ex ea, quae de creaturis habetur, comparatam esse. Sed quod clara notitia ex alia derivata cognoscitur, id ratiocinando cognoscitur; et assensus, quo conclusio tenetur, ex rerum intelligentia est, non ex naturae impulsu. — Insuper ratio illa cognoscendi Deum ex mero instinctu naturae rationali haud congruit; haec enim exigit, ne quid affirmemus negemusve nisi aliqua cognita ratione impellente; instinctiva autem cognitio est omnino coeca.

57. Scholion. Duplex distingui debet Dei cognitio: altera con-

---

(1) Cf. Patrum testimonia, e quibus haec depromsimus, penes Franzelin th. VI. et Stentrup th. I.

(2) Quid potest esse, inquit ipse Tullius, tam apertum, tamque perspicuum, cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur?

fusa adhuc et imperfecta; altera perfectior et expolitior ac velut scientifica. Prior quamcumque investigationem praevertit, estque quaedam mentis *πρόληψις*, ut loquuntur Graeci, vel « ante percepta cognitio scilicet *enodationis* indigens, » ut ait Tertullianus, omnibus adeo facilis, ut ea carentes *insipientes* et *inexcusabiles* vocentur; quamque propterea Patres menti insertam, insitam, congenitam appellant. (1)

Posterior, quae est prioris confirmatio et enodatio rationalis atque adeo illa difficilior, per inquisitionem philosophicam comparatur. In hac inquisitione potest ac debet homo conceptum primitivum excolere; potest vero etiam sua culpa eandem primitivam ideam Dei applicare ad obiecta, quae Deus non sunt, atque ita eam pervertere. Hinc apparet, quomodo idea alicujus divinitatis existentis sit communis omnibus gentibus et velut inexterminabilis, sincerae autem notionis Dei perversio tam late pateat; apparet etiam, quare Patres pro existentia Dei appellaverint ad testimonium « animae simplicis, de trivio, non scholis eruditae, sed qualem natura formavit », nam « et natura pleraque suggeruntur quasi de publico sensu, quo animam Deus dotare dignatus est. Hunc nacta philosophia (abusu) ad gloriam propriae artis inflavit » (2).

---

(1) Naturae rationali insitam Dei ideam dicunt Patres « in quantum, ut loquitur S. Thomas (*super Boeth.* proem. q. 1. a. 3. ad 6.) per principia nobis innata de facili percipere possumus Deum esse » quod scilicet naturae insito lumine velut sponte concipiatur ex obvia rerum humanarum consideratione citra inquisitionem philosophicam et citra institutionem positivae revelationis; adeoque distinguunt *notitiam insitam* non ab acquisita simpliciter, sed tum a cognitione excultiori per diligentiores subtilioresque meditationes, tum maxime a cognitione perfectiori quae revelationi debetur. Hoc demonstratum contra Thomassinum, Klee, Staudenmair etc. videsis penes Franzelin th. VII et Stentrup th. I.

(2) Tertull. *de anima* c. 2.

ARTICULUS II.

De existentia Dei revelata et ideo fide credenda.

58. Prop: 5. **Existentia Dei utpote revelatione supernaturali manifestata est etiam veritas fidei propter auctoritatem Dei revelantis credenda.**

Demonstr. i. Quidquid vel explicite vel implicite in Dei locutione continetur, est obiectum fidei. Atqui doctrina de existentia Dei multipliciter in verbo Dei enuntiatur; ergo. Prob. *minor:* Enuntiatur: *a) implicite* sed *immediate* in quavis locutione et revelatione divina ex intrinseca ipsius locutionis natura; *b) explicite* et ex significatione verborum, sive cum se Deus ut aeternum, necessario existentem revelat (Exod. 3, 14. 15; Apoc. 1, 4. 8), sive cum praecipitur diserte: *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est et inquirentibus se remunerator sit.* (Heb. 11, 6.) Quo in textu animadvertas, sermonem esse de fide, quae justificationis sit fundamentum (Conc. Trid. sess. 6, cap. 6) adeoque de vera fide supernaturali, non vero de fide lato quodam sensu pro notitia et persuasione Dei aliunde quam ex revelatione derivata, hancque fidem praecipi ut in peculiarem veritatem distinctam ab aliis articulis fidei.

59. II. Primus fidei articulus, qui in symbolo proponitur, hic est: « Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium ».

60. *Obi.* Idem non potest evidenter sciri et credi: ergo existentia Dei, quae evidenter demonstratur, credi nequit.

Resp. Dist. antec.: Ex eodem motivo, *conc.*, ex diverso motivo, *neg.* Licet enim obiectum materiale sit unum idemque, ejus tamen *motivum formale* movens duplex est, unum ex *mediata evidentia* quae demonstratione enascitur, alterum ex *auctoritate* seu *testificatione* Dei. Duplici motivo seu cognoscibilitati duplex respondet cognitio, nam etiam actus cognoscitivus specificatur a suo obiecto formali, quod est cognoscibilitas rei. Insuper assensus uterque non modo motivo obiectivo, sed *principio* quoque *subiectivo eliciente* differt (n. 11).

61. Neque dicas, fidem esse « argumentum *(ἔλεγχος)* non apparentium » (Heb. 11, 1) ideoque locum habere non posse in iis, quae evidenter cognoscuntur. Etenim obiectum materiale sub illa ratione cognoscibilitatis, qua affectum est per auctoritatem Dei revelantis ei extrinsecam, est quidem certum non tamen evidens, atque adeo manet liber assensus; sub altera vero ratione cognoscibilitatis intrinseca, quatenus argumentis demonstratur, est quidem evidens, atque adeo assensus necessarius, non tamen sub illa creditur. Unde intelligis, hominem qui evidenter cognoscit Deum existere, non posse quidem negare existentiam Dei, posse tamen negare fidem in Dei existentiam, quia Deum esse locutum est quidem certissimum, sed non ita evidens, ut assensus vel dissensus non pendeat a libero voluntatis imperio.

62. *Obi.* 2. Cognitio Dei praerequiritur ad ipsum assensum fidei: ergo non potest fide credi.

Resp. Dist. antec.: Praerequiritur cognitio ex motivo evidentiae, *conc.;* ex motivo *auctoritatis* Dei, *neg.* Actus fidei in existentiam Dei tria haec complectitur elementa; primum: Deus est infinite verax; alterum: Deus revelavit existentiam suam; tertium: Ob auctoritatem Dei revelantis credendum est Deum existere. Primum et alterum continent indirecte affirmationem existentiae Dei; tertium eam complectitur directe affirmatam. Verum ex diverso motivo duabus prioribus affirmationibus assensum praebemus, quam illud est, quo ad tertiam determinamur. Illis assentimur ob motivum intrinsecum, quod scilicet inspectis characteribus totoque illo apparatu motivorum credibilitatis, quo locutio ut divina se sistit, seu inspecta locutione cum omnibus suis componentibus, *intelligimus*, hoc verbum esse Dei, adeoque ejus existentiam. Neque refert, quod assensus hic, quoniam ingreditur actum fidei, sit *subiective* supernaturalis, h. e. eliciatur viribus gratiae; motivum enim formale manet idem.

Huic vero assentimur ob motivum extrinsecum auctoritatis Dei, et hic tantum est actus fidei formalis. Iam vero, quum universim eidem veritati assensum mens praestare simul possit ex diverso motivo, nihil impedit, quominus speciatim idem fiat, quum de veritate agitur, cui adhaerere mens ex motivo extrinseco non valet, nisi prius ratione saltem et naturà, eidem ex motivo intrinseco adhaereat.

63. Ex his concludas, existentiam Dei non tantum, ut plerique tenent theologi, ab iis quibus ejus demonstratio non est evidens, sed etiam ab iis, qui demonstratione evidentem habent ejusdem cognitionem, credi posse et credendam esse.

CAPUT II.

De Dei essentia.

64. Quamquam Dei existentia *(an Deus sit)* cognosci non potest, quin in hac cognitione inclusa sit aliqua notitia ad essentiam Dei *(quid Deus sit)* pertinens, haec tamen accuratius expolienda est. In hunc finem agendum nobis est: 1.° de ratione, quid Deus sit, cognoscendi; 2.° de essentiae divinae notione; 3.° de ratione qua Deus est ens a se; 4.° de infinita Dei perfectione; 5.° de ejus unitate.

ARTICULUS I.

De ratione, quid Deus sit, cognoscendi.

65. Cum de ratione agitur, qua Dei essentiam pro modulo mentis nostrae cognoscere possumus, distingui debet cognitio *comprehensiva*, *intuitiva*, et *abstractiva* seu *mediata*. De unaquaque haec ex doctrina revelata tenenda sunt:

66. Prop. 6. **Deus comprehensiva cognitione absolute attingi non potest; neque ut in se est in mortali vita potest videri, sed tantum cognitione mediata et analogica, idque notionibus per affirmationem, negationem et eminentiam; quae Dei cognitio imperfecta quidem vera tamen est.**

Demonstr. 1. p. *Deus comprehensiva cognitione absolute attingi nequit.* Verbum *comprehendere* duplicem habet significationem. 1.° Significat idem ac assequi terminum, ut 1. Cor. 9. 24:

« *Sic currite ut comprehendatis* ». 2.° Significat idem ac cognoscere obiectum quantum cognoscibile est, ut hic. Igitur Dei cognitio comprehensiva ea est, quae perfecte adaequatur ejus cognoscibilitati, cognoscendo clare non solum ejus essentiam et omnes ejus perfectiones, sed etiam omnes gradus perfectionum virtuales, inter se virtualiter distinctos, et omnia ad quae ejus potentia ac virtus potest se extendere.

Sermo est de hac, de altera vita, de viribus naturae et gratiae, de qualibet creatura, adeoque hujusmodi comprehensio negatur de quocumque intellectu creato in quocumque statu.

Est contra Anomoeos ex Arianorum secta, Aetium et Eunomium secutos, qui jactabant se « Deum nosse sicut se ipsos, imo non tam seipsos quantum Deum, » et quidem *de fide*, ut liquet ex Conc. Later. IV. et Vatic. quae Deum simpliciter *incomprehensibilem* confitentur.

66. I. (Jerem. 32, 14): *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu;* (Eccl. 43, 32 sq.): *Glorificate Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc.... ne laboretis: non enim comprehendetis.*

67. II. SS. Patres Basilius, Gregorius Naz. et Nyss., Chrysostomus, Cyrillus Alex., Theodoretus, Epiphanius simulatque doctrina Anomoeorum in publicum prodibat, una voce eam non tantum haeresim, sed impietatem, insaniam, furorem et amentiam appellant, quibus nominibus sane indicant, Anomoeorum opinionem non modo fidei utcumque, sed fidei ubivis receptae, ac dogmati manifesto repugnare; absolutam namque incomprehensibilitatem Dei pro quavis mente finita principii instar habent, de quo dubitare nefas sit. (1)

68. III. Idem s. Thomas demonstrat hac ratione: Illud comprehenditur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile, scilicet totum et tali modo et tanta claritate cognoscitur, quanta est cognoscibilis. Atqui Deus non potest cognosci quantum est cognoscibilis: Ergo. *Prob. min.* Deus est actus infinitus, ergo est infinite et infinita claritate cognoscibilis, quum cognitio

---

(1) Cf. Patrum testimonia apud Stentrup th. 9, penes quem videsis hujus erroris originem polemicam.

sequatur actum. At nullus intellectus creatus potest infinite cognoscere, quia habet lumen finitum; ergo. (1)

69. *Obi.* Beati in coelo Deum intuitive videntes, vident totum Deum et omnes ejus perfectiones: ergo Deum comprehendunt.

Resp. Nego conseq. Quamvis enim totum Deum et omnes perfectiones, quae sunt formaliter in Deo, videant, non tamen vident nec videre possunt *totaliter*. Nam videre non possunt omnes gradus virtuales, puta, sapientiae, potentiae, utpote infinitos, alioqui haberent cognitionem infinitam, quod repugnat.

70. **Corollarium.** Ergo Deus est *ineffabilis* h. e. adaequate a nobis exprimi non potest. Cognitioni enim respondet *denominatio*, quare sicut est incomprehensibilis, ita est ineffabilis.

71. Demonstr. ii. p. *Neque ut in se est in mortali vita naturaliter potest videri.* — Agitur: 1.° de visione *intellectuali*, nam quod oculis corporeis, quantumvis glorificatis videri non possit, sententia est certissima ex Patribus et ratione. Omnis enim potentia sensitiva « est actus corporalis organi. Actus autem proportionatur ei, cujus est actus. Unde nulla hujusmodi potentia potest se extendere ultra corporalia. Deus autem incorporeus est. Unde nec imaginatione videri potest, sed solo intellectu » (2). — 2.° De visione i. e. de cognitione intuitiva et immediata *naturaliter* habenda in hac vita, nam in altera scimus ex revelatione hominem ad Deum videndum supernaturali lumine gloriae elevari juxta illud (I. Jo. 3, 2): *Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit, quid erimus, quoniam videbimus Deum, sicuti est.*

72. I. *a)* Paulus (Rom. 1, 20) docet Deum et omnia quae in Deo sunt esse *simpliciter invisibilia* et homini naturalem esse tantum visibilitatem Dei mediatam. — *b)* (I. Tim. 6, 16): *Beatus et solus potens.... qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit sed nec videre potest.* Deus ex infinita perfectione in se infinite cognoscibilis est, sed ex eadem ratione infinitae perfectionis fit, ut visio proprie dicta h. e. cognitio immediata Dei ut in se est, superet omnem intellectum qui est *extra hanc lucem*, h. e. omnem

---

(1) *Cont. gent.* l. 3. c. 55.
(2) 1. q. 12. a. 7.

intellectum creatum naturaliter cognoscentem: et ideo dicitur lux *simpliciter inaccessibilis.* Unde Paulus infert negationem non modo facti, sed etiam possibilitatis: *nemo hominum vidit sed nec videre potest.* — *c)* Visio Dei dicitur naturalis soli Deo, ita ut haec sit propria nota distinguens et character divinitatis. *Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (Io. 1, 18); *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (Matth. 11, 27); *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (I. Cor. 11, 11). Cum vero in alia serie testimoniorum tam Angelis quam hominibus revelatio, ut videbimus, vindicet visionem immediatam Dei tamquam finem ultimum et coronam et vitam aeternam, citatis testimoniis asseritur Deus invisibilis in se ipso *quoad naturalem facultatem omnis intellectus creati,* non vero potest intelligi exclusa visio per intellectum elevatum ad ordinem et modum intelligendi supernaturalem. *Naturaliter* ergo haec visio negatur, et *supernaturaliter* in altera vita conceditur. — *d)* Visio intuitiva seu aeterna beatitudo et vita exhibetur tamquam consummatio illius *deificationis* et *assimilationis ad Deum,* quae continetur fide et gratia sanctificante; atqui haec *deificatio* est, ut videbimus, omni creaturae indebita: ergo a fortiori et illius consummatio.

73. II. Patres contra Eunomianos, qui sibi vindicabant imprimis *immediatam Dei intuitionem* ex ipso naturali lumine rationis, tum vero hanc suam intuitionem propter simplicitatem *entis* infiniti asserebant esse perfectam *comprehensionem,* affirmant Deum in se ipso suaque substantia nec ab angelis nec ab hominibus *naturaliter* videri posse, sed soli sibi ipsi, Patri Filio Spiritui Sancto hujusmodi cognitionem esse *propriam,* cuius rei probationem omnes deducunt ex testimoniis paulo ante citatis, et ex ipso nostro cognoscendi modo atque natura.

Clemens V. in Conc. Viennensi hunc Beguardorum proscripsit errorem: « Quod quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriae, ipsam elevante, ad Deum videndum et eo beate fruendum. »

74. III. Quaecumque res cognoscitur, vel per se ipsam vel per aliam cognoscitur; omnis igitur cognitio vel immediata vel mediata est. Est immediata, si obiectum actu praesens secundum

propriam formam apprehenditur, et idea illud repraesentans dicitur *propria.* Est mediata, si non obiectum in se ipso sed in alio praecognito atque adeo secundum alienam formam intelligitur; et idea illud repraesentans dicitur *impropria*, quia a re aliena translata est, remque ipsam tantum secundum quandam proportionem et similitudinem, quam habet cum obiecto proprio, exhibet: qua de causa dicitur etiam *analogica.* Tales notiones improprias mens informat partim affirmando, partim negando. Sic animum concipimus affirmando perfectiones, quae sunt ei cum corpore aliqua ratione communes, ut substantiam, vitam, et negando imperfectiones corpori proprias, ut compositionem, extensionem, corruptionem.

Iam vero, cum, quidquid in Deo est, simplicissima ejus essentia sit; si Deus per se ipse ab hominibus cognoscitur, necesse est, ut essentia divina secundum formam propriam a mente humana apprehendatur. Hoc autem fieri non potest. Cognitio enim operatio vitalis est, qua cognoscens rem cognitam (per sui assimilationem) intra se imitando exprimit. Quum igitur operatio vitalis non possit non conformis esse naturae operantis, consequens est, ut intellectus non possit in se exprimere formam propriam nisi earum rerum, quae suae naturae respondeant. Quae cum ita sint, siquidem natura divina creatam naturam infinite excedat, sequitur, ut Deus a nulla creata mente, naturali quidem facultate, per se ipse cognosci possit.

75. Demonstr. III. p. *Sed tantum cognitione mediata et analogica in hac vita naturaliter cognosci potest.* — Hoc sequitur ex demonstrata secunda parte: si non ut in se est videri potest, remanet tantum ut mediate cognoscatur; inter immediatam enim et mediatam cognitionem nullum est medium. Igitur haec duo mutuo sese excipiunt, iisdemque argumentis et eadem occasione a Patribus vindicata sunt. Alterum tamen placet addere argumentum, quod ad doctrinae quoque declarationem nonnihil conferat.

76. Duplex in hac vita de Deo cognitio habetur; altera ex creaturis, in quibus tamquam in effectibus relucet potentia, bonitas et sapientia creatoris; altera per revelationem supernaturalem, quae nobis per Christum, Prophetas et Apostolos facta est. Atqui utraque est mediata et abstractiva: ergo. *Prob. minor: a)* De utraque affirmavit Apostolus (I. Cor. 13, 12): *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem,*

i. e. nunc non intuitive, sed obscure et abstractive. — *b)* Ex ipsa utriusque cognitionis consideratione. Etenim notiones perfectionum, puta, sapientiae, bonitatis etc. primum ex creaturis informamus, dein has, concludendo ab effectibus ad causam, ad Deum transferimus, qui propterea ideis aliunde derivatis non autem ex intuitione obiecti in se ipso formatis, adeoque non notionibus *propriis* concipitur. Et hoc valet non solum de naturali sed etiam de cognitione revelata, seu quando non jam per creaturas sed ab ipso Deo vel a Dei legatis extrinsecus verbo et doctrina proponuntur res ac veritates credendae, et intrinsecus gratia illuminat, excitat, et elevat ad supernaturalem fidem concipiendam. Hoc lumen gratiae internum per se non pertinet ad ipsos conceptus menti infundendos, sed supponit propositionem rerum credendarum extrinsecam indoli mentis humanae congruam. Nimirum verba res credendas proponentia, eo ipso quod intelliguntur, sunt non merus vocabulorum sonus sed signa idearum, quarum notiones aliquas in mente ex creaturis primitus derivatas praeexistere necesse est; secus enim nullam possemus ex revelatae doctrinae propositione concipere rerum ideam, et proinde nullum praestare consensum explicitum in veritatem propositam. Sic dum docetur Pater, Filius, Spiritus Sanctus unus Deus, una deitas et tres inter se distincti, qui et singuli et tres simul sunt unus Deus; praesupponuntur in mente nostra notiones multiplices saltem confusae perfectionum, sine quibus Deus concipi non potest, tum notiones essentiae, personae, generationis seu originis unius ab altero, identitatis, distinctionis etc., sine quibus mens non poterit et quibus praehabitis poterit efformare aliquem saltem confusum conceptum rei ad credendum propositae.

Itaque est quidem cognitio Dei, quae per fidem et revelationem habetur, illà naturali per creaturas longe superior; attamen divinae essentiae visione est longe inferior, et quoad efformationem notionum quibus Deum concipimus non differt a cognitione naturali; utrimque enim conceptus sunt efformati ex praeintellectis perfectionibus, ut sunt in creaturis, atque adeo utrimque cognitio est mediata et derivata (1).

---

(1) Discrimen est tantum in hoc quod in veritatibus rationalibus de Deo quoad conceptus ipsos progredimur per viam *causalitatis*, qua intelligimus

77. Ex hoc vero duo sequuntur:

1.° Cognitionem nostram de Deo omnem esse *analogicam*. Cum ex una parte creaturae divinam virtutem non adaequent, ex altera vero quandam participent causae perfectionem etsi non secundum eandem rationem uti est in ipsa causa, sed inferiori modo; hinc earum perfectiones neque ejusdem cum causa sunt rationis *(univocae)*, neque plane diversae *(aequivocae)*, sed partim differunt a perfectionibus divinis, partim similes eisdem sunt. Atqui conceptus, qui pluribus non eadem neque diversa plane ratione conveniunt, seu qui eandem formam sed non secundum eandem rationem exprimunt, *analogi* appellantur: ergo (1).

---

de Deo, *quia est;* tum per viam *negationis* et *supereminentiae,* qua paulo distinctius concipimus, *quid est,* quamvis solum *analogice* et non *proprie*, ut Deus in se est. At in veritatibus superrationalibus locus non est conclusioni ab effectibus ad causam, et ideo pro via *causalitatis,* ibi necessaria est positiva revelatio per verbum Dei, sine qua ad illos conceptus numquam pertingeremus. Quia vero revelatio modum cognoscendi nobis connaturalem non immutat, ipsamet exhibet perfectiones ac internas relationes Dei superrationales secundum analogiam et ex analogia notionum rationalium, quas ex creaturis praeconcepimus. Quare supposita revelatione (sicut in rationalibus supposita *via causalitatis),* possumus jam uti et necessario utimur via negationis et supereminentiae ad aliquem superrationalis veritatis seu obiecti revelati distinctiorem analogum conceptum, *quid sit.*

(1) Terminus *aequivocus* est qui de pluribus dicitur diversa omnino significatione, ut cum fera et astrum *ursus* dicitur. Hic terminus materialiter communis est, conceptus est diversus. — *Univocus* est qui pluribus eadem ratione convenit, ut *homo* de Socrate et Platone, *vis sensitiva* in homine et in bruto. — *Analogus,* qui pluribus sed non eadem ratione. Hoc vero duplici praecipue modo fieri potest. Aut enim quod nomen significat, in solo illo uno inest formaliter, ut cum homo et cibus et color et medicamentum sanum dicitur; sanitas enim formaliter non inest nisi in homine. Aut quod nominatur, in omnibus quidem reperitur formaliter, sed in uno primo et tamquam in principio, in reliquis secundario et sic, ut pendeat ex illo: sicut ens praedicatur de substantia et accidente, et humanitas de ipso homine variisque moribus et institutis.

Iam vero ratio entis et perfectiones non praedicantur de Deo et creaturis *univoce* sed *analogice,* quia insunt quidem utrique termino, sed non eadem prorsus ratione sed diversa, atque ita ut plenissime insint infinito, diminute finito; atque infinito per se insint, finito autem propter aliud, h. e. propter ipsum infinitum. Praeter hanc *dependentiae* rationem, adest et alia ratio analogiae, nempe *similitudinis:* ita sapientia dicitur de Deo et homine, quae quamvis diversae sint, tamen proportionaliter se habent: homo enim sua sapientia gubernat, disponit et cognoscit sicut Deus sua. Et haec similitudo non consistit tantum in proportione extrinseca, sicut inter leonem et hominem fortem, sed in similitudine ipsius formae seu essentiae. Sapientia enim, esse, vivere

78. 2.° Notionibus *multiplicibus* nobis opus esse, ut Deum, quid sit, quadamtenus intelligamus. Perfectiones enim creaturarum, ex quibus intelligimus Deum, quid sit, sunt multiplices; et licet singulae adumbrent ex parte perfectionem causae exemplaris et efficientis, non tamen singulae nec omnes simul Deum adaequate exprimunt. Multiplicibus perfectionibus multiplices respondent conceptus, multiplicibus conceptibus multiplicia nomina, sed sicut illi deficiunt ab adaequata cognitione, ita haec ab adaequata significatione.

79. **Corollarium.** Ergo falsa est Ontologistarum sententia immediatam Dei visionem jam hac in vita sibi vindicantium. Provocant ipsi quidem ad s. Augustinum, verum immerito; nam Augustinus Deum lumen rerum cognoscendarum et lumen mentium *exemplariter* et *efficienter* non autem *formaliter* esse docuit, unde quod dixit omne verum a nobis cognosci in incommutabili veritate et in rationibus aeternis, id non de medio cognitionis sed de causa luminis intellectualis intelligendum est (1).

---

etc. non tantum metaphorice sed vere, proprie et essentialiter tum de Deo tum de creaturis enunciatur.

(1) « Id quod per animam cognitum est, (ita Augustinum interpretatur s. Thomas c. g. l. 3. c. 47), verum est, in quantum illius divinae veritatis, quam Deus cognoscit, *similitudo quaedam existit in ipsa.* Unde et glossa super illud Psalmistae (11, 2) *Diminutae sunt veritates a filiis hominum* dicit: Quod sicut ab una facie resultant multae facies in speculo, ita ab una prima veritate resultant multae veritates in mentibus hominum. Quamvis autem diversa a diversis cognoscuntur et creduntur vera, tamen quaedam sunt vera, in quibus omnes homines concordant, sicut sunt prima principia intellectus tum speculativi tum practici, secundum quod universaliter in mentibus hominum divinae veritatis quasi quaedam imago resultat. In quantum ergo quaelibet mens quidquid per certitudinem cognoscit in his pincipiis intuetur, secundum quae de omnibus judicat facta resolutione in ipsa, dicitur omnia in divina veritate vel in rationibus aeternis videre et secundum eas de omnibus judicare. » Et alibi 1. q. 88. a. 3. « In luce primae veritatis omnia intelligimus in quantum lumen intellectus nostri sive naturale sive gratuitum nihil aliud est, quam quaedam impressio primae veritatis..... Unde cum ipsum lumen intellectus nostri non se habeat ad intellectum nostrum *sicut quod* intelligitur, sed sicut quo intelligitur, multo minus Deus est id, quod primo a nostro intellectu intelligitur » vel « Propter Deum alia cognoscuntur non sicut primum cognitum, sed sicut propter primam cognoscitivae virtutis causam. »

Hujus erroris radix in eo est, quod ens infinitum non satis distinguitur ab illo esse, quod rebus omnibus commune inesse concipimus. Huc spectant notae illae septem propositiones, quas. Suprema s. Officii Congregatio die

80. DEMONSTR. IV. P. *Idque notionibus per affirmationem, negationem et eminentiam.* — Cognitio haec nostra derivata, praeeunte Scriptura (1) et Patribus constituitur et perficitur triplici elemento: *affirmationis* perfectionum, quarum ideam ex Dei operibus concipimus; *negationis* imperfectionum, quibus afficiuntur sive creaturae etiam perfectissimae, sive ipsae obiectivae nostrae ideae etiam perfectionum simpliciter simplicium; *eminentiae* sive *excessus (καθ' ὑπεροχήν) superelevando* nempe in infinitum quidquid sive affirmando sive negando, de Deo praedicamus.

Tres hujusmodi cognoscendi rationes, *αἰτιακός, ὑπερβολικός, ἀποφατικός* ut dicunt Patres, seu, ut loquitur s. Thomas (2), *ex omnium causa et excessu et ablatione,* non sunt adaequate distinctae, sed in singulis quodam modo coniunctae, dum semper una ratio *directa* reliquas duas includit in *obliquo.*

---

18 Sept. 1861 pronunciavit « tuto tradi non posse. » Sunt autem sequentes: 1. Immediata Dei cognitio, habitualis saltem, intellectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit, siquidem est ipsum lumen intellectuale. 2. Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est Esse divinum. 3. Universalia a parte rei considerata a Deo realiter non distinguuntur. 4. Congenita Dei tamquam entis simpliciter notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens. sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus. 5. Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tamquam ens simpliciter intelligitur. 6. Res creatae sunt in Deo tamquam pars in toto, non quidem in toto formali sed in toto infinito, simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit. 7. Creatio sic explicari potest: Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tamquam distinctum a determinata creatura, homine v. g., creaturam producit.

Huc pariter referuntur decem priores inter quadraginta propositiones ex posthumis praesertim libris A. Rosmini excerptas, quas Suprema Congregatio Inquisitionis decreto *Post obitum* 14 Decemb. 1887 in proprio auctoris sensu damnavit. Generatim Rosminius nimis in hac vita, nimis parum in altera (cf. prop. 38, 39 et 40) cognitionis Dei hominibus concedit.

(1) *Via causalitatis* indicatur Ps. 93, 8; Rom. 1, 18; *negationis* Is. 40, 12; *excellentiae* Sap. 13, 3; Matth. 7, 11.

(2) *In Boet. de Trin.* q. 1. a. 2. — *De potent.* q. 7. a. 5. hoc ita enuntiat: « Tripliciter ista de Deo dicuntur: primo quidem *affirmative* ut dicamus, *Deus est sapiens,* quod quidem de eo oportet dicere propter hoc, quod in eo est similitudo (exemplar) sapientiae ab eo fluentis; quia tamen non est in Deo sapientia, qualem nos intelligimus et nominamus potest vere negari, ut dicatur, *Deus non est sapiens.* Rursum quia sapientia non negatur de Deo, quia ipsa deficiat a sapientia sed quia supereminentius est in ipso quam dicatur aut intelligatur, ideo oportet dicere, quod *Deus est supersapiens.* »

81. DEMONSTR. V. P.: *Quae Dei cognitio imperfecta quidem, vera tamen est.*

1°. *Est imperfecta.* Deum non immediate ut in se est, sed mediate ex alio praecognito et pro ratione, qua in ipso sese manifestat, ad ipsumque refertur, cognoscimus. Atqui Deus non nisi imperfecte in hoc alio sese manifestat; cum creaturae, quae sunt ejus manifestationes, deficiant a plenitudine causae *(effectus aequivoci non univoci)*: ergo.

82. 2°. *Est tamen vera.* Perfectiones, quas in Deo esse affirmamus, Deo revera competunt, etsi modus, quo a nobis concipiuntur, sit alius a modo quo in se sunt; si igitur eas affirmantes, modus tamen non affirmatur, imo, affirmando eas esse in Deo longe eminentius, affirmatur modus quo existunt, etsi confuse tantum apprehensus, h. e. modus infinitus; profecto conceptus noster est verus et judicium respondet suo obiecto. Atqui ex demonstratis ita res se habet: ergo.

83. **Corollarium** 1. Ergo quid sit Deus, quodammodo scimus et nescimus: nescimus cognitione adaequata et propria repraesentante ipsum prouti est, sive modum, quo ipse est; scimus inadaequate cognitione analoga sed distincta.

84. **Corollarium** 2. Ordine logico prius concipimus perfectiones in creaturis quam in Deo; contra ordine ontologico perfectio primum et principaliter est in Deo, quam in creaturis. Nostra enim cognitio est ex creaturis, sed realitas creaturarum est a Deo. Hinc etiam nomina « quantum ad *rem significatam,* scribit s. Thomas, per prius dicuntur de Deo quam de creaturis, quia a Deo hujusmodi perfectiones in creaturas manant; sed quantum ad *impositionem nominis,* per prius imponuntur creaturis, quas prius cognoscimus. Unde et modum significandi habent, qui competit creaturis » (1). Rationem hujus rei s. Thomas exponit (l. c. a. 3): « Deum cognoscimus, inquit, ex perfectionibus procedentibus ab ipso, quae quidem perfectiones in Deo sunt secundum *eminentiorem modum,* quam in creaturis, intellectus autem noster apprehendit eas, secundum quod sunt in creaturis; et secundum quod apprehendit, ita significat per nomina. In nomi-

---

(1) 1. q. 13. a. 6. — De tota hac quaestione relate ad modum cognoscendi quid Deus sit, legas Monsabré op. cit. Confer. 2.

nibus ergo, quae Deo tribuimus, est duo considerare, scilicet *perfectiones ipsas significatas,* ut bonitatem, vitam et hujusmodi, et *modum significandi.* Quantum igitur ad *id, quod significant* hujusmodi nomina, *proprie* competunt Deo, et *magis proprie,* quam ipsis creaturis, et per prius dicuntur de Deo. Quantum vero ad *modum significandi, non proprie* dicuntur de Deo, habent enim modum significandi, qui creaturis competit ».

ARTICULUS II.

De divinae essentiae notione.

85. Essentia seu natura est id, quo res constituitur in certo entium ordine. Proprietates illius rei ut sunt in se independenter a mentis conceptu constituunt ejus essentiam *physicam:* ita in Deo essentia physica est cumulus omnium perfectionum, vel potius res una summa et perfectissima. Si vero inter illa elementa constitutiva unum mente apprehendimus, ex quo tamquam e radice cetera profluant, illud vocari solet essentia *metaphysica.* Attamen animadvertendum est, nullam, cum agitur de Deo, in quo omnia unum sunt absoluta simplicitate, admitti posse, secus ac in creatis, distinctionem inter essentiam physicam et metaphysicam. Quare quaestio de essentia Dei metaphysica eo redit, non ut inquiratur, quodnam sit in Deo principium reale omnium perfectionum, sed ex diversis attributis quodnam nobis tamquam *primum, distinctivum ab aliis,* et ceterorum *fons et origo* concipiendum sit.

86. Quaenam vero sit nota haec fundamentalis, non una est omnium sententia. Inter Thomistas nonnulli opinantur, eam sitam esse in *intellectione actuali;* Scotistae in *infinitate radicali;* recentiores vero plerique, quos et reliqui Thomistae sequuntur, in ratione *entis a se*, seu in *aseitate*, *αὐτουσία.* Nos huic scholasticae quaestioni haud diu immorabimur, sed, paucis de ea in fine sequentis articuli delibatis, ex doctrina revelata essentiae divinae conceptum adumbrabimus, ea proponentes, quae secundum nostrum concipiendi modum, non solum primum in Deo apprehendimus, sed ratio quoque esse possunt, ex qua cetera de Deo ratiocinando colligamus.

ARTICULUS III.

De ratione qua Deus est ens a se.

87. Prop. 7. **Deus est ens a se.**

Declar. Ens a se non dicitur efficienter, nam repugnat aliquid se ipsum producere, sed formaliter, quatenus habet ex proprio fundo et ex sua essentia necessitatem absolutam et plenissimam sufficientiam ad existendum independenter a causa producente et conservante. Natura itaque Dei est *ipsum esse actu,* sicut dicitur animal rationale hominis natura. Si autem Deus se ipso atque adeo vi suae assentiae est, sequitur ut haec essentia sit ipsum *esse subsistens.* — Quod nos ad negandam causam, a qua sit, et ad affirmandam *actualis esse* necessitatem dicimus *ens a se,* alii *ens necessarium, primum, independens, absolutum* denominare solent, quae nomina idem sub alia forma exprimunt.

88. Demonstr. i. *a)* (Exod. 3, 14, 15): *Ait Moyses ad Deum: ecce ego vadam ad filios Israel, et dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysen: Ego sum qui sum (ἐγω ἔιμι ὁ ὤν). Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos* (1). Praedicatum *qui sum* enuntiat de subiecto *Ego,* quid sit. Aequivalet ergo sententia huic alteri: Ego sum *ipsum esse;* ergo ipsum esse enuntiatur a Deo tamquam sua quidditas seu essentia. De essentia creaturae est tantum obiectiva possibilitas, non autem existentia seu *esse;* hoc enim essentiae creaturae per causam efficientem supervenit. At quia in Deo essentia est ipsum *esse,* non magis potest concipi essentia Dei in statu possibilitatis et citra *esse* actuale, quam essentia oreaturae in statu impossibili-

---

(1) Inter decem Dei nomina, quae s. Hieronymus ep. 25 ad Marcellam enumerat *El, Elohim, Eloe, Sabaoth, Elim, eser, ieje, Adonai, Ia,* praecipuum est illud, quod ab hebraicis literis (Iod He Vau He) *τετϱάγμματον* vocari solet, quodque latini ex longo jam tempore *Jehovah* scribere consueverunt. Cetera transferuntur aliquando ad significandos homines vel angelos, hoc vero utpote designans ipsam Dei essentiam est prorsus *incommunicabile.* Propter eandem rationem erat Judaeis etiam *ineffabile,* et cum illud pronuntiare verentur, legendo divinas scripturas ei aliud nomen *Dominus, Adonai,* vel *Deus,* substituerunt, quem quidem morem Vulgata nostra etiam scribendo secuta est.

tatis; sicut enim obiectiva possibilitas ingreditur ipsam essentiam creaturae; ita ipsum *esse* actuale est essentia ejus qui dicit: *Ego sum* qui sum. — Porro *esse* hoc, quo continetur essentia Dei, non est *esse* in communi, ut est nota simplicissima opposita non enti seu nihilo, sed necessario est *esse* subsistens, *singulare, determinatum, personale;* nam primo Deus *esse* indicavit tamquam illud, quod ita sibi proprium sit, ut ipsum a ceteris rebus, quaecumque sint, discernat, ens autem commune est maxime indeterminatum; et secundo constat quoque forma personali non modo subiecti *Ego* sed et praedicati *qui sum;* non enim est indefinitum *ὂν* sed personalis *ὁ ὢν,* est *ὁ αὐτος.*

b) Textus allati sive periphrasis sive declaratio est illud (Is. 41, 4): *Ego Dominus, et primus et novissimus ego sum;* et (Apoc. 1, 8): *Ego sum a et ω, principium et finis, dicit Dominus, qui est, qui erat et qui venturus est omnipotens.*

89. II. Ideo nomen *ὁ ὢν* tamquam proprium sibi vindicat Deus, « quia, ut ait Hieronymus, cetera ut sint, Dei sumpsere beneficio; Deus vero semper est, nec habet aliunde principium, et ipse sui *origo* est, suaeque *causa* substantiae » (1); et, sicut docent Hilarius et Ambrosius, « quia Deus non potuit aut poterit aliquando non esse » (2).

90. III. Idem hac ratione probat s. Thomas: « Quidquid est in aliquo, quod est praeter essentiam ejus, oportet esse causatum vel a principiis essentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem et causatur ex principiis essentialibus speciei, vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne. Si autem ipsum esse rei, sit aliud ab ejus essentia, necesse est, quod esse illius rei vel sit causatum ab aliquo exteriori vel a principiis essentialibus ejusdem rei. Impossibile est autem, quod esse sit causatum tantum ex principiis essentialibus rei; quia nulla res sufficit, quod sit sibi causa essendi si habeat esse causatum. Oportet igitur, quod illud, cujus esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio; hoc autem non potest dici de Deo: quia Deum dicimus

---

(1) *In Ephes.* 3, 14.

(2) Hilarius *de Trin.* l. 1. c. 5; Ambrosius *in Luc.* l. 10. c. 23. — Patres hanc doctrinam ex locis citatis declarantes cf. apud Franzelin th. XXIII et Stenstrup th. 12.

primam causam efficientem. Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud esse et aliud ejus essentia » (1).

91. Scholion. Cum nomen Dei *Jehovah* ad hoc revelatum fuerit, ut quid sit Deus sive divina essentia, meliori, quo a nobis capi potest, modo significaretur; ejus autem nominis haec sit vis ut Deum declaret esse *ens a se*, merito in hoc ejus essentia metaphysica collocanda videtur. Quod et ratione suadetur, cum nota *entis a se* prima a nobis, Deum ab omnibus distinguens et radix omnium, quae in ipso insunt, concipiatur.

ARTICULUS IV.

De infinita Dei perfectione.

92. Prop. 8. **Deus est infinite perfectus.**

Declar. Conceptus infiniti in perfectione eo redit, ut neget omnes imperfectiones, ideoque et limites perfectionum et affirmet omnium perfectionum in gradu infinito plenitudinem, quae proprietas infinita perfectio vel *infinitudo* vocatur.

Perfectio duplex distinguitur: *simplex* et *secundum quid* seu *mixta*. Perfectio simplex est ea, quae non excludit aliam perfectionem, seu quae est melior ipsa quam non ipsa; mixta, quae excludit a sui consortio aliam perfectionem, seu quae non est melior ipsa quam non ipsa, ut esse corpus, rationale etc.

Perfectio tribus modis enti inesse potest: *formaliter, virtualiter* et *eminenter*. Formaliter, si inest secundum se et propriam naturam et definitionem; eminenter, si loco eius inest perfectio praestantior, in qua, sicut numus argenteus in auro, inferior illa continetur; virtualiter, si loco ejus inest perfectio nobilior, quae inferiorem illam producere, vel idem quod illa praestare potest.

93. Demonstr. I. *a)* Ex Exodi loco citato in superiori propositione constat, Deum esse ipsum *Esse* actu. Omnis vero perfectio est secundum aliquam virtutem *essendi*, ita ut prout contrahitur *esse* ad aliquam speciem v. g. *esse vivens*, contrahatur et perfectio. Quidquid ergo *Esse perfecti* seu absolutae perfectionis concipi

(1) 1. q. 3. a. 3.

potest, id totum sit ille oportet, cujus essentia est *Esse* subsistens non secundum gradum aliquem, sed simpliciter et ideo sine limite. Sicut albedini si subsisteret, nihil albedinis deesse potest; ita ei, qui est ipsum *Esse,* entitatis i. e. perfectionis deesse nihil potest. — *b)* (Ps. 144, 3): *Magnus Dominus et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis ;* (Baruch 3, 25): *Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus.* Haec et similia de absoluta magnitudine i. e. de perfectione infinita intelligenda sunt ita ut nihil majus cogitari possit, etiamsi quis sine fine majora et majora animo concipiat. Si enim aliquid majus cogitari posset, jam respectu illius non magnus esset Deus, sed parvus, adeoque non absolute et perfectissime magnus, ut Scriptura intendit, sed solum respectu aliquorum: neque verum esset, *quod ejus magnitudinis non est finis.* Idem insinuatur, cum Deus dicitur *omnipotens;* si enim omnia potest, omnia in ipso continentur, omnisque rerum perfectio in ipso praeexistit (1).

94. II. Patres, Deum esse plenitudinem omnis perfectionis, praecipue praedicant, dum significationem nominis « *Qui est* » illustrant. S. Gregorius Naz.: « Hoc nomine ipse seipsum appellavit, cum Moysen alloqueretur in monte. Totum enim in se ipso complectitur Esse, quod nec principium habet, nec finem habebit, quasi pelagus quoddam essentiae infinitum et immensum, omnem et naturae et temporis rationem transcendens (2) ». Dionysius nomen illud Dei illustrans dicit, quod ipse « non quadamtenus est ens, sed simpliciter et infinite totum in se Esse complectitur » (3). S. Bernardus ex illo ceteras hoc modo colligit perfectiones: « Quis est Deus? Non sane occurrit melius, quam *qui est....* Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est *Est.* Nempe hoc est ei esse, quod haec omnia esse: si et centum alia addas, non recessisti ab *Esse.* Si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti » (4).

95. **Corollarium** 1. Omnes perfectiones creaturarum Deo insunt:

---

(1) Lessius *de perf. div.* l. 1. c. 3. — (2) *Or.* 42. al. 45. n. 3. — (3) *De Div. Nom.* c. 5. §. 4.

(4) *De consid.* l. 5. c. 6. — Nec minus egregie s. Bonaventura in *Itinerario mentis* c. 5: « Volens igitur contemplari Dei invisibilia quoad essentiae unitatem, primo defigat aspectum in ipsum *Esse,* et videat ipsum

simplices *formaliter,* quin tamen, ut fit in nobis, coarctentur a subiecto; mixtae, ut vis ratiocinandi et corporeae perfectiones, *virtualiter* et *eminenter*, quia intelligentia sua vim ratiocinandi supplet, et potentiae suae virtute corpora producere eorumque effectus praestare perfectius potest. Neque hoc adversatur infinitae Dei perfectioni, nam haec non significat ipsum esse formalem perfectionem omnium quae sunt, sed nullam esse neque existentem neque possibilem perfectionem, quae etiam in ipso ratione infinite excellentiori non reperiatur. Infinita enim perfectio nexa est cum necessitate essendi: unde non modo non identificatur cum perfectionibus contingentibus, sed has necessario secundum earum realitatem excludit.

96 **Corollarium.** 2. Ex dictis sequitur Deum esse *actum purum.* Quod ut intelligas, adverte, actum opponi potentiae, ut id actu dicatur, quod est; id potentia, quod non est, sed esse potest. Porro multiplex est in rebus potentia, ad esse v. g., ad augmentum, ad perfectionem, ad locum ect., et consequenter multiplex actus. Cum vero Deus infinitae sit perfectionis, nullam habet potentiam ad majorem entis perfectionem, nihilque potentialitatis receptivae, unde est actus purus, et ex hoc vicissim bene colligitur, quod sit infinitae essentiae (1).

Esse, adeo in se certissimum, quod non potest cogitari non esse, quia ipsum *Esse* non occurrit nisi in plena fuga *(τοῦ)* non esse, sicut et nihil (scil. occurrit) in plena fuga *(τοῦ)* esse. Sicut igitur omnino *nihil* nihil habet de esse nec de ejus conditionibus, sic e contra ipsum *Esse* nihil habet de non esse nec actu nec potentia, nec secundum veritatem rei, nec secundum aestimationem nostram..... Vide igitur purissimum *Esse,* si potes, et occurret tibi, quod ipsum non potest cogitari ut ab alio acceptum, ac per hoc necessario cogitatur ut omnimode primum, quod nec de nihilo, nec ab alio potest esse. Quid enim est per se, si ipsum *Esse* non est per se nec a se? Occurret etiam tibi ut carens omnino *(τῷ)* non esse, ac per hoc nunquam incipiens, nunquam desinens, sed aeternum. Occurret etiam tibi ut nullo modo in se habens nisi quod est ipsum *Esse,* ac per hoc ut cum nullo compositum, sed simplicissimum. Occurret etiam ut nihil habens possibilitatis, quia omne possibile aliquo modo habet de non esse, ac per hoc ut summe actualissimum. Occurret et nihil habens defectibilitatis, ac per hoc ut perfectissimum. Occurret postremo ut nihil habens diversificationis, ac per hoc ut summe unum. *Esse* igitur, quod est *Esse* purum et *Esse* simpliciter et *Esse* absolutum, est *Esse* primarium, aeternum, simplicissimum, actualissimum, perfectissimum et summe unum. Et haec sunt ita certa, quod non potest ab intelligente ipsum *Esse* cogitari horum oppositum, et unum horum necessario infert aliud. »

(1) Toletus *Enarrat. in Summam* 1. q. 3. a. 4.

97. *Obi.* Infinitum non est amplius infinitum, si potest esse aliquid ipso majus; atqui infinitum simul cum entibus finitis est aliquid majus ipso solo infinito: ergo si Deus formaliter non continet omnes res, non est infinitus.

Resp. Infinitum non est amplius infinitum, si aliquid ipso majus esse posset, *dist.* h. e. si aliquid majus quoad valorem perfectionis, *conc.,* si aliquid majus quoad numerum perfectionum, quae infinite ab eo distent, *neg.* Atqui infinitum simul cum entibus finitis est ipso aliquid majus, *contrad.* quoad valorem perfectionis, *neg.,* aliquid majus quoad numerum perfectionum, *subd.* quae sunt in eo eodem ordine cum Deo, *neg.,* quae a Deo infinite distant et cum eo connumerari non possunt, *conc.*

Si creata cum Deo in unum coniungi possent, hoc totum potius minus bonum esset Deo solo, ut vinum aqua mixtum vino puro. Et ratio est quia *ens divinum* et *ens partecipatum* in ipsa suprema ratione *entis* omnino differunt, atque adeo connumerari non possunt. Dari quidem potest praeter Deum plus entis partecipati, at non plus perfectionis, cum quidquid sit perfectionis in ente partecipato, in Deo eminenter et virtualiter contineatur. Si enim aliquis bene varieque doctus conferatur cum pluribus suis discipulis, qui nihil noverunt nisi grammaticalia, eaque non plus eo didicerint: ipse simul cum istis discipulis, sunt plures scientes, sed non est aliquid doctius, quam sit solus. Et quando unus habens visum perspicacem videt omnia quae illi habentes visum imbecilliorem vident, sunt plures videntes, non tamen omnes simul vident plura quam ipse solus videat.

Inst. Licet numus aureus contineat argenteum, tamen est aliquid majus quoad valorem numus aureus simul cum argenteo, quam solus aureus: ergo a pari etc.

Resp. neg. paritatem. Nam numus aureus continet solum aliquem numum argenteum et indeterminate; cum ergo non aequivaleat omnibus, nullumque determinet, quicumque numus argenteus addatur, habebitur semper major valor. Quod si ille numus aureus aequivaleret omnibus etiam possibilibus numis argenteis; tunc profecto additione argenteorum augeretur quidem numerus numorum, non autem valor. Quod autem in numis ceterisque rebus repugnat, competit Deo.

Scholion i. Identitas Entis absoluti, quod Deus est, et entis transcendentalis, quod in omnibus, quae sunt et intelliguntur, intime et essentialiter includitur, sicut fundamentum erat theoriae Eunomianae de simplicitate Dei et de intuitione essentiae divinae, ita principium est, cui nititur cujuscumque formae pantheismus. Verum post ea quae de essentia divina disseruimus, haud erit difficile, infinitum agnoscere discrimen, quod inter utriusque notionem intercedit. Ens commune est maxime abstractum et qua tale in solo ordine logico existens, Ens absolutum est maxime concretum et qua tale in ordine reali necessario existens; illud est universalissimum, hoc essentialiter singularissimum; illud indeterminatum et intensione perfectionis omnium minimum, hoc summe determinatum et perfectionis intensione infinitum; illud est simplex per abstractionem, hoc est simplex per absolutam perfectionem; illud negatio non entis, hoc totius entis plenitudo (1).

98. Scholion ii. Cum doctrina hucusque exposita pugnat *Pantheismus (πᾶν θεὸς)*, qui essentiale discrimen inter Deum et mundum auferens omnia Deum esse affirmat. Ad tres formas revocari potest. *Prima* est *emanatio transiens*, qua res omnes e divina substantia ut filum ex aranea sive ut rivus e flumine prodiisse concipiuntur. Sub hac forma, quae divinam substantiam divisibilem facit, se prodit praecipue apud Indos, Aegyptios et Persas, initio aerae christianae apud Gnosticos, qui illum cum dualismo jungebant, media vero aetate scientifice expolitus apud Scotum Erigenam saec. IX, et Jordanum Brunum saec. XVI. — *Altera* forma est *evolutio immanens realis*, qua unum ens, una statuitur substantia infinita, cujus quaecumque sunt entia, non sunt nisi manifestationes sicut v. g. actus intellectionis et volitionis sunt manifestationes animae, vel evolutiones sicut e. g. planta est explicatio et evolutio seminis. Talis est pantheismus Pithagorae e schola Ionica, Neoplatonicorum, et saec. XVII Benedicti Spinosae, qui unicam docet esse substantiam duabus fretam proprietatibus extensione scilicet et cogitatione, quidquid vero existit, illius substantiae, secundum unum aut alterum modum, affectiones esse. — *Tertia* forma est ea,

(1) Cf. Stentrup. th. 13 et Sala *Inst. Theol. dogmat.* II. th. V.

quae cum pantheismo idealismum consocians, omnia ad *evolutionem idealem absoluti* revocat. Talem pantheismum logicum obtinentem jam apud Indos et in schola Eleatica, nostris temporibus, ex Kantii principiis, praesertim Fichte, Schelling et Hegel absurditatum apicem attingentes proposuerunt. Ita res sese habere videtur. Mens nostra ab idea universalissima et indeterminata entis per additionem notarum determinantium sibi efformat conceptus generum, specierum et individuorum. Ordinem ontologicum fac nunc identicum esse ordini logico, resque existere in ordine reali non esse nisi apparere in cognitione sive cognosci, ut consequitur ex formalismo Kantiano; finge nempe ens istud indeterminatum reale esse, et quemadmodum in ordine logico processus fit ab indeterminatione ad determinationem, ab una determinatione ad aliam, ita quoque se explicare et augeri ens reale: et sic habebis notionem processus Hegeliani. In hoc transitu entis indeterminati ad continuas et necessarias determinationes id quod reale est et positivum, est relatio inter duos terminos; hi vero realitatem non habent nisi in ipsa relatione, in qua uniuntur. Haec relatio est ipsum *fieri* successivum h. e. transitus a non esse determinationis ad esse determinationis; atque ista relatio est Idea, quae est ens simul et nihil, quia quod fit, dum fit, neque est quod fit neque non est, sed ex parte est et ex parte non est. Idcirco essentia Ideae et cujusque rei est contradictio. Porro unicum est ens, quod successive fit, donec ad absolutam perfectionem perveniat: hoc autem ens est Deus; Deus ergo est in fieri.

99. Pantheismum, qui est praecipua haeresis nostrae aetatis, in sua notione generica continentem fundamentalem doctrinam omnibus formis communem damnavit Conc. Vatic. sess. 3. c. 3: « Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; a. s. »; triplicem vero ejus formam can. 4: « Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse; aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia; aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam, a. s. »

100. Ad ejus refutationem vero sufficiat pro scopo nostro haec

animadvertisse. 1.° Ejus essentia eo redit, ut *unica* admittatur substantia (1), quapropter et *Monismus* appellatur, cujus creaturae sint emanationes, diffusiones, evolutiones, explicationes, modificationes, apparitiones, limitationes, contrapositiones. Atqui hoc repugnat: ergo.

Prob. minor. a) Repugnat ut eadem substantia sit simul infinita et finita, absolute perfecta et imperfectionibus scatens, a sese necessario existens et contingens, corpus simul et spiritus, docta et indocta prae eadem re, virtuosa et vitiosa, volens idem et nolens. — *b)* Doctrina de unica substantia repugnat experietiae externae et sensui intimo. Illa enim exhibet innumera corpora inter se distincta, proprietatibus oppositis praedita, quaeque proinde diversas constituunt substantias. Sic existunt entia v. g. rotunda et quadrata; atqui haec manifeste sunt substantiae; nam rotunditas modus est, qui non potest esse nisi in subiecto, ita etiam figura quadrata: subiectum autem modi nequit esse idem subiectum utriusque figurae, quia nequit idem esse simul rotundum et quadratum. — Sensus vero intimus testatur, nos esse subiectum cogitationum et volitionum; constat existere alias cogitationes et volitiones, quas sensus intimus non testatur esse nostras, imo frequenter testatur nos eas non velle, quod fieri non posset, si nostrae essent; ergo eae habent subiectum distinctum a nobis; hoc porro est substantia.

101. 2.° Quod spectat ad pantheismum idealem praeter eas, quas, ob substantiae unitatem omniumque identitatem, communes habet cum pantheismo reali, speciales habet absurditates. *a)*

(1) Totum systema nititur praeposterae definitioni substantiae. « Substantia, inquiunt cum Spinosa, est id quod per se est et per se concipitur h. e. id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius, a quo formari debeat. » Haec definitio captiosa est. Nam id quod in se est duplici modo intelligi potest: 1.° id quod a se existit, nullam habens causam a qua pendeat; 2.° id quod non existit in alio tamquam subiecto inhaesionis, ad differentiam modorum, qui in se existere non possunt, sed subiecto indigent cui inhaereant; hoc sensu intellecta est vera, sed primo modo accepta, sicut eam accipit Spinosa, est falsa. Similiter est ambigua altera definitionis pars. Si enim sensus sit, substantiam posse concipi per se et absolute, ad differentiam modorum, qui involvunt conceptum subiecti cui inhaereat, definitio recipi potest; at si intelligatur, substantiam unam ab alia pendere non posse, et hinc non posse involvere relationem ad causam a qua pendeat, definitio falsissima est et supponit id quod esset demonstrandum.

Ordinem logicum in ordinem ontologicum convertit et ut identicos habet. – *b)* Ens universale et abstractum cum ente infinite perfecto, singulari, personali turpiter confundit. *c)* Hoc ens indeterminatum docet sese explicando et evolvendo determinare; ast unde haurit determinationes? si ex se habet, jam non est ens indeterminatissimum; si aliunde accipit, jam non est unum ens. – *d)* Hoc ens indeterminatissimum, quod progressivo motu se explicat et perficit, in hoc systemate evadit tandem ens absolutum infinitum, Deusque est semper in fieri. – *e)* Contradictionem ponit ut intrinsecam conditionem entis. Haec omnia aliaque absurdissima sunt.

102. 3.° Pantheismus est maxime perniciosus. Libertatem de medio tollit, legem moralem; quam enim legem feras Deo? religionem; quem enim cultum exhibeas divinitati, cujus apex est ipse homo? Inclinationes hominis rectae sunt et divinae, ideoque sequendae; nulla est actio inhonesta, nullus error, nulla falsitas, unde cum hac doctrina nulla rationabiliter consistere potest humana societas (1).

ARTICULUS V.

De unitate Dei.

103. Prop. 9. **Deus ita est unus, ut quaevis deorum pluralitas repugnet.**

Est *de fide* ex conc Vatic. contra 1.° *Polytheismum* (2), qui pro varietate numinum, quae coluntur, dicitur Magismus, Sa-

---

(1) Cf. Egger *Enchiridion Theol. dogm.* n. 14; Palmieri *Inst. phil.* vol. 3. th. XII et Monsabré *op. cit. Confer.* 5.

(2) Polytheismus, licet antiquissimus, est tamen monotheismo posterior, et probabiliter post diluvium tantum invaluit. Pluralitatem deorum gentes induxerunt vel *creaturis* quibusdam in *concreto* adscribentes perfectiones aliquas ex rebus productis desumptas, superiori quidem gradu, sed non tota entis ratione diversas (hinc cultus astrorum, hominum, animalium, plantarum, vita carentis materiae et daemonum); vel *vires et notiones abstractas* ex creaturis sibi fingentes *concretas* (hinc genii, fatum, fortuna, concordia, febris etc.) Quamquam ratio tendendi in ejusmodi numina, varia fuerit pro *varia colentium opinione, cultura, aetate,* vel *aevo rudiori et incultiori,* atque adeo non omnes ethnici pari superstitionis gradu sorduerint, sed alii plus alii minus: tenendum tamen est. omnes eos passim polytheismi proprie dicti et

bismus, Feticismus et Gnosticismus; 2.° *Dualismum* Manichaeorum aliorumque; 3.° *Tritheismum*, qui tres deos in SS. Trinitate admittit.

Declar. Unum dicitur *quod est indivisum in se* et, quod inde consequitur, *quod est divisum ab omni alio:* unitas itaque negatione divisionis constituitur. *Indivisio* vero potest esse vel ejusmodi, ut etiam possibilitatem divisionis excludat, et tunc habemus unitatem indivisibilitatis seu simplicitatem, de qua infra, vel talis ut solam actualem divisionem excludat seu tantum dividat ab omni alio. Utrumque sive *indivisibile* sive simpliciter *actu indivisum* si excludit consortium cujuslibet sibi aequalis, dicitur *unicum* seu *singulare,* quae ratio maxime alicui competit, cum etiam possibilitatem consortis excludit. Hoc sensu pleniori vindicatur in propositione unicitas Deo, quae non est nova perfectio ex essentia Dei fluens, sed corollarium demonstratae infinitae perfectionis, seu talis Deo tribuitur essentia et existentia, quae alterius Dei existentiam excludat. Unde etiam patet, cur aptius hoc loco, quam inter attributa, de unitate Dei agatur.

104. Demonstr. I. *Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus* (heb. solus) *est* (Deut. 6, 4). Ad quae respexit Christus, quum scribae interroganti, quod esset primum omnium mandatum, respondit: *Quia primum omnium mandatum est: Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Dominus unus est* (Marc. 12, 29). *Ut scires, quoniam Dominus ipse est Deus et non est alius praeter eum* (Deut. 4, 30); et (ibidem v. 39): *Scito ergo hodie et cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse est Deus in coelo sursum et in terra deorsum, et non sit alius;* (ac rursus 32, 39): *Videte quod ego sim solus et non sit alius praeter me.* — (1. Cor. 8, 4-6): *Nullus est Deus nisi unus. Nam etsi sunt, qui dicuntur dii sive in coelo sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi): nobis tamen unus Deus.* (Io. 17, 3): *Haec est vita aeterna ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti J. C.* (Cf Rom. 16, 27; I. Tim. 6, 15. 16).

105 II. Patres non solum ex regula fidei omnibus manifesta

---

idololatriae reos fuisse, vel plura numina colendo, vel idolis visibilibus cultum absolutum (rudiores), vel ad falsos deos relativum, tribuendo (doctiores). Perrone *de Deo uno* n. 83. sq.

recensent tamquam primum caput « quod *unus* est Deus, qui omnia creavit, » sed ex ratione etiam ad unitatem Dei probandam argumenta afferunt. Huc pertinet illud Lactantii: « Tantum enim, si dii plures sunt, singulis deerit, quantum in ceteris fuerit » (1); Irenaei: « Si extra illum est aliquid (absolutum ab eo non pendens) jam non omnium est plenitudo » (2); Tertulliani: « Deus si non est unus, non est, quia dignius credimus non esse, quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit. Deum autem ut scias unum esse debere, quaere quid sit Deus et non aliter invenies » (3); Hilarii: « Omnipotentiam et aeternitatem non nisi penes unum esse » (4). De Patribus, qui non jam contra gentiles sed contra haereticos mysteria sanctae Trinitatis exponunt et defendunt, notat Augustinus, (5) omnes ab asserenda unitate incipere.

Haec omnia rursus reducuntur ad illud, quod concisa brevitate expressit Boetius: « Quae discrepant bona, non esse alterum quod sit alterum liquet, quorum neutrum potest esse perfectum, quum alterutri alterum deest » (6).

CAPUT III.

De distinctiori divinae essentiae conceptu, seu de attributis.

105. Ex essentia attributa derivari concipiuntur, et ex his essentiae cognitio efficitur distinctior. *Attributa* divina dicuntur generatim omnes perfectiones, tribus personis communes, quae Deo convenire intelliguntur. Vocantur etiam *proprietates* et *perfectiones*. Licet Deus una res sit simplex omnino, attamen plura enumerantur hujusmodi attributa, pro totidem ἐπινοίαις sive mentis nostrae excursionibus, quibus aliquid non indignum de Deo cogitamus. Secundum nostrum concipiendi modum dividi solent: 1.° in *affirmativa* seu *positiva* et *negativa*, prout praedicatis per-

---

(1) *Instit.* l. 1. c. 3. — (2) L. II. c. 1. n. 2. — (3) *Contr. Marcionem* l. 1. c. 3. — (4) *De Trin.* I. n. 4. — (5) *De Trin.* l. 1. c. 4. n. 7. — (6) *De Consol. phil.* l. 3.

fectionem affirmantibus vel imperfectionem negantibus exhibentur. — 2.° In *absoluta* quae Deo in se spectato ut bonitas, et *relativa* quae Deo prout ad alia refertur ut creator et dominus, conveniunt. — 3.° In *quiescientia* et *operativa,* prout modus quo Deus est, vel modus quo operatur, exprimitur. Praecipua tantum declarabimus, et quidem eo ordine, quo secundum nostrum cognoscendi modum sese excipiunt et ex divina essentia a nobis dimanare concipiuntur. Itaque disseremus 1.° de Dei simplicitate; 2.° de immutabilitate, 3.° de immensitate, 4.° de aeternitate.

ARTICULUS I.

De simplicitate Dei.

106. Prop. 10. **Deus est absolute simplex.**

De fide ex Later. IV et Vat. Est contra monachos Aegyptios anthropomorphitas saec. IV, monachos schismaticos orientales Palamitas saec. XIV increatum lumen a Deo reapse separantes, Gilbertum Porretanum, Episcopum Pictaviensem saec. XII, et Ioachimum Abbatem saec. XIII.

Declar. Simplicitas negat partium compositionem et proinde imperfectionem, et ponit unitatem entis atque adeo perfectionem. Nam ens eatenus perfectum est quatenus omnia ejus constitutiva unum sunt: quo ergo major est unitas eo major est perfectio, et quo minor unitas minor perfectio. Absolute simplex, est absolute unum unitate indivisibilitatis adeoque absolute perfectum. Si igitur ab idea rei compositae vis progredi ad ideam rei simplicis, non debes removere aliquam realitatem; sed debes concipere identificari perfectiones seu realitates omnes, remota tantum ratione partium. Simplicitas itaque est identitas perfectionum, quae rem constituunt.

Compositio quae resultat ex partibus distinctis et separabilibus, dicitur *physica.* Talis est compositio ex partibus essentialibus v. g. ex materia et forma substantiali in homine, ex partibus integrantibus ut in corpore humano, et ex substantia ejusque accidente, quod sit realitas a subiecto distincta. — Analogice ad modum compositionis physicae distinguitur alia compositio, quae *metaphysica* nuncupatur. In hac partes non re sed ratione tan-

tum distinguuntur, est tamen *intrinsecum fundamentum* cur aliquid in eis distinguamus ad *modum partis,* nempe ut *determinabile* et ut *determinans seu perficiens* (1). Sic v. g. etsi *animal* et *rationale* in homine realiter non distinguantur, rationale tamen non est de intrinseco conceptu alterius, cum animal etiam irrationale esse possit; unde animal et rationale in homine merito ut partes metaphysicae considerantur, quia genus animal per differentiam rationale determinatur et perficitur. Hujusmodi compositio triplex est: ex essentia et existentia, ex natura et supposito, ex genere et differentia.

107. Demonstr. i. Excluditur: 1.° compositio physica. (Iob. 10, 4): *Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo et tu videbis?* (Paulus Act. 17, 29): *Non debemus aestimare auro aut argento, aut lapidi sculpturae artis et cogitationis hominis divinum esse simile*, scilicet Deus ab omni materiae, etiam praestantissimae, concretione est longe remotus. (Io. 4, 24): *Spiritus est Deus et* (ergo) *eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.* Ex oppositione ad cultum externum V. T. adoratio novi est interna sistens in actibus animi, qui proprio sensu sunt *spirituales,* et hoc quia *Spiritus est Deus.* Ergo quam certum est, *adorationem in spiritu* omne id *excludere* quod est materiale et corporeum et *affirmare* intellectualem vitam in fide spe et caritate; tam certum est in Christi effato: *Spiritus est Deus,* vocabulum *spiritus* intelligendum esse significatione *negante* id quod est materiale, et *affirmante* substantiam ac vitam spiritualem.

108. 2.° Compositio metaphysica. Scriptura exhibet Deum ut unum idemque cum singulis perfectionibus, quas de Deo praedicamus, ut non modo *perfectio sit in ipso,* sed *ipse sit perfectio* tum una, tum altera, tum consequenter omnes. Sicut Deus dicitur habere vitam in semetipso et vita dicitur esse in Deo (2), ita Deus est *ipsa vita* (3). Sicut in Deo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae (4), ita Deus est *ipsa sapientia* (5). Sicuti Deus est

---

(1) Est etiam infinita Dei perfectio fundamentum intrinsecum ratione distinguendi in Deo plures perfectiones, verum eas non ita distinguere possumus, ut unam ab alia determinari ac perfici intelligamus, adeoque propter illam distinctionem virtualem nulla resultat ex attributis compositio metaphysica.

(2) Jo. 1, 4; v. 26. — (3) Jo. 1. 4; 14, 6. — (4) Coloss. 2, 3. — (5) Prov. 1, 20.

plenus veritatis (1), ita Deus est *ipsa veritas* (2). Sicuti habitat lucem (3), *ita ipsa lux est* (4). Sicuti caritas ex Deo est et Dei est, ita Deus est *ipsa caritas* (5). *Ipsa vita* autem non est vita per aliam vitam sed per se ipsam; *ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa caritas* non est sapientia, veritas, caritas, nisi per se ipsam. Essentia ergo divina sicuti ex se ipsa est *ipsum Esse,* ita per se ipsam non per qualitatem a se distinctam est haec omnia, adeoque quaelibet excluditur in Deo potentialitas, sed ipse est harum aliarumque omnium perfectionum *purissimus actus.*

109 II. Quod traditionem attinet, *a)* Patres non solum emphatice docent *α)* Deum esse *simplicissimum* et ab *omni compositione remotissimum* (6), *summe simplicem* (7), *primum* et *purissimum simplex, tam simplicem quam unum,* et si dici possit, *unissimum* (8), *unam simplicitatis eminentiam* (9), et hanc veritatem esse ex iis, *in quam universum nomen christianum consentit* (10), *eamque negare nimis stolidi et hebetis esse hominis* (11), *esse summae impietatis* (12), *esse absurdum et nefarium* (13), *esse novum blasphemiae genus* (14); sed *β)* hoc dogma assumunt tamquam principium in suis contra Arianos disputationibus, imo intrinsecam ejus rationem declarantes statuunt, Deum esse singulas perfectiones et omnes simul, esse id quod habet. « Ideo simplex dicitur Deus, inquit Augustinus, quoniam quod habet, hoc est » (15). « Sua est ipse sapientia; quia non est aliud sapientia ejus, aliud essentia, cui hoc est esse quod sapientem esse » (16). Ex quo vides ipsam excludi ab ipsis compositionem metaphysicam. — *b)* Anthropomorphitarum error, ex quo comparuit, in Ecclesia communi sensu pro haeresi habitus est. Accedunt definitiones conc. Remensis, Later. IV et Vat.

110. III. Repugnare in Deo compositionem physicam est evidens. Sed repugnat et metaphysica. Et *a)* generatim, quia in hujusmodi

---

(1) Jo. 1, 14. — (2) Jo. 14, 6. — (3) I. Tim. 6, 16. — (4) Jo. 1, 8. 9. — (5) I. Io. 4, 8. 16. — (6) Cyrill. Alex. *Thesaur.* XIII. 2. — (7) August. *de Trin.* l. 6. c. 6. — (8) Bernard. *in Cant. serm. 81, et de Consid.* l. 5. c. 7. — (9) Dionys. *de div. nom.* c. 5. — (10) Origenes *de princ.* l. 1. n. 6. — (11) Gregorius Nyss. *c. Eunom.* l. p. 68. — (12) Damascenus *de fid. orth.* I. 12. — (13) Maximus, *Centuria* 4.ª *de caritate.* — (14) Athanasius *de syn.* n. 34. — (15) *De Civ. Dei.* l. 11. 10. — (16) *De Trin.* l. 15. c. 6.

compositione includitur semper aliqua *potentialitas* sive *obiectiva* ad *esse,* sive *receptiva* ad perfectius *esse,* seu includitur imperfectio quia unum elementum concipitur ut determinabile, alterum ut determinans. — Sane *b)* speciatim: *a)* Essentiae in creatis, quia non necessario existenti, concipitur accedere *esse actu;* at in Deo de essentiae intrinseca ratione est existentia, ejus essentia est suum *esse actu,* nequit ergo concipi composita cum existentia. – *β)* Differentia in rebus finitis non est de conceptu generis, sed ei concipitur superaddi et ab ea perfici; neque genus de conceptu differentiae, ut rationalitas quoad sensibilitatem: concipiuntur ergo ut *partes,* de cujus ratione est ut sit aliquid incompletum complendum; ergo talis compositio non obtinet in Deo. – *γ)* Naturae finitae non est essentiale esse totam in se et non alterius, adeoque concipitur perfici subsistentiâ, et utramque simul constituere totum. Natura divina necessario *in se* est seu subsistit personalitate sua ita, ut repugnet esse alterius ad modum partis, ideoque exulat ab ea haec compositio.

111. *Obi 1.* Scriptura tribuit Deo corpus et membra: ergo est corporeus. — *Resp.* Scriptura haec tribuit Deo, non proprie, sed metaphorice et secundum quandam similitudinem ad exprimendos actus divinos, qui cum nostris quandam habent analogiam. Scriptura quippe, hominibus cum loquatur, humano cogitandi et loquendi modo de Deo utitur. Sic per oculos perfectam Dei notitiam, per manum et brachium ejus virtutem et potentiam seu ejus potentiae actum, per alas protectionem et auxilium, per extensionem et dimensionem ejus praesentiam in rebus et locis significat, ut explicant s. Augustinus et alii Patres.

Obi. 2. Ex Scriptura homo factus est ad similitudinem Dei. — *Resp.* Factus est quantum ad animam, non quantum ad corpus. Nam sicut Deus est spiritus intellectu et voluntate praeditus, ita et anima hominis.

Obi. 3. Tertullianus docuit Deum esse corporeum. — *Resp.* Vocem *corpus* sumit Tertullianus pro substantia, eamque adhibuit in oppositione ad non-subsistens, ut etiam Apostolus illam usurpat (Coloss. 5, 17) in oppositione ad umbras et figuras veteris Testamenti.

Obi. 4. Compositio quaedam metaphysica ex natura et hypostasi admittenda in Trinitate videtur, neque enim proprietas

personalis, puta Patris, una eademque prorsus res cum ipsa natura divina esse videtur.

Resp. Natura et hypostasis in Deo distinguuntur ratione cum fundamento in re, attamen non eo modo, ut *graduum metaphysicorum* (1) naturam induant; ut nempe natura *complendi*, proprietas personalis *complentis* habeat rationem. Nam summa illa et infinita res, quae Deus est, simul et ex propriâ suâ et intimâ ratione est *absoluta* et *relativa*, ideoque concipi quidem potest ut *absoluta*, quin ut *relativa* concipiatur, sed concipi omnino nequit ut *absoluta*, quin *ratio concepta contineat rationem relativae.* Ad compositionem inter gradus metaphysicos requiritur, ut ratio concepta absoluti non comprehendat rationem relativi. Pausis: inter naturam et hypostasim divinam non datur *praecisio obiectiva*, sed *distinctio formalis*, secus ac inter naturam et hypostasim creatam.

Obi. 5. Cum sint in Deo tres personae realiter distinctae, cumque hae tres personae una sint et eadem res, Deus ex tribus constare saltem videtur, quod simplicitati opponitur.

Resp. Personae, ut ab *invicem distinguuntur*, non possunt coalescere in unum, quod ex ipsis compositum sit; ut *vero conveniunt*, non sunt tres et distinctae, sed sunt unum simplicissimum, ideoque nulla compositio locum habere potest.

112. Prop. 11. **Quamvis ex declarata Dei simplicitate sequatur, nullam esse in Deo realem distinctionem inter essentiam et ejus attributa, vel inter ipsa attributa; ea distinctio tamen est admittenda, quam dicunt rationis ratiocinatae.**

Declar. Distinctio est negatio identitatis. Dividitur in *realem* et *mentalem seu rationis:* realis est ea quae habetur inter res, quarum una non est altera: rationis est ea quae habetur inter conceptus de eadem re diversos. Haec iterum duplex est; *rationis ratiocinantis* seu *pure mentalis*, et *rationis ratiocinatae;* prior fit a solo intellectu sine fundamento in re per notiones, quibus

---

(1) Gradus metaphysici appellantur praedicata quaedam essentialia uni eidemque individuo convenientia, inter quae existit ordo quidam superiorum et inferiorum, quaeque adeo partium unum totum constituentium rationem induunt. Cujusmodi gradus metaphysici sunt *essentia et esse, genus et differentia, natura et hypostasis.*

non diversa de eadem re sed idem diverso modo exprimitur, ut v. g. inter Petrum et Cepha, hominem et animal rationale, unde hujusmodi conceptus sunt synonima (1). Altera est quae fit a mente cum fundamento in re ipsa, et notionibus diversis diversa de eadem re concipimus, ut inter Petrum, principem Apostolorum et Clavigerum, inter animalitatem et rationalitatem in homine, inter fructum semen et cibum in grano (2). Haec appellatur etiam cum *fundamento in re*, vel *virtualis*. – Scotus inter distinctionem realem et logicam tertiam introduxit mediam inter utramque, quam *formalem realem* appellat, et est ea quae independenter ab operatione mentis existit inter formalitates ejusdem rei, atque eas proprie, quae definitione ita differunt, ut una non sit pars sive elementum definitionis alterius, ut v. g. in homine gradus entis substantialis, viventis, sensitivi, rationalis.

113. Demonstr. i. p. Est corollarium thesis praecedentis. Doctrina Gilberti Porretani attributa tamquam formas in Deo ponentis atque adeo attributa ab essentia et haec a se invicem realiter distinguentis, confutata a s. Bernardo damnata fuit in conc. Rhemensi (a. 1148) praeside Eugenio III, his verbis: « Credimus e confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin divinitas sit Deus et Deus divinitas. Si vero dicitur, sapientia sapientem, et magnitudine magnum, divinitate Deum esse, et alia hujusmodi: credimus non nisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse; non nisi ea magnitudine, quae est ipse Deus, magnum esse, non nisi ea aeternitate, quae est ipse Deus, aeternum esse, non nisi ea unitate unum, quae est ipse, nonnisi ea divinitate Deum, quae est ipse, id est se ipso sapientem, magnum, aeternum, unum Deum ». Idem colligitur ex conc. Later. IV damnante Ioachimum Abbatem qui divinam essentiam a personis distinguere visus est.

114. Demonstr. ii. p. I. Scriptura se ad captum nostrum demittens varia attributa divina distinguit, et opposita de uno Deo praedicat, ut punire et parcere etc. Atqui « si ratio justitiae, sapientiae, bonitatis et ceterorum, quae de Deo dicuntur, non est

---

(1) Dicitur rationis ratiocinantis quia fundamentum ejus est tantum in conceptibus, qui sunt opus rationis.

(2) Dicitur rationis ratiocinatae, quia determinata est ab obiecto, in quo est fundamentum distinctionis pro intellectu nostro.

diversa, quid frustra Scriptura multis nominibus Deum nominat *judicem, justum, fortem.... misericordem* » (1)? — Dogma hoc a Patribus contra Eunomianos ne distinctionem quidem rationis agnoscentes vindicatum est. S. Basilius: « Quomodo igitur non fuerit manifestae insaniae, si dicas proprium unicuique nomini significatum non subesse » (2)?

115. II. Hujus distinctionis fundamentum duplex est: eminens Dei perfectio, et mentis nostrae limitatio.

Essentia divina, propter infinitam suam perfectionem, talis naturae est, ut per se ipsam possit ea omnia praestare, quae essentia creata debet praestare per multas et distinctas qualitates superadditas, v. g. essentia humana intelligit per intellectum, vult per voluntatem, punit per justitiam, miseretur per misericordiam: quae omnia inter se, et ab essentia, ex natura rei actu distinguuntur. At divina essentia praestat haec omnia per se ipsam, nec indiget ullis qualitatibus superadditis. Unde fit ut de eadem essentia divina possimus formare diversos conceptus, puta essentiae, justitiae, misericordiae, intellectus, voluntatis, et sic deinceps. Atque hoc ipsum est, quod dicimus, in Deo esse virtualem quandam multitudinem et distinctionem attributorum, quae in eo consistit, quod unica et simplicissima entitas divina, propter infinitam suam perfectionem possit ea omnia facere, quae fiunt a distinctis perfectionibus creatis.

Insuper perfectio divina, licet una et simplex sit, non tamen operatur secundum adaequatam suam rationem. Unde vere dicimus, Deum creare hominem ad ideam hominis, non ad ideam leonis; quia licet in Deo non distinguantur actu hae duae ideae, sed sit una simplex idea, quae ita repraesentat singulas creaturas, ac si esset uniuscujusque propria: tamen non concurrit ad productionem alicujus creaturae in particulari, nisi quatenus inadaequate illam repraesentat. Quod autem simul repraesentet alias, est quasi per accidens ad aliquem effectum particularem. Idem valet de processionibus divinis ad intra. Quamvis enim in Deo Patre, intellectus et voluntas sint una et eadem res simplex, tamen illa res non est principium alicujus processionis, aut personae divinae, secundum adaequatam suam rationem,

---

(1) Gregorius Nyss. *or.* 12 c. *Eunom.* — (2) *Lib.* 1. c. *Eunom.*

sed est principium Filii, prout habet vim intelligendi, et principium Spiritus sancti, prout habet vim amandi. Atque hoc est, quod dici solet, has virtutes seu perfectiones non quidem actu ex natura rei, sed tamen virtute, seu eminenter distinctas esse: et unam esse principium producendi Filium prout virtute distinguitur ab alia, quae est principium producendi Spiritum sanctum; nec uni posse formaliter attribui, quod est proprium alterius, prout virtute distinguuntur.

116. Accedit et noster imperfectus concipiendi modus. Primo ex creatis ideas perfectionum desumimus, deinde has applicamus Deo. Porro perfectiones creatae sunt distinctae, diversae, diversis conceptibus concipiendae, neque unus est conceptus formalis, qui eas omnes simul exibeat; ergo et perfectiones divinae, quae ad modum earum concipiuntur, distinctae concipi debent, eo vel magis quod omnes perfectiones creatae perfectionem Dei non exaequant. Et sane Deus est essentia, intellectus, voluntas, justitia, misericordia. Hanc rem simplicissimam non possumus in hac vita apprehendere per unum conceptum formalem. Nam alio conceptu, apprehendimus essentiam, alio intellectum, alio justitiam, alio misericordiam.

117. **Corollarium** 1. Hujusmodi conceptus sunt *praecisivi* non *exclusivi:* nam unus conceptus non exprimit id quod exprimit alter, ideoque ab eo praescindit, sed neque excludit. Haec *praecisio* alia est *obiectiva,* alia *formalis*: est obiectiva quando adaequate abstrahitur ab aliis perfectionibus ut in conceptu generico *animalis* relate ad differentiam *rationalis;* est formalis quando una prae aliis secundum aliquem respectum consideratur ut v. g. idem prout consideratur in se, vel refertur ad intellectum, vel ad voluntatem, dicitur ens, verum, bonum. Talis est etiam praecisio circa attributa divina.

118. **Corollarium** 2. In his conceptibus nulla est falsitas, quia nec explicite nec implicite modus concipiendi affirmatur de re concepta, et insuper essentia divina, exemplar omnium perfectionum, respondit omnibus ideis et conceptibus ex creaturis a mente nostra haustis.

119. **Corollarium** 3. Nomina, quibus Deum ejusque attributa exprimimus, non sunt, ut asserebant Eunomiani, synonima; nomina enim rem significant, prout ea subest conceptibus nostris.

120. **Corollarium** 4. Si attributa spectantur *formaliter* seu ut a nobis viatoribus concipiuntur, non possunt de se mutuo praedicari, ut v. g. voluntas Dei intelligit etc. quia Deus ut volens conceptus non est Deus conceptus ut intelligens: si vero spectantur *identice* seu prout sunt a parte rei, tunc possunt de se mutuo praedicari, et sic est materialiter vera haec propositio: Deus voluntate intelligit.

ARTICULUS II.

De immutabilitate Dei.

121. Prop. 12. **Deus est prorsus immutabilis.**

Est *de fide* ex conc. Later. IV et Vatic.

DECLAR. Mutatio proprie dicta est *transitus subiecti ab uno modo se habendi ad alium,* qui dupliciter fieri potest, vel novam perfectionem acquirendo, vel habitam amittendo. Hinc inceptio vel cessatio existentiae improprie dicitur mutatio; in hac enim subiectum et praeexistit et permanet. Nulla vero prorsus est mutatio, cum subiectum *in se ipso* immutatum permanens erga alterum novo se modo habere incipit, sicut columna non mutatur, etsi animal nunc ad dexterum nunc ad sinistrum latus habeat, nec sol, propterea quod incipit corpora calefacere, quae nunc primum ad radios ejus exponuntur.

122. DEMONSTR. I. *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur* (Num. 23, 19); *Ego Dominus et non mutor* (Malach. 3, 6); *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (Ps. 101, 28); *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (Iac. 1, 17).

123. II. Inter plura argumenta, quibus Patres (1) hoc dogma demonstrant, tria tantum indicabimus, quae proponit etiam s. Thomas (2).

Argumentantur *a)* ex illa perfectione, qua Deus, utpote *ens a se,* est *ipsum esse actu:* quod mutatur vero necessario est in *potentia* ad aliquid; *β)* ex simplicitate; mutatio autem importat

(1) Cf. Stentrup th. 17. — (2) 1. q. 9. a. 1.

semper *compositionem,* dum successive res est sub diversis terminis, uno recedente, altero succedente; *γ)* ex plenitudine τοῦ esse et infinita perfectione: mutatio aliquem *defectum* supponit.

Porro haec simul demonstrant absolutam immutabilitatem *soli* Deo competere.

124. Maxima, quae fieri solet difficultas contra immutabilitatem, petitur ex operationibus Dei generatim et ex ejus libertate. Ad aliqualem intelligentiam *quomodo* in Deo utrumque dogma, quod ceterum esse utrumque verum cum ratio tum revelatio docet, componatur, haec animadvertantur.

I.° *Quoad operationes.* Quamquam, ut ex dictis consequitur, intellectus et voluntas in Deo non sunt nisi actualis cognitio et volitio, quae unum et idem sunt tum inter se tum cum divina essentia; ab *entitate* tamen hujus actus in se distingui debet *respectus,* quem ad terminum habet. Hic enim unus actus potest *terminari* ad diversissima obiecta sive cognitionis, sive volitionis, et producere diversissimos effectus in infinitum, quia cum sit infinitus aequivalet in sua unitate infinitis actibus diversis tum cognitionis, tum volitionis, tum effectionis.

Neque in eo ulla est repugnantia quod e. g. idem sit actus amoris quo Deus diligit justos, et odii quo punit impios; actus enim odii et amoris eatenus opponuntur, quatenus circa idem obiectum esse non possunt; non autem quatenus non possint esse simul; atqui neque Deus idem obiectum secundum idem diligit et odit, sed idem actus pro uno obiecto est amor, pro alio est odium puniens vel misericordia parcens, et sic de ceteris actibus. Sicut solis actus unicus idem permanens et colores rebus inducit, et calorem ciet, alia obdurat, alia emollit, alia exsiccat, vapores elevat ventosque commovet, et vitam omnem fovens atque conservans in multis illam exstinguit: ipse non movetur; sed omnia circa ipsum moventur, et successive termini virtutis ejus fiunt: ita actus divinus habet in terminis efficacias et denominationes multiplices. Hae denominationes sunt Deo extrinsecae; tota mutatio est ex parte creaturarum. Ideo creatura habet *realem* relationem ad Deum, relatio autem Dei ad creaturas non realis est, sed *rationis tantum,* et hujusmodi relationes rationis oriri et mutari possunt, quin ulla mutatio in Deum resultet. « Numus, ait Augustinus, cum dicitur pretium, relative dicitur, non

tamen mutatus est, cum coepit esse pretium, neque cum dicitur pignus, et si qua sunt similia. Si ergo nummus nulla sui mutatione potest toties dici relative, quanto igitur facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici (e. g. creator, dominus etc.) non tamen ipsi substantiae Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturae, ad quam dicitur » (1).

125. 2.° *Quoad libertatem.* Imprimis diversissima est ratio libertatis divinae et libertatis creatae. Haec sita est in potentia ponendi aliquem actum, aut eum non ponendi, aut alium ponendi, adeoque consistit in *indifferentia potentiae ad actum.* In Deo autem nulla potentia datur, sed unus tantum actus divinus, qui numquam positus est, nec poni potuit, quique *necessarius est,* ut Deus ipse, quocum unum idemque est. Libertas igitur Dei est tantum *indifferentia actus ad plura obiecta* (2), quatenus actus per se determinatus non necessario ad obiecta illa refertur, relate ad quae ipsi indifferentia adscribitur, quum haec obiecta nec primarium ejus obiectum sint, nec sint cum primario necessario connexa. Nulla indeterminatio voluntatis divinae praecedit determinationem, sed a tota aeternitate est determinata ad obiecta omnia haec ut volita, ea ut nolita; et ideo actus ejus est liber, quia esse creaturae ita ejus terminus est, ut etiam non esse aut aliter esse earundem ipsius terminus esse possit.

ARTICULUS III.

De Dei immensitate.

126. Prop. 13. **Deus est ubique praesens et immensus.**

Est *de fide* ex sym. Ath., ex Conc. Later. IV et Vatic. contra quosdam Iudaeos et Christianos (Valentinianos, Eugu-

---

(1) *De Trin.* l. 5. n. 17.

(2) Indifferentia haec est major quam nostra; quia indifferentia libertatis nostrae se tenet proprie ex parte potentiae, actus vero eatenus est liber quatenus est a potentia libera, sed in se cum existit est determinatus ad certum obiectum; at vero actus divinus in se ipso est omnino independens a quovis obiecto, et indifferens ad quodvis. Est ergo indifferentia in actu, ideoque actus divinus est maxime liber.

binum et Vorstium Calvinistam), quorum priores Deum in solo templo hierosolymitano, posteriores in summo tantum coelo habitare opinabantur.

Declar. Etsi immensitas infinitum quiddam nominet, ab attributo infinitatis tamen distinguitur. Haec negat finem essentiae et perfectionis, immensitas terminum praesentiae.

Praesentia haec potest esse vel *virtualis* tantum, vel *substantialis;* prout aliquis operatione et inspectione attingit aliquam rem, vel illi adest sua ipsa essentia seu substantia. Quamquam Deus priori modo est ubicumque, hic tamen modus existendi pertinet ad omnipotentiam et ad scientiam divinam eoque non absolvitur attributum immensitatis, ad quam requiritur praeterea praesentia substantialis.

Substantialiter praesens aliquid potest esse tripliciter: *circumscriptive, definitive, repletive. Circumscriptive* est in loco corpus, quod diversis partibus spatii per diversas sui partes respondet. *Definitive,* si substantia tota totum, tota singulas extensi partes virtute sua suaque entitate attingat, limites tamen habeat; hac ratione spiritus est in loco. *Repletive,* si tota in toto, tota in singulis partibus, quin limitibus coarctetur; hoc modo Deus est ubique.

Hac ubiquitate seu omnipresentia nondum absolvitur immensitas; illa enim connotat creaturam, quae cum sit contingens, etiam omnipraesentia est attributum contingens et relativum, necessarium tamen ex hypothesi creaturarum, cum ex immensitate sequatur: haec est attributum absolutum, aeternum, necessarium, Deoque convenit etiamsi res non existerent, et hoc modo est ipsum absolutum *Esse* divinum illimitatum in praesentia, quam nos declaramus per adsignificationem coexistentiae solum possibilis creaturarum in indefinitum.

Conceptus igitur divinae immensitatis eo redit, ut sit perfectio divinae essentiae, vi cuius Deus est intrinsece et absolute ita determinatus in existendo, ut non solum nulla res sit actu existens, cui non sit intime praesens, sed nulla sit possibilis creatura, nullus possibilis locus, nullum possibile spatium, quibus, si existerent, non esset eodem modo praesens et quidem praesentia non operationis et cognitionis tantum sed insuper realitatis suae, ut sit nempe ejus essentia ubi res sunt, et non solum juxta ipsas,

sed cum ipsis et in ipsis. Quocirca divina essentia nullo est spatio circumscripta vel definita, non est proinde in loco quatenus esse in loco est esse circumscriptum limitibus, aut esse heic et non alibi; occupat tamen omnia loca, atque ita est unicuique rei praesens, ut sit simul in ceteris: nec clauditur mundo, sed ipsum excedit, atque in infinitum actu protenditur ut actu sit ubicumque sine fine res esse possunt. Creaturis ergo de novo existentibus divina praesentialitas non sese dilatat, nec ad illas divina substantia sese extendit, sed omnes in sua infinitate recipit et continet. — Hanc perfectionem sicuti et aeternitatem concipiendi et intelligendi nulla aptior, nulla rei ipsi magis propria ratio excogitari posse videtur, quam ut Deum cogitemus secundum quod est Veritas et Sapientia. Sicut veritas metaphysica est prior et independens ab omnibus relationibus loci et spatii et temporis, suaque constat propria ratione, etiam ubi nullus sit locus, nullum spatium, nullum tempus, nihil quod dicatur *hic* aut *illic* aut *aliquando;* ita et multo magis *ipsa Veritas absoluta*, radix et fundamentum omnis veritatis, *(ἡ ἀυτάλήθεια)* est supra omnes et extra omnes hujusmodi relationes.

127. Demonstr. I. (Jer. 23, 23. 24): *Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? Numquid non ego coelum et terram impleo?;* (Ps. 138, 7 sq.): *Quo ibo a spirito tuo? Et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me et tenebit me dextera tua;* (Act. 17, 28): *In ipso enim vivimus et movemur et sumus;* (III Reg. 8, 27): *Si enim coelum et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec quam aedificavi?;* (Baruch. 3, 25): *Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus.*

128. II. Patres (1) uno ore docent, Deum ubique esse et quidem ita, ut supra omnes spatii et loci relationes infinite evectus maneat. Chrysostomus: « Deus non tamquam coelo inclusus respicit eminus quae fiunt in terra, sed ubique praesens et omnibus assistens » (2).

---

(1) Eorum doctrinae compendium ex Petavio et Tomassino collectum videsis penes Stentrup th. 19.

(2) *In Ps.* 112.

129. III. *a)* Si Deus non foret ubique, circumscriberetur loco ac spatio, et esset alicubi et non alibi. Atqui repugnat Deum circumscribi loco et spatio; ergo Deus necessario est ubique. – *b)* Non esse alicubi praesentem est aperta negatio; atqui in Deum nulla cadere potest negatio: ergo. – *c)* Praesentia intrinseca cum *entis ratione* conserta est: cum entis ratione infinita connexa est praesentia infinita.

130. *Dices:* indecorum videtur Deum etiam in sordibus, imo in daemonibus esse praesentem. — *Respond.* Hoc dedecus est merum figmentum imaginationis, et solum respectu nostri, quos res illae male afficiunt. Deum vero non magis illud dedecet, quam illum dedeceat res illas producere et conservare. Sicut sol non foedatur obscoenitate locorum quos radiis suis illustrat, sicut sonus intra certam spheram diffunditur totus in tota sphera et in singulis punctis, quin obiectorum pravitate turpificetur, et sicut anima lepram non contrahit ex lepra corporis: ita multo minus Deus per sordes, quibus adest, inquinatur. Quoad daemones, est in illis, in quantum sunt natura quaedam, quae ab eo est, non quantum ad deformitatem culpae, quae non est ab eo (1).

131. **Corollarium.** Si Scriptura et Patres aliquando Deum affirmant *aliter in his, aliter in istis,* vel *minus in his, quam in istis* adesse, *imo ab aliquibus etiam abesse;* haec non spectant Dei praesentiam simpliciter, sed praesentiam secundum quid spectant, ut *nempe Deus formaliter per efficientiam quandam determinatam est praesens.*

132. Scholion. Quaeri solet an dici possit, Deum existere in illo spatio imaginario, quod extra hunc mundum est. Duo spectari debent, cum dicimus v. g. nos esse alicubi seu in aliquo loco aut spatio. Unum est intrinseca et absoluta praesentia, quam res ibi habet in se, qui modus existendi non distinguitur ab ipsa essentia nostra nobisque inest independenter a quavis alia re. Alterum est habitudo seu relatio ad res et ad spatium extra nos, qua dicimur praesentes rebus aliis a nobis distinctis. Priori modo dici potest, Deum realiter existere in spatio extra hunc mundum, non autem posteriori. Ratio est, quia habet ibi intrinsecam et absolutam praesentiam, qua in seipso realiter existit; non tamen accipit realem habitudinem aut denominationem a spatio in quo

---

(1) Cf. s. Thom. 1. q. 8. a. 1.

existit, et a rebus quae ipsi praesentes sunt, quia illud spatium et illae res non sunt aliquid reale. Idem dicendum de praesentia Dei ante mundum conditum.

ARTICULUS IV.

De aeternitate Dei.

133. Prop. 14. **Deus est aeternus.**

De fide ex sym. Ath., ex Conc. Later. IV. et Vaticano.

Declar. Aeternitas in Scriptura sumitur: 1.° *Latissime* pro eo, quod diu duraturum est, licet initium et finem habeat: sic Deus Palestinam pollicetur Abrahae in *possessionem aeternam;* vel pro eo, quod extitit multo abhinc tempore: sic Christus dicitur *desiderium collium aeternorum,* h. e. antiquissimorum sanctorum. — 2.° *Late* pro eo, quod initium habet et fine caret, ut sanctorum merces. — 3.° *Stricte* et *proprie* pro attributo divino, et est, *duratio immutabilis et absolute necessaria.*

Duratio est permanentia rei in esse, seu *esse continuatum* (1). Cum itaque duratio ab ente realiter non distinguatur, patet Deo convenire perfectam durationem. Ad rationem autem perfectae durationis requiritur: *a) exclusio successionis;* quidquid enim successivum est numquam totum existit, sed fit praeteritum postquam ex futuro factum est praesens. *β) Immutabilitas;* nam etiamsi agatur de duratione permanente, haec sive quoad substantiam sive saltem quoad qualitates et operationes multis subiacet mutationibus: quod autem mutatur, id fit aliud; quod autem fit aliud, id simpliciter manere nemo dixerit. Praeterea mutabilitatem concipere non possumus, nisi concipiamus aliquid, quod *nondum est,* sed *esse potest;* et aliquid, quod *est,* sed *non amplius esse potest:* jam vero *nondum esse* et *non amplius esse* negationes quaedam sunt prae permanentia τοῦ esse. Omnis ergo mutabilitas exulet necesse est a perfecta duratione. *γ) Absoluta necessitas;* a perfecta enim duratione abesse debet non solum

---

(1) Duratio duplex est: *successiva* et *permanens.* Illa, quae est duratio *esse successivi* i. e. motus et *tempus* appellatur, constat partibus sibi invicem succedentibus et non permanet nisi quandiu una pars alteri succedit; haec dicitur quae simul tota perseverat absque partium successione.

quod actu sed etiam quod *potentia* eidem opponitur. Requiritur, ut non *possit* pati mutationes, initium et finem, quemadmodum semper potest duratio entis finiti, quia est conservata et defectibilis. Ubi impossibilitas haec abest, licet reales partes successivae non sint, sunt tamen *partes possibiles*, quas ratione distinguere possumus: haec autem omnia in Deo actu purissimo et necessario repugnant.

Cum hac definitione, qua aeternitas est *duratio immutabilis et absolute necessaria,* coincidit celebris illa Boetii: « Aeternitas est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio » (1). Nam quatenus *Esse* divinum est in perfectione actus, designatur nomine *vitae;* quatenus est permanentia, dici potest *possessio;* quatenus limitem tum a parte ante tum a parte post excludit, est *interminabilis;* quatenus nulla in actu est successio, est et dicitur *tota simul,* et cum additur *perfecta,* significatur perfectissimo modo possideri h. e. non receptam ab alio sed ex necessitate naturae.

134. Demonstr. i. Talem aeternitatem Deo competere, jam ex dictis constat, cum nullum in ejus conceptu elementum contineatur, quod in superioribus non sit declaratum et vindicatum. Etenim *a)* vidimus Deum esse ens, necessarium, infinite perfectum, simplicissimum, immutabilem; unde in eo nullum accidens, nulla compositio, nullum initium, nullus finis est vel esse potest. Jam vero talis est duratio, quale est ens durans, cum ab eo duratio non distinguatur: ergo. — *b)* Deus est ens absolute necessarium: atqui in tali ente nihil esse potest, quod non semper eodem modo sit; nihil perfectionis concipi potest, quod non amplius vel quod nondum sit, quod magis vel minus sit; nihil igitur prius aut posterius, nihil plus aut minus, sed tota plenitudo simul est, eodem modo est et semper est.

135. II. Scriptura sicut immensitatem per oppositionem ad limites loci et spatii describit, ita aeternitatem exprimit per exemptionem a limitationibus temporis. (Exod. 3, 14): *Ego sum qui sum;* in quem locum Hieronym.: « Ille vere est, qui semper idem est » (2); et Ambros.: « Vere Dei solius est esse, qui semper est » (3).

---

(1) *De Consol.* l. 5. pros. 6. — (2) In II. Cor. c. 3. — (3) *De fide* l. 5. c. 1. n. 26.

(Jo. 8, 58): *Antequam Abraham fieret, ego sum;* (Apoc. 1, 8): *Ego sum α et ω principium et finis;* (Ps. 89, 2. sq.): *Priusquam montes fierent aut formaretur terra et orbis, a saeculo et usque in saeculum tu es Deus.... Quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quae praeteriit;* (Heb. 1, 11. 12): *Ipsi* (coeli) *peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent et veluti amictum mutabis eos et mutabuntur, tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.* — De quo loco praeclare Augustinus: « Nec tu tempore tempora praecedis, alioquin non omnia tempora praecederes. Sed praecedis omnia praeterita celsitudine semper praesentis aeternitatis, et superas omnia futura, quia illa futura sunt, et cum venerint, praeterita erunt; tu autem idem ipse es et anni tui non deficient. Anni tui nec eunt, nec veniunt; isti autem nostri et eunt et veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant, nec euntes a venientibus excluduntur, quia non transeunt; isti autem nostri omnes erunt, quum omnes non erunt. Anni tui dies unus et dies tuus non quotidie sed hodie, quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque enim succedit hesterno. Hodiernus tuus aeternitas, ideo coaeternum genuisti, cui dixisti: Ego hodie genui te » (1).

Aliorum Patrum in re manifesta sententias conferas apud Petav. l. III. c. 3. 4. et Stentrup th. 18.

136. **Corollarium** 1. Sicut immensitas est *eminentia divini Esse supra omnem relationem loci et spatii,* ita aeternitas eminet super omnes relationes temporis. Sed quemadmodum non possumus concipere immensitatem citra relationem ad spatium sive reale sive possibile, pariter etiam aeternitatem concipimus per comparationem ad tempus indefinitum tum a parte ante tum a parte post; hinc expressiones praeteriti et futuri de re aeterna loquentes adhibemus.

137. **Corollarium** 2. Aeternitati nihil est praeteritum nec futurum; ipsa enim immobilis complectitur omnia tempora eadem manens; quod ita explicari potest. Aeternitas aequivalet tempori indefinito a parte ante et a parte post; si vero hoc tempus indefinitum existeret, sane omnia ei coexisterent licet aliis atque aliis partibus ejusdem, quia successivum esset, sed si imperfectio suc-

(1) *Confess.* l. 11. c. 13.

cessionis tollatur, et unum simplex fiat, tunc res essent eidem eodem modo praesentes. Talis est aeternitas Dei.

138. **Corollarium** 3. Temporalia *temporarie* omni aeternitati coexistunt. Pars nempe temporis praeteriti coexistebat tunc, quando erat, aeternitati; et futura coexistet aeternitati tunc, quando erit; non autem praeterita uni parti, praesens alteri, et futura iterum alteri parti durationis aeternae coexistit, cum partes aeternitas divina nullas habeat. Hoc exprimitur etiam illa formula: temporaria omnia coexistunt *toti* aeternitati Dei sed non *totaliter*. — Contra, divinum intelligere, velle et operari non *temporarie* sed *aeterne* respicit temporalia cum rationibus quae in ipsis et tantum in ipsis sunt, praesentis, praeteriti et futuri, et *indivise* respondet *tribus momentis*, quae in temporaria duratione occurrunt; referturque ad successiva non successive, ad posteriora non posterius, ad priora non prius, ad mutabilia non mutabiliter.

Quum itaque res in se nondum sunt, Deo adsunt; quum in se non amplius sunt, Deo supersunt. Atque hac de causa sacrae Litterae persaepe tempora omnia promiscue habent; futura velut praeterita vel praesentia exhibent, eo certe fine, ut varias temporis differentias in rebus non autem in Deo divinaque actione esse discamus (1).

139. **Corollarium** 4. Sicut tempus est *nunc volans*, ita aeternitas est *nunc stans*. Hinc tempus et temporalia omnia sunt sicut flumen quoddam, aeternitas sicut rupes firmissima, sub qua flumen raptim transit: omnes aquae partes successive adlabentes rupem subeunt et transeunt, nec unquam redeunt; rupes autem semper eodem loco manet. Potest etiam aeternitas comparari puncto, circa quod describitur circulus: sicut enim punctum illud respondet toti circumferentiae, et singulis ejus punctis; ita aeternitas respondet et adsistit toti tempori et singulis ejus momentis.

140. **Corollarium** 5. Ex hoc aeternitatis conceptu perficitur et completur conceptus infinitae perfectionis Dei et ejusdem beatitudinis; quidquid enim Deus possidet et duratione infinita et non guttatim et divisim sed collectim in unum quidquid gaudii et amoris ejus perfectiones infinito tempore adferre possunt, possidet et gustat (2).

---

(1) Stentrup. th. 18.

(2) Lessius *de perf. div.* l. 4. c. 3. n. 18. — Commentarium hunc omni auro pretiosiorem legas, in quo tum ea quae de attributis divinis attigimus,

CAPUT IV.

De scientia Dei. (1)

141. Perfectio divinae scientiae considerari potest tum ex parte actus seu in se, tum ex parte obiecti cogniti, tum ex parte determinationis ad cognoscendum. Hinc articuli: 1.° de intelligentia divina in se spectata, 2.° de obiecto scientiae Dei, 3.° de medio scientiae divinae, 4.° de divisione scientiae Dei.

ARTICULUS I.

De intelligentia divina in se spectata.

142. Prop. 15. **Deus sensu maxime proprio est spiritus, cujus perfectissima intelligentia non est potentia vel facultas sed est intellectio identificata cum ipsa divina substantia, et absoluta suae infinitae essentiae comprehensio.**

DEMONSTR I. P. *a)* In perfectionum, quas declaravimus, complexu continetur Deum esse *eminenti plane ratione sensuque maxime proprio spiritum.* Cum enim spiritus sit ens, quod nec materia est, nec in suo *esse* suaque ἐνεργείᾳ a materia pendet, manifestum est eminenti prorsus ratione spiritum esse illud ens, quod est Esse purum, actus purus et absolutâ simplicitate simplex. — *b)* Idem confirmant Scripturae sive cum Deum simpliciter *spiritum* (n. 107),

---

tum ea quae brevitati studentes de hac re omittere cogimur, uberrime ita explicata invenies, ut non minus rerum intelligentia divinarum quam pietatis et devotionis sensus apprime excitetur et foveatur.

(1) *Quaesieris,* cur haec quaestio de intellectu divino a theologis *de scientia Dei* inscribi consueverit? — *Respondeo:* sicut essentia divina una et simplex omnes virtutes essendi complectitur, ita divina intellectio omnes cognoscendi perfectiones, quae *virtutes intellectuales* appellantur, sapientiam, intelligentiam, scientiam, prudentiam, consilium; quapropter etiam haec omnia in divinis litteris Deo nominatim attribuuntur. Qualitates autem bonae, quae in cognitione *qua tali* praecipue considerantur, sunt evidentia et certitudo. Quoniam igitur in hac quaestione cognitio divina in se ipsa seu qua talis spectatur, prae ceteris scientiae nomen electum est: scientia enim definitur cognitio certa et evidens.

sive cum eum exhibent *auctorem omnis spiritus* (1), *auctorem nominatim intelligentiae et sapientiae* (2), *auctorem justititae, sanctitatis, caritatis, libertatis omniumque supernaturalium charismatum* (3). Ergo non solum ex principio metaphysico, quod perfectio effectus necessario vel formaliter vel eminenter praeexistit in causa, sed ex disertis scripturarum declarationibus dependentia spiritualium omnium effectuum a Deo tamquam causa efficiente exemplari et finali demonstrat, Deum *modo prorsus eminenti spiritum esse.*

143. Demonstr. ii. p. Porro vita seu operationes spiritus intelligendo et volendo absolvuntur. Ut de priori tantum loquamur intelligentiam eamque perfectissimam Deo convenire praedicant cum *a)* ipsa creatae intelligentiae perfectio quae ceteras creatas antecellit, tum *b)* lex moralis omnium cordi inscripta, pulcherrimus totius universi ordo, supernaturalis revelatio sapientissime hominibus concessa; nam qui *plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam?* (Ps. 93, 9). Imo vero *effudit illam* (sapientiam) *super omnem carnem secundum datum suum et praebuit illam diligentibus se.* (Eccli 1, 10).

144. Demonstr. iii. p. Intelligentia divina non potest concipi in potentia vel etiam ut intellectio quae sit qualitas perficiens substantiam, sed intellectus cum intelligentia et haec cum substantia re unum idemque est, tametsi ratione distinguatur. Hoc consequitur ex Dei summa simplicitate, et insuper ita confirmari potest. *a)* Quum spiritus sit substantia, cujus vita in intelligendo consistit, eo perfectior ens aliquod spiritus est, quo major necessitudo inter *esse* ejus et *intelligere.* Quare fieri nequit, ut aliquod ens sit absuluta perfectione spiritus, et spiritus *κατ' ἐξοχήν,* nisi *esse* ipsius sit *intelligere.* Iam vero Deus absoluta perfectione spiritus est; ergo *esse* Dei est *intelligere,* seu idem est divinum *esse* et *intelligere* divinum. — *b)* Operatio spiritus, qua talis, est *immanens:* quo proinde perfectior est spiritus, eo perfectior debet esse operationis eidem propriae immanentia. Iam vero Deus est spiritus absolute perfectus; ergo absolute perfecta est immanentia o-

---

(1) Num. 16, 22; Job. 12, 10. — (2) Job. 32, 8; Eccli. 17, 5. 6; Is. 11, 2; Sap. 7, 21-27. — (3) Ps. 51, 13; Rom. 1, 4; 1. Cor. 12, 4 sq.; 2. Cor. 3, 18.

perationis ei convenientis. Atqui eâ solâ conditione absolute perfecta haec immanentia censeri potest, si esse Dei operantis sit ipsum operari ipsaque ejus operatio (1), ideoque *esse* Dei sit ipsum *intelligere* et intellectio Dei (2). Unde Irenaeus: « Deus est totus mens, totus ratio, et totus spiritus operans, et totus lux, et semper idem, et similiter existens » (3); et Augustinus: « In illius naturae simplicitate mirabili non est aliud sapere, aliud esse, sed quod est sapere, hoc est esse » (4).

145. Demonstr. iv. p. Intellectio divina non solum est ipsa Dei essentia, sed est absoluta divini Esse *comprehensio. a)* Essentia divina ita ratione distinguitur ab intellectione, ut illa rationem habeat obiecti cognoscibilis, haec actus cognoscentis, re autem sint unum et idem. Atqui si infinitum est obiectum, infinitus est etiam actus, ideoque illud cognoscit, quantum est cognoscibile; ergo. – *b)* Essentia divina est infinite intelligibilis et infinita intellectio; atqui intelligibile, quod idem est cum intellectione, per hanc absolute et adaequate intellectum est; ergo intellectio divina, quum per ipsam essentia divina absoluta plenitudine intellecta sit, est sui ipsius comprehensio substantialis.

Corollarium. Ex dictis sequitur scientiam divinam esse unum simplicem actum, infinitum, necessarium, aeternum, immutabilem,

---

(1) Cum vita definiatur: principium intrinsecum motus seu operationis, ex his liquet in Deo nedum vitam perfectissimam, sed eum esse *ipsam Vitam.*

(2) Stentrup th. 21. Hinc colligitur Deum esse ipsam *subsistentem Veritatem.* Veritas enim universim consistit in conformitate quadam et adaequatione inter rem et cognitionem; haec relatio conformitatis inter rem et ejus repraesentationem in intellectu est mutua ita, ut neque res sit vera nisi per relationem ad cognitionem, cui res sit vel esse possit conformis, neque cognitio sit vera nisi per relationem ad rem, cui haec sit conformis. Hinc *veritas rei,* quam *ontologicam* appellant, est ipsum esse rei, ut conforme ipsum est, aut esse potest cognitioni; et *veritas cognitionis,* quam dicunt *logicam,* est ipsa cognitio, prout conformis est rei. Jam vero cum Esse divinum sit ipsum intelligere divinum, non solum illud est conforme intellectioni divinae et haec divino Esse, sed illud et haec inter se unum idemque sunt, atque adeo Deus est ipsa Conformitas h. e. ipsa Veritas subsistens, tum quia est Esse subsistens, quod unum et idem est cum intellectione divina, tum quia est intellectio subsistens, quae unum idemque est cum Esse divino. Et haec unitas absoluta inter Esse infinitum et intellectionem infinitam est ratio et principium, et quidem unicum, quod assignari potest, tum existentiae duplicis ordinis, realis et idealis, tum necessariae, quae inter eos viget, harmoniae.

(3) *Adv. haer.* l. 2. c. 47. — (4) *De Trin.* l. 15. c. 13. n. 22.

quo certissime et evidentissime intuetur et comprehendit omne verum, adeoque excludere discursum, potentiam intelligendi, et limitationem, quae sunt imperfectiones a nostro intelligendi modo inseparabiles.

ARTICULUS II.

De obiecto scientiae Dei.

146. Prop. 16. **Deus ex sua essentia necessario cognoscit omne verum.**

Demonstr. I. *a)* Deus perfecte cognoscit essentiam suam; atqui essentia divina est idea et exemplar imitabile ad extra per omnes gradus, rationes et relationes participati *esse* et participatae veritatis; ergo comprehendens Deus secundum omnem rationem cognoscibilitatis exemplar, comprehendit non solum omnes possibiles ejus adumbrationes in ordine metaphysico et in statu ideali, sed etiam, in hypothesi tamen quod realiter extant, omnes *actuales* imitationes et expressiones illius exemplaris, a quo ectypus dependentiâ reali, continua et essentiali pendet. – *b)* Essentia divina est naturâ suâ intellectio; sed *esse,* quod naturâ suâ est intellectio, naturâ suâ est repraesentativum: ergo essentia divina est infinita etiam ratione τοῦ esse repraesentativi, seu in ratione *ideae.* Infinitum autem esse in hac ratione, et repraesentare quidquid repraesentari potest, h. e. omne verum tum in ordine essentiarum et ideali possibilium, tum in ordine existentiarum actuali totius *esse* participati, idem sunt. Ergo divina essentia, ut est Esse repraesentativum infinitum seu Idea infinita, repraesentat quidquid repraesentari potest; ergo divina essentia, ut intellectio est, ex sese et necessario est absolute perfecta cognitio omnis veri.

147. II. (I. Reg. 2, 3): *Deus scientiarum Dominus est et ipsi praeparantur cogitationes.* (Esther 14, 14): *Habes omnium scientiam.* (Ps. 146, 5): *Sapientiae ejus non est numerus.* (Ps. 138, 5): *Ecce Domine tu cognovisti omnia novissima et antiqua.* (Coloss. 2, 3): *In quo sunt thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* (Heb. 4, 13): *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.*

148. **Corollarium** 1. Essentia divina, utpote omnino independens,

a nullo obiecto extrinseco ad intelligendum determinari potest; sed est ex se ipsa determinata et quidem necessario ad omnia cognoscibilia cognoscenda. Cetera obiecta ab ipso distincta non determinant scientiam Dei, nec influunt in ipsum intellectionis actum, sed sunt terminus et conditio extrinseca, ut divina scientia immutabiliter se habens ad illa referatur.

149. **Corollarium** 2. Sola essentia divina est obiectum *formale* seu *princeps*, cetera autem omnia obiectum *materiale* seu *secundarium* divinae intellectionis. Et sane, obiectum formale est illud, a quo propriam et specificam perfectionem cognitio habet, quod propter se non propter aliud cognoscitur, et per quod cognitum cetera omnia cognoscuntur; obiectum vero secundarium est illud, quod per se non determinat cognitionem, verum subest cognitioni per aliud obiectum determinatae, et cognoscitur propter perfectionem, quo cognoscitur obiectum princeps. Atqui ita se habere essentiam divinam quoad alia obiecta ex dictis jam manifestum est: ergo.

150. Quod cumulative probavimus Deum nempe esse omniscium, possumus breviter enucleatius singulis propositionibus attingentibus obiecta secundaria, quae ambitu scientiae divinae continentur, proponere. Itaque

151. Prop. 17. **Deus cognoscit perfectissime et distinctissime omnia possibilia.**

Demonstr. I. *a)* Dei essentia, cum sit ipsum *Esse*, omnes rerum perfectiones eminenter continet: quare ipsa existens obiectum divini intellectus illum velut determinat ad concipiendos omnes modos, quibus participari potest, quae est rerum possibilitas intrinseca, seu ad concipiendas omnes rerum essentias, quae in ea virtualiter continentur, quia intellectus divinus cognoscit quidquid per essentiam suam tamquam speciem intelligibilem cognoscere potest. — *b)* Deus non potest perfecte cognoscere suam omnipotentiam, quae est rerum possibilitas extrinseca, quin perfecte cognoscat connexionem cum omnibus et singulis possibilibus ut illorum virtutem productivam; atqui haec connexio cognosci non potest, quin distincte cognoscantur ipsa possibilia: ergo.

152. II. (Eccl. 23, 29): *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* (Rom. 4, 17): *Vocat ea, quae non sunt, tam-*

quam ea, quae sunt. — Augustinus: « In qua (sapientia divina) sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles atque incommutabiles rationes rerum, etiam visibilium et mutabilium, quae per ipsam facta sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest: porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quae noverat. Ex quo animo occurrit quoddam mirum sed tamen verum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem, nisi notus esset, esse non posset » (1).

153. **Corollarium** 1. Ex his sequitur, Deum cognoscere etiam *omnia enuntiabilia*, videlicet omnia, quaecumque sive de universalibus sive de individuis enuntiari possunt. Etenim quum adaequate cognoscat tum essentias rerum, tum individua possibilia, etiam quaecumque de his dici possunt, comprehendit.

154. **Corollarium** 2. Deus cognoscit *infinita:* « Imprimis enim, ait s. Thomas, Deus scit non solum ea, quae actu sunt, sed etiam quae sunt in potentia vel sua vel creaturae, haec autem constat esse infinita » (2), et Augustinus: « Infinitas numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cujus intelligentiae non est numerus » (3).

155. Prop. 18. **Deus distincte cognoscit omnia quae in aliqua differentia temporis operatione sive immediata, sive mediata per causas secundas easque necessarias aliquando reapse existunt.**

Demonstr. Haec propositio quatenus ad necessario extitura refertur sive sint praeterita, sive praesentia, sive futura, nullam praesefert difficultatem. In cognitione enim perfecta omnium possibilium, ut *forent* in se ipsis, comprehenditur ut particula, si fas est dicere, cognitio existentium ut *sunt* in se ipsis. Insuper quae ipse facit, certe cognoscit; nihil enim agit ignorans; quod vero causae secundae, hoc in perfectissima comprehensione virtutis qua eas necessario operantes instruxit, cognoscit.

(Heb. 4, 13): *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus.*

---

(1) *De Civ. Dei* l. 11. c. 10. — (2) 1. q. 14. a. 12. — (3) *De Civ. Dei* l. 12. c. 18.

156. Prop. 19. **Deus perfecte cognoscit libere et contingenter futura, seu omnes liberos creaturarum actus.**

Declar. Contingens est id quod potest esse et non esse, et sumitur late tam pro eo quod necessitate physica evenit; est enim et hoc libera Dei voluntate; quam stricte pro eo quod a libera causa creata fit: primo sensu opponitur necessario increato, altero sensu necessario creato. Hic accipitur secundo modo, et talis cognitio vocari solet *praescientia.*

157. Demonstr. I. (Ps. 138, 1. sq.): *Domine probasti* (investigasti) *me et cognovisti me. Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam et funiculum meum investigasti. Et omnes vias meas praevidisti, quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognovisti omnia, novissima et antiqua: tu formasti me et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me* (i. e. super omnem intelligentiam meam), *confortata est* (alta est et inaccessa adeoque) *et non potero ad eam* (intellectu meo pertingere). — Quam Dei praescientiam commissuris peccatum ob oculos ponit Eccl. (23, 28. 29): *Et non cognovit, quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abissi, et hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia sunt agnita; sic et post perfectum respicit omnia*; et (39, 24. 25): *Opera omnis carnis coram illo et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A saeculo usque in saeculum respicit et nihil est mirabile in oculis ejus.* — Susanna testem suae innocentiae invocat Deum, eo quod *novit omnia antequam fiant* (Dan. 13, 42).

158. II. Tertullianus: « Praescientia tantos habet testes, quantos fecit prophetas » (1); Augustinus: « Qui non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus » (2); Hieronymus: « Cui praescientiam tollis, tollis et divinitatem » (3). - Concilium Vaticanum definit: « Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt » (4).

159. III. Deus certo et infallibiliter cognoscit omne cognoscibile,

---

(1) *Contr. Marcion.* l. 2. c. 5. — (2) *De Civ. Dei* l. 5. c. 9. n. 4. — (3) *Adv. Pelag. Dialog.* l. 3. — (4) Const. 1. *de fide* c. 1.

cum sit perfectissime et infinite intellectivus. Atqui quaelibet futura, etiam libera, sunt cognoscibilia: nam sunt enuntiabilia, et de illis fieri possunt propositiones aliae verae, aliae falsae: ergo. — Praeterea hujusmodi cognitio est magna perfectio, quae non est incompossibilis cum alia aequali aut majore, et requiritur ad perfectissimam providentiam ac gubernationem universi: ergo.

160. *Obi.* Si libere futura praesciuntur a Deo, necessario futura sunt, adeoque illa non erunt libere futura; ergo aut Deus non praevidet, aut tollitur libertas.

Resp. Cognitio Dei non ponit, sed supponit suum obiectum; ut enim aliquid scitum et cognitum esse possit, necesse est, ut in se habeat, unde scibile et cognoscibile sit, igitur hanc rationem scientia non ponit, sed supponit. Eodem modo visio nostra non immutat rerum visarum naturam, nec in illas influit. Nam, ut docent Patres, non ideo res liberae futurae sunt, quia Deus praescit illas esse futuras, sed e contra ideo Deus praescit illas esse futuras, quia futurae sunt. Praescientia Dei se habet instar speculi repraesentantis ea quae ei obiiciuntur, et eo modo quo obiiciuntur, nullatenusque determinantis ad unum ea quae repraesentat. Sicut igitur speculum non tollit libertatem motuum, quos repraesentat, quia illos supponit, nec ullatenus in eos influit: similiter praescientia divina non tollit libertatem actuum, quos repraesentat, quippe quae eos supponit et nullatenus in eos determinandos influit. « Sicut tu memoria tua, ait Augustinus, non cogis facta esse, quae praeterierunt; sic Deus praescientia sua non cogit facienda, quae futura sunt » (1).

Imo vero praescientia nedum tollit sed adstruit et infert libertatem actuum liberorum. Nam si Deus praescit libera futura, repugnat, ut non sint libere futura. Deus enim non solum praescit obiectum liberum futurum, sed etiam modum quo futurum est: ac proinde praescit libera futura libere futura esse. Unde cum praescientia Dei falli absolute nequeat, actus liber praescitus ut futurus non potest non esse libere futurus. « Non igitur per ejus praescientiam mihi potestas adimitur, quae propterea mihi certior aderit, quia ille, cujus praescientia non fallitur, adfuturam mihi esse praescivit » (2).

---

(1) *De lib. arb.* l. 3. c. 4. — (2) Augustinus *de lib. arb.* l. 3. c. 3.

161. Prop. 20. **Certissima scientia novit Deus futura conditionata libera.**

Declar. Futura conditionata libera dicuntur quaecumque homo vel Angelus, si in hac vel illa conditione versarentur, libera voluntatis electione acturi essent, quaeque numquam agent, quia non ponitur conditio. Vocantur etiam futuribilia.

Inter actionem et conditionem debet esse *aliquis* nexus, sive ut occasio sive ut causa moralis alliciens, ut v. g. haec: Petrus negaret Christum, si tali modo tentaretur; unde huc non pertinent propositiones hypotheticae, quae fiunt inter disparata, ut haec: si Petrus luderet Parisiis, Joannes peccaret Romae. Porro hic nexus non debet esse *necessarius*, quia tunc non amplius de liberis futuris, sed de necessariis futuris sermo esset, de quibus nulla est difficultas.

Hanc scientiam nonnulli vel prorsus negarunt, vel coniecturalem tantum Deo adscripserunt; nunc tamen fere omnes eam admittunt.

162. Demonstr. i. (Sap. 4, 11): *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius... Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* (I. Reg. 23, 10-12): *Domine... audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me. Si tradent me viri Ceilae in manus ejus? et si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel, indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilae, et viros, qui sunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.* (Matth. 11, 21): *Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida; quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.*

163. II. *a)* A pluribus Patribus tractatur quaestio, cur Deus Angelos creaverit, qui perituri erant; cur Adamo praeceptum dederit, quod non servans mortem incursurus erat. Respondent autem omnes confitendo lapsus hos a Deo praevisos fuisse. Praevidit ergo ex hac Patrum sententia Deus, quid Angeli, quid homines libera voluntate acturi essent, si eos creasset et praeceptis adstrinxisset. Cognitio horum lapsuum ante decretum creationis fuit unum ex conditionatis liberis, quia a decreto libero creationis

nondum emanato dependebat: ergo. — Sicut in eundem modum loquuntur Patres generatim de permissione peccatorum; ita hanc divinam scientiam in providentia quoque circa justos contemplantur. Nunc enim tradunt, a Deo electos illo tempore et eo modo vocari, quo praevidentur obtemperaturi, nunc pios flagellis premi et oneribus gravari, aut etiam praematura morte abripi, quia Deus praevidet, ni ita fieret, futurum esse, ut tentationibus adversarii succumberent. Haec vero loquendi ratio evidenter supponit eos ratum habere, Deum cognoscere futura libera, quae sub qualibet conditione existerent, etiamsi haec numquam ponatur (1). — Haec doctrina in fidelium omnium mente poenitus insidet, ita ut ea non solum se in vitae casibus adversis consolentur, sed vota etiam et preces ad Deum dirigant. Nonne saepe mortem postulant a Deo, cognitum si haberet, fore ut diutius viventes in peccata prolaberentur? Nonne bona vitae ea tantum conditione a Deo petunt, si praevideat, acceptis bene se usuros esse? Neque enim dubitant, haec futura, ut omnia, a Deo plena certitudine cognosci.

b) Praeter a Patribus allegatas aliae accedunt rationes theologicae. Perfectio divinae scientiae exigit, ut certo cognoscat, quidquid nos probabiliter coniicimus; sed quid facturus sit homo in his vel illis adiunctis constitutus et nos probabiliter coniicimus: ergo hoc Deus infallibiliter scire debet. — Providentia, qua Deus rerum mundanarum cursum eo quidem ordine, quem ipse elegit, ad praestitutos fines dirigit, praesupponit hanc scientiam; quem enim ordinem antecedenti consilio eligere potuisset, si ignoraret, quidnam causae creatae libere pro varia conditione, in qua ponerentur, operaturae essent?

164. *Obi.* 1. Scriptura loquens de cognitione futuribilium adhibet particulam *forte*. (Matth. 11, 23): *Si in Sodomis factae fuissent virtutes, quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem.* (Cf. Jerem. 26, 2. 3).

Resp. Particula ἄν cum indicativo, quam vulgatus vertit (v. 23) *forte*, non denotare rem sub dubio positam sed conditionatam, notum est. Idem τό *forte* vulgati non exprimere dubitationem inde etiam patet, quod eandem particulam ἄν in eadem constructione modo vertat per *forte*, modo per *utique* (Jo. 8, 19; 14, 7).

---

(1) Cf. eorum testimonia apud Kleutgen n. 481 et Franzelin th. 45.

Ponitur itaque, ut animadvertit Hieronymus (1), aliquando in Scriptura illud *forte*, non ut incertitudo Dei designetur, sed ea loquendi formula indicatur, nullam humanae libertati ex praescientia Dei inferri necessitatem.

Obi. 2. Augustinus reprehendit in Semipelagianis hanc scientiam.

Resp. Reprehendit praeposteram illius scientiae applicationem, quod scilicet Deus ex praescientia meritorum vel peccatorum, quae numquam essent futura, hominum sortes definiret et alios praedestinaret ad gloriam, alios damnaret ad poenam. De hac vero scientia, quae sit simplex notitia, minime vero norma praemii vel supplicii, ita scribit compellans Pelagianos: « Respondeant si possunt, cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de vitae hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum. Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil horum nisi perversissime et insanissime dicitur » (2).

ARTICULUS III.

De medio scientiae divinae.

165. Quae hucusque de divina scientia explicata sunt, vel fidei dogmata vel per hanc fidem certissima adeoque communi suffragio comprobata sunt; eorum autem quae sequuntur, pars magna in controversia versatur. Certa itaque a minus certis secernentes, praecipuas de vexatissima hac quaestione theologorum opiniones proponemus.

166. Medium cognitionis id appellatur, cujus cognitione in cognitionem alius rei ducimur, ut cum in speculo viso videmus hominem, ex fumo cognoscimus ignem, ex homine animal et mentem. Cognitio sic comparata dicitur mediata. Quando loquimur de medio divinae cognitionis non intelligimus medium illationis, quod ejus perfectioni repugnaret, sed medium extensionis, in quo, sine discursu, aliud cognoscitur eadem cognitione. Itaque

1. Certum apud omnes est, Deum suam essentiam immediate

---

(1) *In Ierem.* c. 26. — (2) *De correp. et grat.* c. 8.

seu citra ullum medium cognoscere (n. 145). Nam nihil prius essentia sua esse potest et insuper cum ea intellectio identificatur.

2. Possibilia cognoscit in sua essentia tamquam in exemplari, speculo ea repraesentante, et in sua potentia tamquam in causa effectrice.

3. Creata Deus cognoscit in se ipso. Hoc sequitur ex dictis (n. 146), et conveniunt omnes (1). Magna controversia est *utrum Deus creata cognoscat etiam in se ipsis.* Quae verba in *se ipsis* non sunt referenda ad id, quod de rebus cognoscitur; procul dubio enim cognitio divina non sistit in esse eminenti, quod res in ipso habet, sed porrigitur ad ea, quae extra eum sunt vel esse possunt, ita ut haec secundum proprias suas substantias cognitionis sint terminus seu obiectum. Sed in *se ipsis* refertur ad hoc, utrum non solum in se tamquam medio cognito, sed etiam in ipsis immediate seu absque ullo medio a mente divina attingantur. Pro parte negante cum antiquis pugnat Kleutgen; pro affirmante recentiores scolastici, inter quos Franzelin, Stentrup, etc.

---

(1) *Quaeres:* quomodo Deus videt in se ipso malum morale, cujus Dei essentia non est exemplar? *Respondeo:* in peccato distinguenda sunt duo: materiale, et malitia formalis, seu repugnantia cum recta ratione. Materiale praecise non est quid malum; tum quia nullus dixerit motus irae, crudelitatis, lasciviae in belluis esse malos, cum sint ab auctore naturae, a quo belluae aguntur; tum quia omne ens positivum est metaphysice bonum: bonitas enim est proprietas entis: atqui actiones malae sunt entia positiva: ergo metaphysice spectatae sunt bonae, ac proinde earum rationes sunt in Deo. Sed quod est natura in pecore, illud vitium est in homine; quia est dissentaneum naturae rationali, ac proinde legi aeternae: haec autem repugnantia, in qua consistit malitia formalis, est defectus, qui in Deo locum non habet. Quomodo ergo illum videt? Videt indirecte per bonum oppositum, quod in ipso est, sicut ceteras privationes per formam oppositam, caecitatem per visum, tenebras per lucem; quod enim nihil est, per se non est cognoscibile. Videlicet Deus cognoscit hominis voluntatem, et legem huic positam: sed in homine peccante cognoscit voluntatem sine illa rectitudine, quam in ordine ad legem habere deberet; et sic Deus hominem peccantem seu malum cognoscit, quemadmodum nos arborem, quae in quantum est, bona est, sterilem seu malam vocamus, si debito tempore fructus in illa non cernimus, eamque ob hanc boni privationem etiam excidendam, et in ignem mittendam judicamus. Neque hic cognoscendi modus arguit imperfetionem; nam, « cognoscere, ait s. Thomas, aliquid per aliud, (tunc) tantum est imperfectae cognitionis, si illud sit cognoscibile per se: sed malum non est per se cognoscibile, quia de ratione mali est, quod sit privatio boni; et sic neque definiri, neque cognosci potest nise per bonum. » 1. q. 14. a. 10.

4. Absolute necessario futura, quae vel ipse immediate vel per causas secundas necessario operantes facit, cognoscit in suis decretis absolutis. Ita omnes.

167. 5. De liberis futuris (sive sint actiones liberae quae reapse futurae sunt, sive sint liberae conditionate futurae) triplex est sententia. *Prima,* quae est Thomistarum (Alvarez, Gotti, Gonet, Bannez, Ioann. a s. Thoma etc.) tradit, *libera absolute futura* tum in ordine naturali tum in ordine supernaturali Deum cognoscere in *suis decretis physice determinantibus,* peccata vero in decreto permissivo quoad malitiam, praedeterminante quoad entitatem actus physici; *libera autem conditionate futura* (futuribilia) in decretis subiective absolutis et obiective conditionatis. Neque igitur modo Deus ab aeterno praevidit e. g. Magdalenae poenitentiam, quia ab aeterno decreverat ad hanc eam praedeterminare; sed etiam ideo ab aeterno novit, futurum fuisse, ut Sidonii, Christo apud eos mirabilia operante, poenitentiam agerent, quia ab aeterno statuerat, conditione illa posita, quae tamen non ponetur, eos ad poenitentiam praedeterminare. Cum igitur utraque haec futura non sint futura, nisi per decreta divina vel absoluta vel hypothetica, sequitur ut nisi his decretis cognosci nequeant, et ante haec non possit concipi nisi simplex intelligentia possibilium. — Ast non minus nervose alii theologi ista decreta reiiciunt, quod videantur humanae libertati contraria et, si agitur de futuribilibus, etiam illusoria, quum in Thomistarum hypothesi etiam conditio obiectiva pendeat ab ipsius Dei decreto physice determinante.

168. *Altera* opinio est, haec cognosci a Deo *in se ipsis* sive *in veritate ipsorum obiectiva.* Hanc a Suaresio propositam amplectuntur plerique recentiores (Franzelin, Stentrup, Palmieri). Sententiam suam ita declarant: Scientia divina ex se est determinata ad cognoscendum omne verum; atqui contingentia absolute et conditionate futura habent determinatam veritatem: ergo. Porro cognoscuntur in se ipsis, non quasi ad sui cognitionem divinam mentem moveant, sed quia eorum veritate obiectiva conditio et terminus sunt, in quem divinus intuitus nulla re interposita fertur; ex quo sequitur essentiam divinam esse semper obiectum primarium, haec autem obiectum secundarium, necessarium tamen ad divinam praescientiam determinandam. — Haec quidem,

animadvertit Kleutgen (1), optime dicuntur ad demonstrandum haec futura a Deo cognosci, at non solvere quaestionem de *medio* scientiae divinae, quod cum non possit esse aliud a divina essentia, hic quaeritur, sub *qua ratione* considerata essentia divina ea repraesentet, tamquam quae actu sunt futura vel posita conditione essent futura.

169. *Tertia* sententia est, futura libera in causis suis proximis, nempe in ipsis voluntatibus creatis et adiunctis omnibus simili modo ut a nobis et Angelis, non probabili tamen, sed certissima scientia praenosci (Bellarminus, Toletus, Molina, Becanus). Deus enim infinita vi sui intellectus ita penetrat et comprehendit liberum arbitrium nostrum, ut ab aeterno potuerit praevidere, in quem partem esset se determinaturum, si tales vel tales circumstantiae illi offerentur, non quod ratio cognoscendi futuram determinationem, sit ipsa libertas arbitrii in se spectata, sed infinita perfectio divini intellectus, quae plus potest cognoscere in causa, quam de facto in ipsa sit. — Respondent alii cum s. Thoma (2): aliquid certo cognosci non potest in alio ut in medio cognito, nisi cum illo necessariam habeat connexionem; atqui libere absolute futura non habent necessariam connexionem cum suis causis proxime completis: nam causae liberae cum omnibus etiam circumstantiis eorumque propensionibus et proxime completae ad agendum possunt semper agere et non agere, alioquin liberae non essent; ergo.

Responderit quispiam, solum divinum arbitrium prorsus esse absolutum, creatum vero eatenus sub lege quadam constitutum, quatenus voluntas haec singularis in his rerum adiunctis, etsi in utramque partem movere se possit, certissime tamen hanc prae illa eligat; ejusmodi autem legem non voluntate divina sed rerum natura positam, non cognosci nisi a Deo, omnia in sua essentia contemplante. Verumtamen annon hac lege simili modo atque decreto intrinseco, quod Scotus tradidisse multis videtur, libertas e medio tollatur, alii judicent (3).

In tanta mysterii obscuritate praeplacent verba Augustini: « Ne forte hoc a me, fratres, expectetis, ut explicem vobis, quo-

---

(1) *Op. cit.* n. 548. — (2) *Contr. g.* l. 1. c. 67. et. 1. q. 14. a. 13. — (3) Kleutgen n. 551.

modo cognoscat Deus; hoc solum dico, non sic cognoscit, ut homo; non sic cognoscit ut Angelus; et quomodo cognoscit, dicere non audeo, quoniam et scire non possum. Unum tamen scio, quia et antequam essent, omnia noverat Deus » (1). Vere proinde *mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est et non potero ad eam* (Ps. 138. 6).

ARTICULUS IV.

De divisione scientiae Dei.

170. Etsi scientia Dei contuitus sit simplex et invariabilis, multiplex tamen est ipsius terminus et diversi modi, quibus hic ad illam se habet. Si ex hoc denominationes scientiae desumimus, dividi solet:

1. In *scientiam necessariam*, cujus obiectum est independens a liberis Dei decretis, ut Deus et omnia possibilia; et *liberam*, cujus obiectum dependet a libero Dei decreto, uti res omnes creatae vel existentes vel aliquando extiturae. Horum scientia est libera seu contingens quia illae res poterant non esse, sed si existunt, necessario a Deo cognoscuntur, unde dicitur etiam hypothetice necessaria.

2. In *speculativam*, quae versatur circa rem non producibilem vel circa rem producibilem, sed non ut producibilis est; et *practicam*, quae versatur circa rem producibilem ut producibilem. Scilicet excepta scientia de se ipso, quae est tantum speculativa, de omnibus aliis habet Deus scientiam et speculativam et practicam. Est enim practica in actu primo quatenus repraesentat ea quae accipere existentiam *possunt;* est practica in actu secundo quatenus ut directrix et exemplaris causa praelucet liberae Dei voluntati producenti res quae actu sunt. Haec est causa rerum, non quidem sola, sed ut habet votuntatem Dei adnexam, quam per modum prudentiae et artis dirigit. Itaque scientia est causa rerum ut dirigens, voluntas ut imperans et determinans opera, omnipotentia ut exequens; et horum om-

(1) In. *Ps.* 49. n. 18.

nium origo et finis bonitas divina. Quoad mala est practica tantum permissive.

3. In scientiam *approbationis et reprobationis,* prout est cognitio obiecti, quod Deo placet vel displicet. Hinc in scriptura Deus saepe dicitur ea nescire, quae scientia scit reprobationis, ut: *Amen dico vobis, nescio vos* (Matth. 25, 12).

4. In scientiam *simplicis intelligentiae,* qua cognoscit possibilia, quae actu nec sunt, nec erunt, nec fuerunt; et scientiam *visionis,* qua Deus intuetur se ipsum et quaecumquae praeter eum sunt, fuerunt vel erunt. Inde vero a saeculo XVI exeunte a Ludovico Molina novum divisionis membrum inductum fuit, quod cum medium quemdam locum inter utramque scientiam teneat quatenus in aliquo cum utraque convenit, et simul in alio ab utraque differt, scientiam *mediam* appellant. Hac novit Deus sub conditione futura. Scientiam mediam acriter oppugnant Thomistae contendentes bipartitam illam divisionem adaequatam esse, et futuribilia partim scientia simplicis intelligentiae partim scientia visionis attingi. Cum vero omnes conveniant, futuribilia a Deo certo cognosci, haec quaestio arctatur ad medium, quo haec futura cognoscit.

CAPUT V.

De voluntate divina.

171. Caput hoc in duas disputationes dividimus, in quarum prima voluntatem Dei universim, in altera voluntatem quatenus supernaturalem providentiam constituit et pro obiecto habet salutem hominum, seu voluntatem salvificam, spectabimus.

Disputatio I.

De voluntate Dei universim.

ARTICULUS I.

De voluntatis existentia, ejusque obiecto.

172. Prop. 21. **Est in Deo voluntas perfectissima, cujus ipse Deus est obiectum primarium, secundarium vero finita bona.**

Declar. Omnis res inclinatur in bonum sibi proportionatum, quae quidem inclinatio in iis quae cognitione carent, *appetitus naturalis* vocatur, in iis vero quae sensu suum bonum percipiunt, *appetitus sensitivus*, in iis denique, qui intellectu illud apprehendunt, *appetitus rationalis* seu voluntas, quae itaque est facultas appetendi bonum et adversandi malum intellectualiter cognitum.

173. Demonstr. i. p. Esse in Deo voluntatem eamque perfectissimam probat ratio perfectionis simplicis, quae eidem competit; natura spiritus absolute perfecti, quam Deo vindicavimus; ea omnia, a quibus maxime vita et operatio divina laudatur, quaeque sine voluntate esse non possunt, ut summa potestas et imperium, beatitudo, justitia, liberalitas; tandem Scriptura, quae passim voluntatem amoremque Dei commemorat.

Eam porro esse actum purum simplicem necessarium infinitum, ipsamque divinam essentiam spectatam sub ratione volitionis, post ea quae de intelligentia divina disputavimus, nulla eget demonstratione.

174. Demonstr. ii. p. Illud est obiectum primarium et formale (1) quod ipsum propter se et cujus gratia cetera volumus; itaque

---

(1) Obiectum materiale est id circa quod versatur potentia, formale est ratio, sub qua potentia versatur circa obiectum materiale, ut sanitas respectu pharmaci, vel color respectu visus. Quoad voluntatem divinam obiectum materiale necessarium, primarium est ipsa essentia, secundarium res creatae; obiectum formale est sola bonitas divina; nam quidquid vult, nonnisi propter suam vult bonitatem. Unde in Deo obiectum primarium materiale est ipsum obiectum formale, ut in propositione statuimus, licet aliqua ratione distingui possint.

si principale obiectum divinae voluntatis non esset Deus ipse, aliud quidpiam Deo esset causa volendi, adeoque Velle divinum ab aliquo a Deo distincto, tamquam causa, penderet, et cum Deo idem sit velle quod esse, etiam aliquid aliud erit ei causa essendi: quod repugnat.

175. DEMONSTR. III. P. Obiectum secundarium est illud quod ratione alterius diligitur; ita pharmacum intuitu sanitatis amatur. Iam vero bona creata participatio quaedam sunt et similitudo essentiae divinae, et ipsa Deo nullatenus necessaria sunt propter ejus infinitatem et independentiam: si igitur ad ea voluntas divina refertur, referri tantum, ut bonitatis divinae participata quaedam similitudo sunt, ad ea potest, quamobrem respectu eorum Bonitas divina divinae voluntati est princeps volendi ratio (1).

176. Prop. 22. **Deus malum morale nullo modo, nec per se nec per accidens intendere, sed tantum illud permittere potest; malum vero physicum vult per accidens.**

DEMONSTR. I. P. *Malum morale Deus nullo modo vult.* Constat *a)* ex conc. Trident. sess. 6. can. 6: « Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Ju-

---

Quaeri solet, utrum Deus res possibiles amet? Nonnulli affirmant, quia possibilia sunt quaedam participatio essentiae suae; et si hanc diligit et illa amore quodam complacentiae diligere debet; alii negant, quia cum nullam habeant existentiam, nullam participant rationem boni. Certe Deus non amat possibilia amore efficaci sicut creaturas; sed potest dici quod in possibilibus amat suam omnipotentiam.

(1) *Dices:* si Deus omnia propter se ipsum diligit, non est in eo nisi amor concupiscentiae, qualis potest esse in hero, qui famulum diligit in proprium suum commodum, dum e contra constat, Deum homines vero prosequi amicitiae amore. *Resp. Neg. sequelam majoris;* quia Deus non in utilitatem suam, sed in nostram omnia ad se dirigit. « Deus, inquit s. Thomas l. 3. c. g. c. 18, qui est primum omnium rerum agens, non sic agit, quasi actione sua aliquid acquirat, sed quasi actione sua aliquid largiatur: quia non est in potentia, ut aliquid acquirere possit, sed solum in actu perfecto, ex quo potest largiri ». Largitur autem creaturis ratione destitutis, neque in suum, neque in earum proprium commodum, sed in nostrum dumtaxat; et ita neque amore concupiscientiae, neque amore amicitiae eas diligit: nobis contra bene vult et facit in bonum nostrum. Quodnam vero est bonum nostrum nisi Ipse? Ergo eo ipso suam benevolentiam demonstrat, quod nos propter seipsum diligit.

dae, quam vocatio Pauli, a. s. » - *b)* Ex innumeris Scripturarum locis, quibus omne peccatum prohibetur, leges contra illud feruntur, poenae et praemia sanciuntur. - *c)* Quod non velit malum per se, est evidens; malum enim qua malum nullo modo est appetibile. Sed neque per accidens i. e. ratione alterius boni coniuncti; nam « malum quod coniungitur alicui bono, est privatio alterius boni. Numquam igitur appeteretur malum nec per accidens, nisi bonum, cui coniungitur malum, magis appeteretur, quam bonum, quod privatur per malum » (1). (V. g. volo abscindi brachium propter vitam; magis volo vitam quam brachium, quo abscissio mala privat). Sed Deus non potest magis velle bonum coniunctum cum peccato, quam bonum, quo peccatum privat. Ergo Deus neque per accidens potest velle peccatum. *Prob. minor:* Ordo moralis resultat ex relationibus, quibus creaturae rationales cum Deo nectuntur. Hujusmodi relationes ex ipsis rerum essentiis emergunt; essentiae vero rerum fundamentum habent in divina natura, quae proinde, non prout est voluntas libera, sed prout est essentia necessaria fundamentum est omnium relationum, quae inter essentias rerum intercedunt. Hinc quaelibet violatio ordinis moralis repugnat ordini, quem ad Deum habent creaturae rationales, ideoque adversatur ipsi essentiae divinae, illius ordinis fundamento: sed Deus essentiam suam necessario diligit nihilque ea magis diligere potest; ergo nequit Deus velle bonum coniunctum cum violatione ordinis moralis magis, quam bonum illud, quo haec violatio privat.

177. Demonstr. II. p. *Deus potest malum morale permittere.* Haec permissio eo tandem redit, quod Deus hominem libero donavit arbitrio mediisque instruxit, quibus peccatum vitare possit, posset tamen si velit, illud committere. Libertas est maximum bonum, nec ex ea sequitur necessario peccatum, sed ex ejus abusu malitiâ hominis. Atqui independentia Dei a creatura postulat, ut Deus nequeat impediri a malitia creaturarum a creandis iis quae possibilia in se sunt, et creandis in omnibus adiunctis possibilibus. Porro si Deus non posset permittere mala moralia, consequens foret, quod Deus non posset creare creaturas liberas, quae se determinare possent ad malum ex aequo ac ad bonum, quasque

---

(1) 1. q. 19. a. 9.

proinde praevidet peccaturas. Itaque exercitium ipsius divinae potentiae limitaretur a creatura, quod est absurdum (1).

178. Demonstr. iii. p. *Malum physicum vult per accidens.* Malum physicum est privatio boni naturalis, ut defectus naturales, morbi, venena, calamitates publicae etc. Haec vero mala Deus *non intendit per se,* quia voluntas nequit ferri in malum prout malum est, cum ejus obiectum formale sit bonum. Neque potest relate ad Deum rationem induere boni apparentis; Deus enim falli nequit. Potest tamen illa per *accidens intendere.* Per accidens id appetitur, quod non ratione sui, sed ratione alterius, cui coniunctum est, appetitur. Hoc intendit voluntas *in se,* quamquam non *propter se,* sed propter majus aliud bonum. Iam vero malum physicum est malum, quia est contra ordinem particularem alicujus naturae vel subiecti. Quod autem est contra ordinem particularem, potest idem esse bonum spectato ordine ampliori et universali, et sic induit rationem boni, quia conducit ad majus bonum, ut occisio animalis ad conservationem hominis, morbus corporis ad patientiam animae confert. Atqui quod bonum est, potest intendi a rectissima voluntate; ergo Deus potest velle mala physica propter majus bonum, quod inde consequitur, imo debet, quia finem potius quam media diligere tenetur, ideoque diligere debet potius id ad quod aliud tamquam medium ordinatur, quam istud quod ordinatur.

ARTICULUS II.

De partitione divinae voluntatis.

179. Sicut Dei scientia, ita et voluntas nonnisi ratione termini et modi, quo in terminum fertur, partitiones recipit. Praecipuae sunt:

1. In *voluntatem necessariam,* qua Deus se ipsum, utpote infinitum bonum, amat, et *liberam,* qua vult res alias, videlicet entia contigentia.

2. In *antecedentem,* qua fertur in obiectum secundum se consideratum et praecisum a circumstantiis, et *consequentem,* qua fertur in obiectum omnibus suis circumstantiis vestitum. Sic ju-

---

(1) Cf. Monsabré op. cit. *Governo di Dio Confer.* 22.

dex antecedenter vult omnem civem vivere, et ad vitam cujusque tuendam, media suppeditat; sed civem homicidam voluntate consequente vult occidi.

3. In *absolutam,* quae a nulla conditione pendet, ut decretum creandi mundum, et *conditionatam,* qua aliquid posita quadam conditione faciendum decernit, ut voluntas defendendi Israelitas ab hostibus, si mandata ejus observarent.

4. In *efficacem,* quae effectum suum consequitur, et *inefficacem,* quae cum effectu coniuncta non est. De illa dicitur: *Voluntati ejus quis resistit?* (Rom. 9, 19); de hac: *Mundare te volui, et non es mundata* (Ezech. 24, 13). Cum vero voluntas inefficax sit voluntas legislatoris, quae *inadaequate* i. e. ut jubens tantum, vel *adaequate* ut jubens et puniens spectari potest, patet voluntatem inefficacem posse quidem aliquo sensu carere effectu, sed aliquo sensu eam esse semper efficacem et invictam.

5. In *ordinantem,* qua aliquid positive intendit, et *permittentem,* qua peccata non impedit, quia non vult nobis vim inferre.

6. In voluntatem *beneplaciti,* qua vera Dei volitio designatur, et *signi,* qua Deus exterius declarat se aliquid velle et metonymice dicitur voluntas, sicut testamentum dicitur ultima voluntas testatoris. Quinque communiter assignantur divinae voluntatis signa, nempe *praeceptum, prohibitio, consilium, permissio et operatio,* quibus colligimus latentem alterius voluntatem, judicamusque illum velle cum praecipit, permittit, suadet et operatur; nolle vero cum prohibet. Voluntas signi semper quidem denotat aliquam in Deo voluntatem, alioquin signum esset falsum, sed non semper Deum velle quidquid illo signo apprehendimus nos, ut patet ex praecepto facto Abrahamo, qui intellexit hoc praecepto Deum velle Isaacum sibi immolari; cum vellet dumtaxat tentare ejus obedientiam. Ita cum praecipit et prohibet, vult nos obligari et hac sua voluntate efficit, ut sua ordinatio vera sit lex et ordinis moralis fundamentum inconcussum. Cum consulit, vult perfectiora ostendere et ad ea sectanda provocare, quo lex perfectionis existit. Cum permittit, vult, non sane ut ea, quae improbat, fiant, sed tamen, ut ab iis perpetrandis non impediamur, nec cuncursu ejus careamus.

180. **Corollarium.** Hinc sequitur primo, omnem voluntatem signi, esse etiam voluntatem beneplaciti, non quidem semper respectu

ejus, quod nos primo adspectu concipimus, sed tamen respectu ejus, quod Deus revera intendit. Addo secundo, omnem etiam voluntatem beneplaciti, quae quidem nobis innotescat, esse voluntatem signi. Non enim nobis potest innotescere, nisi per aliquod signum.

181. SCHOLION. Quaeri solet an animi affectus, voluntati divinae attribuendi sint. Sunt in nobis actus voluntatis, qui affectiones appetitus rationalis interdum dicuntur, ut amor, odium, ira, timor, spes etc. et sunt in nobis affectiones appetitus sensitivi seu commotiones sensiles, quae cum illis animi motibus coniunctae sunt, et quarum causa hi motus *passiones* vocantur (1). Posteriores hos motus non esse in Deo, substantia spirituali purissima, manifestum est. Sed etiam priores sensu proprio tribui Deo nequeunt. Proprie enim motus mutationem significat et affectio accidens est, quae abhorrent a divina natura. Dempta vero omni imperfectione, ex his nonnulli ut e. g. amor et gaudium, sunt in Deo formaliter, ceteri tantum metaphorice, seu quoad effectum. Ita v. g. quia irati hominis est punire, impassibilem Dei voluntatem qua peccatores punit, iram dicimus; quia tristitia in nobis praesupponit amorem ejus, cujus contrarium contingit, Deus tristari dicitur, quatenus aliqua fiunt iis, quae amat, contraria.

ARTICULUS III.

De libertate divinae voluntatis.

182. Quot modis necessarium dicitur, totidem dicitur ejus oppositum liberum. Necessitas itaque alia est *moralis*, quae consistit in obligatione, quam leges et officia voluntati imponunt; alia est

---

(1) « Vis cognoscitiva non movet, nisi mediante appetitiva; et sicut in nobis ratio universalis movet mediante ratione particulari, ita appetitus intellectivus, qui dicitur voluntas, movet in nobis mediante appetitu sensitivo, unde proximum motivum corporis in nobis est appetitus sensitivus. Unde semper actum appetitus sensitivi concomitatur aliqua trasmutatio corporis.... Sic igitur actus appetitus sensitivi, in quantum habent transmutationem corporalem adnexam, *passiones* dicuntur, non autem actus voluntatis. Amor igitur, et gaudium, et delectatio, secundum quod significant actus appetitus sensitivi, passiones sunt; non autem secundum quod significant actus appetitus intellectivi: et sic ponuntur in Deo. » S. Th. 1. q. 20. a. 1.

physica, qua agens determinatur ad aliquid. Hinc duplex libertas *moralis* et *physica*.

Ratione vero habita necessitatis physicae triplex actus distinguitur, *coactus, spontaneus, voluntarius*. *Coactum* dicitur quod est a principio extrinseco vim inferente: ut cum invitum hominem trahis. *Spontaneum* vocatur id quod est a principio intrinseco ex sua natura determinato ad agendum, ut germinatio in planta: si spontaneum sit cum ratione finis, appellatur *voluntarium*. Hinc duplex libertas physica, prout dicit immunitatem a *coactione* vel ab *intrinseca necessitate*.

Haec posterior, quae proprie venit nomine liberi arbitrii, est facultas, qua quis positis omnibus, quae ad agendum sunt necessaria, potest agere vel non agere, seu facultas determinandi se ipsum, vel facultas electionis, et dicitur etiam libertas *indifferentiae*.

Hujus (pro diversitate obiecti, circa quod versatur electio), triplex distinguitur modus: *contradictionis, specificationis, contrarietatis*, prouti indifferentia est ad duo contradictoria, ut agere et non agere h. e. velle et nolle idem; vel ad res et actus specie diversos, ut ludere et dormire; vel ad duo contraria, ut actus virtutis et ejus oppositum, nempe peccatum. Libertas contrarietatis est defectus, imperfectio libertatis, adeoque in Deo esse non potest, cui tamen perfectissima competit libertas nedum a necessitate morali et coactione sed etiam a necessitate interna.

Circa libertatem Dei plus minusve errarunt Abaelardus, Wicleffus, Calvinus, Leibnitius, Hermesius et Güntherus. Contra hos sit

183. Prop. 23. **Deus in iis, quae extra se agit, libero utitur arbitrio.**

Declar. Dicitur in iis, quae *extra se agit*, quia se ipsum bonum infinitum clare visum necessario amat, et operationes ad *intra*, generatio scilicet Filii et Spiritus sancti, necessariae sunt, non sane necessitate, qua bruta operatur natura, sed illa, quae cum intelligentia et amore coniuncta est, quin etiam ex utriusque perfectione nascitur.

184. Demonstr. 1. (Ps. 113, 3): *Omnia, quaecumque voluit, fecit;* ergo voluit libere quae fecit, alioquin voluisset quaecumque potuisset. (I. Cor. 12, 11): *Haec autem omnia operatur unus atque*

idem Spiritus dividens singulis prout vult. (Ephes. 1, 11): *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae,* i. e. secundum consilium acceptatum a voluntate, hoc est, secundum electionem voluntatis ideoque libere. — Saepe Deo tribuitur *electio* nunc populi nunc civitatis, nunc hominum singulorum ad varia munera et fidelium omnium ad gratiam, praesertim vero Jacob prae Esau (Rom. 9, 11 - 15); atqui electio est juxta s. Thomam « appetitus praeconsiliati, » ideoque consilium, quod supponit libertatem, sequitur. — Tandem Deus narratur fecisse, quae potuit nolle, et vicissim non fecisse, quae potuit velle: *Deus noster,* inquiunt pueri Hebraeorum, *potest nos eripere de camino ignis... quod si noluerit, notum tibi sit, rex, quod deos tuos non colimus* (Dan. 5, 17. 18).

185. II. Augustinus: « In eo quod dicitur: Vidit Deus quia bonum est, satis significatur, Deum nulla necessitate, nulla suae cujusquam utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum, id est quia bonum est » (1).

186. III. Voluntati divinae, ut ea ad res a se distinctas refertur, princeps volendi ratio est essentia divina, ita ut Deus nihil extra se velit, quod non propter se velit; quare eadem voluntas illa, quae a Deo distincta sunt, nonnisi ut medium respicit: hinc, quum media necessario numquam velimus, nisi necessario coniuncta sint cum fine necessario volito, voluntas divina res a Deo distinctas eatenus necessario tantum amplectitur, quatenus non volendo illas perfecto amore essentiam divinam complecti non posset. Atqui evidens primo est Deum cognoscere suam essentiam et ea omnia, quorum causa et ratio ea esse potest, adeoque se ipsum perfecte cognoscere quin ulla res ab ipso distincta existat; evidens secundo, non minus plene Deum amare plenitudinem et independentiam divini Esse adeoque perfecte se ipsum amare, quum ejus voluntas versatur circa non existentiam rerum a Deo distinctarum, quam quum circa earum existentiam occupatur. Ergo cum perfecte se cognoscat et amet, sive sint res a se distinctae, sive non sint; hae ad voluntatem divinam ut medium non necessarium referuntur, proindeque circa ea libero gaudet arbitrio.

---

(1) *De Civ. Dei* l. 11. c. 24.

187. **Corollarium** 1. Libertas divina non est *indifferentia potentiae ad actum,* sed indifferentia *terminationis* in actu: scilicet Deus non se determinat ad hoc vel illud transeundo de potentia in actum, cum in Deo non sit nisi actus isque unicus, sed a tota aeternitate ille actus est active determinatus ad obiecta omnia haec ut volita, ea ut nolita; quam liberam determinationem necessitas hypothetica consequitur. Unicus igitur est usus libertatis in Deo, quo semel tantum, in ipsa aeternitate, libere decernit de omnibus extra se, in eoque, quod libere decreverit, perpetuo eadem libertate manet. Unde concipi nequit Deum aliquid modo velle quod prius noluit, aut e contrario; sicut concipi nequit me modo nolle quod modo volo, aut e contrario. Est in Deo non *voluisse,* sed aeternum libere *velle,* quod uno eodemque permanente instanti continetur; si tamen per comparationem ad tempus loqui placet, verum est Deum nunc necessario velle, quod prius voluit, sed haec necessitas, quum non sit absoluta, sed ex suppositione tantum, libertati non repugnat (n. 125).

188. **Corollarium** 2. Exercitium libertatis divinae non sequitur deliberationem consilii, sed simul unico actu Deus decernit et vult, cum idem sit actus scientiae et volitionis, unusque actus infinitus satis sit et consilio et electioni.

ARTICULUS IV.

De omnipotentia Dei.

189. Voluntatis modus est potentia, quae est ipsa voluntas, non quidem simpliciter et absolute sumpta; sed quatenus addit respectum et rationem principii, seu quatenus efficax est ad creaturas producendas. Latius igitur patet voluntas simpliciter quam potentia: illa enim versatur circa bonum creatum et increatum et circa malum; haec circa creaturas quas producit quatenus vult efficaciter eas esse, unde non est nisi voluntas efficax. Ratione distinguitur igitur voluntas a potentia ut res adaequate spectata a se ipsa inadaequate spectata.

190. Prop. 24. **Deus est omnipotens.**

Est *de fide* ex symbolis Apost. et Nicaen. conc. Later. IV.

Demonstr. *a)* (Genes. 17, 1): *Ego Deus omnipotens.* (Matth. 19,

26): *Apud Deum autem omnia possibilia sunt.* — *b)* Augustinus « Non dico, da mihi christianum, da mihi iudaeum, sed da mihi paganum idolorum cultorem, daemonum servum, qui non dicat, Deum esse omnipotentem. Negare Christum potest, negare omnipotentem Deum non potest » (1). — *c*) Potentia primae causae debet esse perfectissima; perfectio aliqua deesset, si quaedam possibilia non posset: ergo potest omnia possibilia.

Porro potentia Dei est infinita et quidem duobus modis: 1.° intrinsece ratione suae entitatis, quia cum divina essentia et voluntas sit infinita, et potentia agendi respondeat perfectioni essentiae et principii agentis, ipsa quoque debet esse infinita; 2.° extrinsece ratione obiecti et actionis. Ratione obiecti, quia non producit tot effectus, quin possit plures producere. Ratione actionis et modi agendi, quia plane independens, sibique sufficientissima producit omnia solo nutu ex nihilo.

191. *Obi.* 1. Deus non potest peccare, ambulare, dormire, efficere ut facta infecta fiant etc.; ergo.

Resp. Nego. conseq. Imo ideo Deus est omnipotens quia haec non potest. Et sane, « peccare, ait s. Thomas (2), est deficere a perfecta ratione: unde posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiae, et propter hoc Deus peccare non potest, quia est omnipotens. » — Potentia movendi, utpote activa, perfectio est; quae tamen in ambulante coniuncta sit necesse est cum potentia passiva, quae est imperfectio, quapropter de his actionibus aestimandum est eo modo, quo de perfectionibus mixtis. — Facta infecta facere perinde est atque facere, ut eadem sint et non sint, quod repugnat. Quae vero contradictionem involvunt, eadem nihil sunt, ad nihil vero nulla datur potentia.

Obi. 2. Deus non potest facere plura quam reipsa fecit; ergo non est omnipotens.

Resp. Disting. antec. de potentia ordinaria *conc.;* de potentia absoluta *neg.* Potentia ordinaria est potentia coniuncta et quasi alligata decreto divino efficaci, quo applicatur et determinatur ad productionem rerum: at Deus nec potest mutare decretum suum, nec facere contra decretum suum. Potentia absoluta est

---

(1) Serm. 240 *de temp.* c. 2. — (2) 1. q. 25. a. 3.

potentia secundum se considerata, soluta ab omni decreto, quo alligetur ad certarum rerum productionem, et secundum hanc potest facére quidquid non implicat contradictionem, adeoque praeter ea quae fecit, multa alia facere potest.

ARTICULUS V.

De Dei providentia.

192. Actus divinae voluntatis reduci possunt ad *creationem* et ad *providentiam;* de priori alibi, de posteriori hoc loco.

Providentia divina est conceptio mediorum in mente Dei, quibus unaquaeque res dirigi et perduci possit ad suum finem, cum proposito conferendi ea media. Unde sequitur, partim ad intellectum, partim ad voluntatem pertinere; et partim circa media, partim circa finem versari. Ejus effectus ad extra dicitur gubernatio.

193. Prop. 25. **Deus de omnibus rebus providentiam habet.**

Est *de fide* ex conc. Vatic. (sess. 3. c. 1): « Universa quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter (Sap. 8, 1). »

Demonstr. I. p. 1. (Sap. 6, 8): *Aequaliter est illi cura de omnibus;* (12, 13): *Non est alius Deus, quam tu, cui est de cura omnibus.* Ipsae *sortes*, quibus nihil magis fortuitum videtur, *mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur* (Prov. 16, 33). Christus vero (Matth. 6, 26 sq.; Luc. 12, 22 sq.) distinctissime tradit volatilia coeli, hortorum lilia, foenum agri et capillos capitis omnino subiici providentiae Dei, ita ut illorum ne unum quidem cadat absque ejus nutu; unde colligit idem Christus multo magis nihil esse vel minimum in humanis actibus, quod ab ejus providentia ordinatum non sit (1).

194. II. Athenagoras: « Quicumque Deum ut Creatorem universi profitentur, ejus sapientiae et justitiae etiam omnium ope-

---

(1) Ex hoc sequitur, specialem Deum gerere curam hominum. De hac vero speciali omnino cura, minime vero de negata providentia communi debet intelligi illud Pauli (1. Cor. 9, 9): *Numquid de bobus cura est Deo,* et Hieronymi *(in 1. Habac.)* negantis Deum huiusmodi rerum curam habere.

rum conservationem et gubernationem adscribere ac credere debent, in coelo et in terra nihil cura et regimine destitui, sed providentiam Creatoris ad omnia entia invisibilia et visibilia, parva et magna extendi; nam omnes creaturae providentia indigent Creatoris » (1). Eodem modo Ambrosius, Gregorius, Augustinus, qui multus est in hac re, aliique passim loquuntur.

195. III. *a)* Deus est causa efficiens omnium; quidquid vero agit, propter finem agat necesse est, cum sit sapiens artifex; ergo sicut rebus omnibus dat et conservat esse, ita quoque omnes in finem dirigit; unde tam late patet providentia, quam ejus efficentia. — *b)* Confirmant hoc certi coelorum motus, ratique astrorum ordines, quibus anni tempora et saecula imperturbato ordine praetereunt, mira animantium ac satorum propagatio, regnorum vicissitudines, hominum artes commercia consuetudines, quae omnia, ait Tullius, non dubitamus, quin opera sint rationis. — *c)* Vel ipsa quae casu evenire creduntur, mirabili dispositione contingunt. Quis enim fortuito non evenisse existimasset, ut Moyses in fiscella exponeretur ad Nilum, Joseph ad Aegyptios duceretur captivus, Saul deperditis asinis ad Samuelem accederet, David relicto pecore migraret ad urbem? Haec tamen Deo disponente facta esse probavit eventus. Nam Moyses in ducem populi, Joseph in Aegypti principem, David et Saul in reges maximos assumpti sunt, quae sane dubitari nequit, quin suprema ratione contingant.

Porro Deus omnibus quidem providet, non tamen omnibus immediate, sed multis per causas secundas. Quod facit, ait s. Thomas, « non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem causalitatis communicet. » (2)

196. Praecipuae difficultates contra providentiam petuntur ex *mali moralis et physici existentia* nec non ex *inaequali bonorum distributione.* Harum difficultatum solutio pendet a recta providentiae notione. Deus itaque quatenus est communis (3) provisor

---

(1) L. *de resurr.* n. 18. — (2) 1. q. 22. a. 3.

(3) « Aliter de eo est, qui habet curam alicuius particularis, et de provisore universali; quia provisor particularis excludit defectum ab eo, quod eius curae subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius.... Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet, ut per-

et gubernator totius mundi haec officia habet: 1.° unicuique debet praefinire certum finem; 2.° concipere et praeparare sufficientia media ad finem obtinendum; 3.° sinere unamquamque rem uti illis mediis juxta exigentiam naturae suae i. e. causas naturales et necessarias sinere naturaliter et necessario agere, contingentes sinere contingenter agere, et liberas libere; 4.° finem ultimum communem, nempe gloriam suam et fines particulariter efficaciter intentos semper assequi, non vero fines inefficaciter et conditionate tantum intentos, praesertim si illa deviatio a fine sic volito sit medium sapienter ordinatum ad finem ultimum et generalem efficaciter intentum. Atqui haec omnia praeclare praestat et obtinet Deus, non obstante malorum existentia et inaequali bonorum distributione; ergo.

197. Et sane quoad *malum morale* constat Deum illud nullatenus intendere, sed tamen posse permittere (n. 177); jam vero ex hac permissione multa elicit bona. Imprimis « malum bene ordinatum et suo loco positum eminentius commendat bona, ut magis placeant et laudibiliora sint, dum comparantur malis » (1); praeterea Adami culpa occasio extitit redemptionis, qua tantopere Deus glorificatur, crudelitas tyrannorum constantiae martyrum, persecutiones patientiae sanctorum; peccatis impiorum utitur ad profectum et majorem gloriam salvandorum, ad castigationem aliorum, ad bonum ipsorum peccantium; denique peccata permittens patientiam suam et longanimitatem mirabiliter prodit, et unum aut alterum infallibiliter assequitur, ut vel in parcendo patris misericordiam et clementiam, vel in puniendo supremi judicis justitiam manifestet (2).

---

mittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo; non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persecutio tyrannorum » S. Th. 1. q. 22. a. 2. cf. et Becanum. Tract. 1. c. 13. n. 6.

(1) Augustinus *Enchirid.* c. 2.

(2) Probe advertas, hujusmodi bona non esse *causam finalem* mali moralis ita ut hoc intendatur tamquam medium, sed sunt *conditio sine qua non* ejusdem permissionis; non enim (quae est ejus bonitas) tantum malum permitteret, etsi posset, nisi sciret ex illo aliud bonum elicere. « Neque Deus omnipotens, inquit Augustinus, cui rerum est summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in opere suo, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo » *Enchirid.* c. 11.

198. *Mala vero physica,* quae in mundo sunt, semper conducunt ad aliquod bonum physicum altioris ordinis, cujusmodi est vel bonum naturae superioris, vel legum physicarum constantia et universalitas, vel etiam frequentissime ad bonum morale, ut est exercitium plurium virtutum, vel in altera vita ad violati ordinis reparationem divinaeque justitiae satisfactionem. Ergo bonum universale, cui bonus provisor prospicere debet, hujusmodi mala exigit. — Adde, quod hujusmodi mala in *praesenti ordine* sunt *sequela* peccati originalis, plerumque *poena* peccatorum actualium, adeoque non Deo, sed nobis adscribenda sunt.

199. Quoad *inaequalem bonorum distributionem* haec animadvertenda sunt. 1.° Non ea est, qualem providentiae osores comminiscuntur, ut nempe impii semper prosperentur et floreant, boni vexentur; nam multa sunt bona cum virtute per se connexa, quae tantum bonis obveniunt, multa mala cum vitiis connexa, quibus mali, dum felices videntur, excruciantur. 2.° Talis distributio confert quam maxime, ut homines in finem suum apte dirigantur. Etenim omnes persuadentur finem suum non hic esse, sed in altera vita; ut sursum tendant impelluntur; ne hanc terram paradisum esse opinantes verae beatitudinis obliviscantur, monentur; occasio suppeditatur bonis virtutem exercendi et sua crimina expiandi, malis vero resipiscendi. 3.° Cum nullus sit justus ab omni labe plane immunis, nec ullus adeo nequam, qui boni aliquid non peregerit, congruum est ut justus judex illos felicitate perpetua donandos purget in hac vita, hos in perpetuum cruciandos remuneretur felicitate temporali. 4.° Denique prae oculis semper habendum

---

Si quis vero contenderet, melius esse, si Deus ita regeret creaturas liberas, ut nullum peccatum existeret, et generatim omne malum impediret, animadvertimus 1.° hoc non ita esse certum ut plures theologi contrarium non tenuerint, nempe mundum futurum minus perfectum, si Deus nulla permisisset peccata et mala; 2.° hujusmodi observationes vel obiectiones falso niti principio, quod nempe Deus teneatur ad id quod melius est. Etenim ex hoc sequitur optimismus quidam impossibilis et absurdus, quia, cum quacumque re finita possit esse alia perfectior, nihil facere poterit, ejusque libertas omnino impedietur. Igitur ut Deus dicatur bonus, vel contenditur ipsum debere facere quod melius est, et hoc est impossibile semperque erit querelis locus; vel sufficit ut faciat opus bonum, et id verum est de praesenti quoque ordine, quo Deus creaturas suis viribus et sufficientissimis auxiliis instructas agere sinit, cum possibilitate peccati et aliorum malorum; nam totum quod exurgit bonum est, et omnia in gloriam Dei conspirant.

est, praesentem vitam non *terminum* esse sed *viam*, judiciumque de his ferendum non ex parte aliqua sed ex toto processu, qui extremo judicio absolvitur. Itaque 5.° « Ostendit Deus saepe in his (bonis) distribuendis evidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteret poena, nihil ultimo judicio servari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla providentia divina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, nonnisi propter talia praemia serviendum illi esse arbitraremur, nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos et avaros » (1).

200. *Dices:* multa in hoc mundo casu contingunt, multa sunt monstra, inutilia, noxa etc.; ergo.

Resp. Dist. antec. Ea inutilia sunt, monstruosa, casualia respectu nostri, qui ea caligantibus oculis contemplamur, nec fines singulos istorum attingimus, *conc.;* respectu Dei et relate ad totam rerum compagem et universalitatem, *neg.* Nihil casu contingere s. Thomas elucidat exemplo duorum famulorum, quibus diversam peregrinationem dominus separatim demandat, et ita uniuscujusque viam dirigit, ut ambo nescientes sibi occurrant; occursus ille est casualis respectu famulorum, non respectu domini, qui illum intendit et praevidit. Similiter tegula e tecto cadens confregit cervices transeuntis; lapsus ille transeunti est casualis, non autem Deo, qui illum ordinavit et praevidit. — Monstra vero licet distent ab intentione et a fine particularium causarum, non distant tamen a regula causae primae. Illud enim sapientissime ordinatum est, ut causae secundae natura mutabiles in rerum efficentia commutentur, ut in ipsa contingentium varietate, unius summae causae immutata ratio persistat. — Nihil autem generatim inutile esse ita ostendit Augustinus: « Si in alicuius opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta, quorum causas ignorans, superflua putat; imo vero si ferramento acuto seipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia. Quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et tamen tam stulti sunt homines, ut

(1) *De civ. Dei* l. 1. c. 8.

apud artificem hominem non audeant vituperare, quae ignorant; in hoc autem mundo, cujus conditor praedicatur Deus, audeant multa reprehendere, quorum causam non vident » (1).

201. Ab hac *naturali* ad eam *supernaturalem* providentiam gressum facimus, qua creatura rationalis ad finem supernaturalem per gratiae auxilia ordinatur.

Disputatio II.

De voluntate Dei salvifica.

ARTICULUS I.

De voluntatis Dei salvificae universalitate.

202. Prop. 26. **Deus, supposito etiam peccato originali, voluntate beneplaciti seria et antecedente, vult non tantum praedestinatos salvos fieri, sed alios quoque saltem fideles imo omnes omnino homines, qui rationis usum sunt adepti.**

Declar. 1.° Est contra Calvinum, calvinianos sive antelapsarios sive postlapsarios, et Jansenianos.

Calvinus docuit, Deum ante praevisionem ipsius peccati originalis alios ad vitam aeternam alios ad damnationem creasse. Inde vero ab a. 1618 (in synodo Dordracena) multi calviniani doctrinam magistri ita mitigarunt, ut Deus consequenter ad praevisionem peccati Adami nonnullos salvare, alios in lapsu Adae et in statu damnationis relinquere decreverit; et isti, in comparatione cum rigidis calvinianis seu antelapsariis, infralapsarii seu postlapsarii dicti sunt, quibus consentiunt Jansenistae hoc solo discrimine, quod Jansenius non negat etiam non praedestinatis concedi gratiam fidei et justificationis temporaneam, quamvis contendat eos perseverare non posse, adeoque nullum, qui non sit praedestinatus, salvari posse, Christumque pro solis praedestinatis mortuum esse.

2.° Agitur de voluntate *antecedente* praevisionem status finalis peccati, consequente vero praevisionem naturae lapsae, *seria*, i. e.

---

(1) *De Gen. contr. Manich.* l. 1. c. 16.

non de complacentia quadam sterili, sed de voluntate quae ex *sese* velit ipsum salutis effectum, mediaque ad hunc finem praeparet.

3.° Aequipollentes sunt hae propositiones: *Deus non vult ut praedestinati tantum salvi fiant*, et: *Deus non pro solis praedestinatis mortuus est;* item: *Deus vult omnium salutem*, et: *Deus pro omnibus mortuus est;* Christus enim, praeter quem non est salus, ex eodem affectu et voluntate applicationis meritorum suorum mortuus est, qua Deus vult eorum salutem.

4.° Valor dogmaticus non idem est pro qualibet parte propositionis: prima enim pars est *de fide*, ut patet ex damnatione prop. 5.ae Jansenii: « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse, — falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit; impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, et *haereticam* declaramus, et ut talem damnamus. » Ergo contradictoria, Christus non est mortuus pro salute solorum praedestinatorum sed saltem etiam aliquorum non praedestinatorum, est dogma fidei.

Sed *de fide* quoque est, Deum velle saltem omnium fidelium salutem; id constat ex hoc symboli articulo: « Qui propter nos homines, et propter nostram salutem homo factus, passus est, » qui ab omnibus fidelibus credendus est et pro omnibus conditus est, adeoque illis vocibus *nos nostram* omnes comprehendit. Insuper iisdem argumentis, quibus primum, etiam hoc probatur, ideoque haec duo non distinguimus in demonstratione.

Postrema denique pars ita pertinet ad doctrinam communem catholicam, ut *sine temeritate* negari non possit.

203. Demonstr. i. et ii. p. *a)* Scopus missionis Filii Dei est, *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Jo. 3, 14-18); ergo Deus vult salutem credentium, inter quos aliquos damnari non est dubium. — *b)* Voluntas est Patris, ut omnes, quos per donum fidei dedit Filio, habeant vitam aeternam; atqui inter credentes in Filium erat et filius perditionis Judas, et illi qui reprobi sunt (Jo. 6, 37-40 coll. 17, 12): ergo. — *c)* Deus vult sincere salutem eorum omnium, quos adoptat per justificationem in filios, et constituit regni sui haeredes, quum justificatis det auxilia necessaria ad perseverandum; atqui non omnes justificati salvantur; ergo. Hoc insuper a fortiori constabit

ex argumentis pro tertia parte. (Cf. Conc. Trid. sess. 6. c. 4 et 7, et sess. 11).

204. Demonstr. iii. p. I. *a)* (Tim. 1. ep. 2, 1 sq.): *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. α)* Vox *omnes homines* nullum excludit. *β)* Ad eos omnes extenditur voluntas salvandi, ad quos sese debet extendere oratio, quia ratio orandi est salus; atqui pro omnibus sive fidelibus sive infidelibus, imo directe pro his orandum esse docet Paulus; ergo. *γ)* Ratio hujus voluntatis duplex affertur a Paulo; prima haec est: *unus enim Deus.* Eatenus igitur aliquis exciperetur, quatenus non esset creatus a Deo; sed omnium ipse est creator Deus; ergo omnium vult salutem. *δ)* Altera ratio est quia *unus est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Mediator est pro hominibus, quia habet naturam humanam assumptam ex genere humano; ergo ut aliquis excipiatur a mediatione et consequenter a voluntate salvifica, debet communem non habere cum homine Christo humanam naturam. *ε)* Omnes vult salvari, quos sanguine suo redemit; atqui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus; ergo (1).

b) Ad hoc classicum testimonium exigi debent ceteri Scripturae textus. (2. Pet. 3, 9): *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos*

---

(1) Possent obiici verba Christi (Jo. 17, 9): *Ego pro eis* (discipulis) *rogo: non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt;* ex quibus inferre quis posset, nedum Christus pro omnibus mortuus sit, sed eum ne pro omnibus quidem orasse. Verum animadvertatur, *quomodo* et *quid* illic roget Salvator. Rogat Patrem, exhibendo velut motivum discipulorum *fidem* et *dilectionem*, et vicissim Patris dilectionem erga ipsos; postulat autem pro illis *perseverantiam* in fide et caritate, in qua jam sunt: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo.* At pro *mundo,* formaliter ut est inimicus Deo, Christo et ejus regno, nec ex illo motivo, nec perseverantiam in bono, quod jam esset assecutus, rogare potuit. Rogat pro illo non ut *perseveret* esse, quod est; sed imo ut *desinat* esse quod est, mundus infidelis et inimicus; *ut credat mundus, quia tu me misisti* (v. 21. *ibid).*

perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. Sap. 11 et 12 narratur Deus Aegyptios et impios Chananeos non uno impetu, sed paulatim exterminasse et hoc eo fine, *ut relicta malitia credant in te, Domine.* Ratio autem hujus misericordiae est ipsa Dei bonitas ad omnes sese extendens creaturas: *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.*

c) Deus habet sinceram voluntatem salvandi eos omnes, pro quorum salute Christus mortuus est; atqui Christus *dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi;* ergo.

205. II *a)* Patres omnes *α)* consentiunt Ambrosii sententiae: « Ille omnes suos vult esse, quos condidit et creavit; utinam tu homo non fugias et te abscondas: ille enim fugientes requirit et absconditos non vult perire » (1). *β)* Quaerentes frequenter, undenam fiat, ut non omnes salventur, respondent constanter, inde id esse, quia « non omnes accedere voluerunt, » quia « homines seipsos fraudant generali beneficio, » quia « sibi ipsi sunt invidi, » quia « homines salvari nolunt, Deus autem necessitatem non imponit. » *γ)* Ex hac universali voluntate salvifica Dei docent profectam Christi oeconomiam et redemptionem per Christum itidem universalem.

Neque *b)* dissentit Augustinus, qui *(lib. de sp. et litt.* c. 33. n. 57.) scribit: « Vult autem Deus omnes homines, salvos fieri et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes, justissime judicentur. Quod cum fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt,.... experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt ». Et s. Prosper, ejus discipulus et interpres fidelissimus, in responsione ad 2.am obiectionem Vincentii ait: « Sincerissime credendum atque profitendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant; siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissime praecipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custodiatur, ut Deus pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. »

---

(1) *In Ps.* 39, n. 20. Cf. Franzelin th. 50.

206. *Obi.* S. Augustinus variis in locis triplicem proposuit interpretationem textus Paulini restrictivam, nimirum de voluntate Dei 1.° ut omnes qui salvantur, Dei voluntate salventur, seu nemo salvetur nisi Deo volente; 2.° ut salventur ex omni genere et conditione aliqui; 3.° ut nos salutem omnium velimus.

Resp. Dist. Haec triplex explicatio est *exclusiva* (1) *neg.*, quia etiam post ortam disputationem pelagianam probat ex I. Tim. 2, 4 universalitatem salutiferae voluntatis (*L. de sp. et litt.* c. 33); potest etiam textus Paulinus illa ratione exponi *subdist*, ita ut triplex interpretatio referatur ad voluntatem Dei antecedentem et conditionatam *neg.*, ut referatur ad voluntatem absolutam, actu efficacem, consideratam *prae tota amplitudine gratiarum et auxiliorum, quae Dei omnipotentiae subsunt*, in directa oppositione ad errorem Pelagianorum et Semipelagianorum *conc.*

Hi contendentes, Deum largiendo naturam, cujus viribus salvantur qui volunt, *totum id* omnibus aequaliter contulisse, quod salvâ libertate ad consequendam salutem homini *conferre potuit;* occasionem praebuerunt Augustino non solum absolutam in negotio salutis gratiae necessitatem et gratuitatem demonstrandi, sed etiam considerandi voluntatem Dei salvificam prae *tota amplitudine gratiarum et auxiliorum, quae ejus omnipotentiae subsunt.* Prae hac omnipotentia Deo numquam deest modus, quo cor durum emolliatur; quo suadeatur ita, ut homini persuadeatur; quo ita vocet, ut homo vocantem non respuat (2). Contra vero si spectatur voluntas Dei prae gratiis singulis, *quas actu confert:* confert quidem omnibus gratias sincera voluntate antecedente, ut homo vocantem non respuat, non tamen semper et non omnibus confert gratias *actu efficaces*, quibus sic hominem vocat, « quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. » (3) Haec vo-

---

(1) Est sententia Augustini, omnia et singula vera, quae quisque posset rationabiliter et fidei consone in aliquo textu sacrae Scripturae invenire, ejus sensu litterali contineri. Unde et plures sensus illius textus non ita proponit, ut sese excludant, sed ut omnes illi subesse possint (*cf. Conc.* l. XII. c. 31); et illum tantum excludit, quo credere cogimur « aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse » *Enchirid.* n. 103.

(2) « Quis enim tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? » S. Aug. *Enchirid.* c. 98.

(3) S. Aug. *ep. ad Simplic.* l. I. q. 2.

luntas *effectrix* salutis posset quidem esse universalis, quia Deo omnipotenti et omnia praescienti non deest modus, quo efficaciter hominem vocet et moveat (1). Sed de facto scimus, hanc voluntatem actu effectricem salutis, universalem non esse. Quum vero Augustinus aliquando voluntatem, qua confert hanc gratiam actu effectricem salutis, vocet voluntatem *miserendi et voluntatem salvandi:* et ex opposito, quando sub praevisione hominem suà culpa restiturum gratiae conferendae, alia tamen, cui subiungeretur consensus, justo sed occulto judicio non datur; Deus dicatur ab Augustino *non velle misereri* et *non velle salvare:* patet, Augustinum, quando restringit voluntatem salutiferam Dei, intelligere non voluntatem *antecedentem et conditionatam,* quae est universalis, sed voluntatem *absolutam et actu effectricem* salutis, quae sane est *particularis,* et *voluntatem spectatam secundum totam amplitudinem gratiarum,* qua Deus omnes posset salvare.

207. Scholion. Contra adsertam voluntatis salvificae amplitudinem petitur difficultas *ex infantibus ante susceptum baptismum* vita decedentibus. Verum sententia est *pia* et *communis* inter theologos, ad hos quoque pertinere Dei antecedentem et seriam voluntatem salvificam. Etenim Deus etiam supposito peccato originali propagato in omnes Adae posteros dicitur velle salutem omnium, quorum ipse est Deus et creator; velle salutem omnium, qui sunt homines illius specificae naturae, qua Christus Redemptor est homo; velle per Christum restaurationem ad salutem omnium qui in Adam ceciderunt. Atqui hae notae sine ulla distinctione communes sunt infantibus aeque ac adultis. « Numquid parvuli homines non sunt, ut non pertineat ad id, quod dictum est *omnes homines?* » (2). « Unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt. Conclusio haec Apostoli invicta est;

---

(1) Augustinus *Ibid.:* « Non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur.... Hic dicet aliquis, cur ergo Esau non sic est vocatus, ut vellet obedire?.... Quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eandem fidem mentem applicaret voluntatemque coniungeret, in qua Jacob iustificatus est?.... Quis enim dicat, modum quo ei persuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuisse? »

(2) Aug. *contr. Jul.* l. 4. n. 42.

ac per hoc, *quia et pro parvulis mortuus est*, profecto etiam parvuli mortui sunt » (1).

Jam vero cum infantes propter defectum usus rationis gratia actuali uti non possint, quae proinde ipsis non confertur; unicum medium, quo efficitur eorum justificatio (privilegio martyrii excepto) est baptismus absque ulla ipsorum infantium cooperatione. Applicationem sacramenti non immediate per se sed per causas secundas efficere statuit, et quidem non voluntate *absoluta;* haec enim si adesset, omnes salvarentur, sed conditionatà, si scilicet *causae secundae morales et physicae*, liberae nempe hominum voluntates et ordo physicus non obsistant (2). Ab hisce causis secundis derivata impedimenta Deus non directe vult, quatenus impediunt applicationem baptismi, sed solum ex aliis finibus sapientissimis permittit.

Voluntas igitur, qua Deus vult baptismi collationem omnibus infantibus, qui reipsa moriuntur absque susceptione sacramenti est *antecedens ad praevisas impedientes actiones ex causis secundis:* consequenter vero ad praevisionem harum actionum Deus non vult ordinem naturalem per miracula immutare, (necdum restauravit ordinem praeternaturalem immortalitatis, etiam post decretam et factam redemptionem generis humani per Christum), et mortem sine baptismo ex naturae legibus consequentem permittit; sicque morte in peccato originali praevisa non vult voluntate *consequente* horum infantium salutem (3).

---

(1) Augustinus *Ibid.* l. 1. c. 64.

(2) Vel ipsa adultorum salus non *unice* quidem, magna tamen *ex parte*, saepe pendet ab hac duplici causa seu conditione. Tyranno in Ecclesiam saeviente, navi ob ortam tempestatem submersa, plurimi, qui alias certe salvati essent, in aeternum pereunt. Hurter th. XCIII.

(3) Saluti infantium igitur vult consulere Deus secundum *providentiam communem* (n. 196), non tamen *providentia speciali.* Qua provisor universalis sufficit, ut praeparet medium universale, applicabile omnibus, qui juxta naturae cursum applicationis huius capaces sunt. Sicut ille dominus redemptioni servi sui, apud Saracenos captivi, satis providisse censetur, qui pretium redemptionis mitteret per famulum, licet hic in itinere moreretur; ita Deus providisse infantibus, licet hi absque baptismo decedant, et circa salutem eorum providentiae suae satisfecisse existimandus est, hoc ipso, quod medium per se sufficiens et omnibus applicabile constituit. — Neque dicas: Deus est auctor huiusce ordinis, ergo et impedimentorum eiusdem. Nam hunc ordinem Deus non instituit *ex se*, suoque proprio, ut ita dicam, instinctu, sed *inductum per pec-*

Haec voluntas, licet antecedens et conditionata, est tamen *seria* et *actuosa,* quia Christus pro hominibus etiam infantibus mortuus est et baptismum instituit, et insuper, ut ad gratiam baptismi infantes perducantur, Deus liberas hominum voluntates adultorum suis praeceptis, consiliis, adiutoriis ordinis naturalis et supernaturalis praevenit, excitat, inclinat et suorum etiam fidelium et ministrorum ad id dirigit sollicitudinem, orationes, apostolicos labores.

ARTICULUS II.

De reprobatione et praedestinatione.

208. *A) De reprobatione.*

Prop. 27. **Impium est asserere Deum ex solo beneplacito aliquos positive reprobasse, atque, antecedenter ad praevii peccati et finalis impoenitentiae praevisionem, aeternis suppliciis destinasse.**

Declar. Est contra Calvinum et antelapsarios statuentes Deum antecedenter ad quodlibet peccatum etiam originale praevisum alios destinasse ad vitam, alios ad mortem aeternam, bene vel male agendi necessitatem antecedentem et indeclinabilem imponendo; et etiam contra postlapsarios et Jansenianos statuentes Deum post peccatum originale, sed ante praevisa cuiuscumque peccata actualia decrevisse quosdam ex massa damnata Adami gratuito eligere ad gloriam eisque solis gratias irresistibiliter efficaces concedere, quosdam in lapsu Adae et statu damnationis relinquere, et morti aeternae addicere proindeque nullas eisdem dare gratias vere sufficientes ad salutem.

209. Demonstr. *a)* Pugnat cum demonstrata Dei voluntate salvifica universali, *b)* cum Dei bonitate et sanctitate; esset enim

---

catum originale statuit ordinarie non mutare ob incommoda, quae praeter ipsius intentionem obveniunt; tum quia haec providentiae ratio est quasi connaturalis rebus, si naturam nudam spectes, in quam per Adae peccatum recidimus, tum quia est accomodata ad vindicandum peccatum, eiusque pravitatem ostendendam. — Tandem advertatur parvulos absque baptismo vita functos nullo *bono debito* privari, sed *bono ipsis plane indebito,* etiamsi carerent peccato originali.

peccati auctor; *c*) cum fide Ecclesiae; conc. enim Arausic. II. can. 25 statuit: « Aliquos ad malum divina potestate praedestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus » et Tridentinum (sess. 7, can. 17): « Si quis iustificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit: reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate ad malum praedestinatos, anathema sit. »

Corollarium. Reprobatio positiva habet causam ex parte reproborum, nempe praevisionem peccati sive originalis, sive actualis, sive utriusque. Certe Deus in tempore eos condemnat ad mortem propter eorum peccata: (Matth. 25, 41): *Discedite a me maledicti in ignem aeternum... Esurivi enim et non dedistis mihi manducare;* atqui Deus nihil facit in tempore quod faciendum non decreverit in aeternitate; ergo neminem ab aeterno condemnat nisi ob peccatum absolute praevisum.

De reprobatione *negativa*, quae plurium theologorum de praedestinatione ante praevisa merita sententiam consequitur, dicetur infra.

210. *B) De praedestinatione.*

Praedestinatio sensu stricto sumpta definitur a s. Augustino (1) « Praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur, » cui definitioni consonat illa, quam s. Thomas (2) vocat magistralem: « Praeparatio gratiae in praesenti, et gloriae in futuro. » Duo includit: actum intellectus et actum voluntatis, et simul est pars providentiae et opus misericordiae. Unde a Scripturis et Patribus *electio* et *propositum* appellatur.

211. Praedestinatio si consideratur prout refertur ad solam gratiam (quodlibet medium ad salutem conducens a gratia fidei ad perseverantiam usque), dicitur *incompleta;* si consideratur prout refertur ad gratiam et gloriam simul, est *completa.* — Rursus spectari potest in *intentione* et in *executione*, vel, ut alii dicunt, in *actu primo* et in *actu secundo,* seu in *principio* et in *termino.*

---

(1) *De dono pers.* c. 14. — (2) *In I. Sent.* dist. 40. q. 1. a. 2.

212. De praedestinatione errarunt Praedestinatiani et Calviniani, docentes, Deum aliquos absolute et positive ad infernum praedestinasse; Pelagiani illius causam ex bono usu liberi arbitrii repetentes, sicque ejus gratuitatem, imo et ipsam existentiam negantes; Semipelagiani illius gratuitatem saltem in radice inficiantes, quatenus juxta ipsos primam gratiam praecedit tamquam meritum conatus naturae.

213. Omnes catholici in his conveniunt:

1. *Existit praedestinatio, ex parte Dei certa* et *immutabilis*, ex *ex parte vero nostra, citra specialem revelationem, incerta*. Est *de fide*. Primum inde constat, quod nihil fit in tempore, quod ab aeternitate non fuerit in mente Dei et aeterno infallibili et immutabili ejus consilio constitutum; atqui determinato numero hominum in tempore datur a Deo vocatio, justificatio et gloria: ergo. — Quoad alterum, *incertitudinem* nempe relate ad nos, Conc. Trident. sess. 6, can. 16 statuit: « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, a. s. » et cap. 12. ejusdem sessionis: « Nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit. »

2. *Praedestinatio ad primam gratiam est omnino gratuita.* Est *de fide*. Quae confert in tempore nullis praecedentibus meritis, eadem ab eterno praeparavit conferenda ex nullis meritis praevisis. Atqui prima gratia confertur gratuito, ut in Tractatu de gratia probabitur; ergo.

3. *Praedestinatio complete considerata, quae ad gratiam et gloriam refertur, est etiam gratuita.* Potest utique homo sive de congruo sive de condigno mereri ulteriores gratias, sed cum meritum subsequens fundetur in prima illa gratia, tota series mediorum supernaturalium est gratuita, quia, si omnia simul sumpta aliquod meritum praecederet, ex quo praeviso tota illa series praedestinata esset, hoc non posset esse nisi ordinis naturalis. Atqui hic est ipse error in Pelagianis et Semipelagianis damnatus; ergo.

4. *Quoad praedestinationem ad gloriam praecisive spectatam*, constat inter theologos catholicos, *gloriam in tempore* seu *in executione conferri propter merita;* celestis quippe beatitudo *merces* et corona *justitiae* in scripturis dicitur; labores ergo no-

stros cooperantes misericordiae Dei necessario postulat: hinc non coronabitur nisi qui legitime certaverit.

Ast celebris est controversia inter theologos catholicos, *utrum talis praedestinatio non tantum ex parte executionis, sed etiam ex parte intentionis fuerit post praevisa merita.* Plures iique graves theologi (Bellarminus, Toletus, Suarez, Ruiz, Antoine, Thomistarum et Augustinianorum schola) negant contendentes, Deum, antequam conciperet et praepararet dona gratiae, quosdam, e quibus constaret celestis urbs Jerusalem, efficaciter elegisse ad vitam aeternam, hanc decrevisse propter merita conferre, sicut propter merita eam in tempore confert: ex hac voluntate absoluta dandi gloriam praeparasse media efficacia ad salutem certo et infallibiliter conducentia (1). Hoc modo defendunt, gloriam, quae datur ex merito, non tamen praedestinari ex merito. — Alii (s. Bonaventura, Molina, Lessius, Vasquez, Becanus, Tricassinus, Tournely, Franzelin, pluresque recentiores) propugnant Deum prius (non quidem tempore sed ordine causalitatis) elegisse ad gratiam, deinde ex praeviso bono vel malo usu ipsius gratiae aliis decrevisse poenam, aliis proemium; hi igitur statuunt praedestinationem, seu efficacem electionem ad gloriam factam esse ex praevisis meritis per gratiam partis.

214. Argumenta pro prima sententia praecipua haec fere sunt: *a)* (Act. 13, 48): *Crediderunt quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam;* (Io. 15, 16): *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos;* (Ephes. 1, 4 et 5): *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti* (non quia *eramus*).... *qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum, per J. C. in ipsum, secundum propositum voluntatis suae;* ac praecipue (Rom. 9, 11), ubi Apo-

---

(1) Ex hac sententia de praedestinatione sequitur quoad non praedestinatos illa, quam isti theologi dicunt et defendunt *reprobationem negativam.* Haec juxta nonnullos consistit in Dei decreto excludendi aliquos a gloria, tamquam a beneficio indebito, ex sola sua voluntate, ante praevisum quodcumque eorum peccatum, sive originale, sive actuale, quin tamen positive addicat vel destinet quempiam ad poenas, nisi ex praeviso peccato; in quo differunt a Praedestinatianis. Juxta alios consistit in sola exclusione a gloria absque decreto aliquo positivo, quatenus nempe illos Deus *praeterit* in sua electione seu non praedestinat ad gloriam. Et quia nullus non praedestinatus potest consequi gloriam, hi omnes ab ea excluduntur. Hujusmodi reprobationem negativam conciliari non posse cum certa Dei universali voluntate salvifica contendunt theologi praedestinationem post praevisa merita defendentes.

stolus proposito exemplo Jacob et Esau, ut typo praedestinatorum et reproborum, inquit: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei* (Rebeccae): *Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* – *b)* Augustinus: « Intueamur verba Apostoli et videamus, utrum propterea nos elegerit, quia sancti, et immaculati futuri eramus, an ut essemus... Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti: non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Ideo quippe tales eramus futuri, quia eligit ipse praedestinans, ut tales per gratiam ejus essemus » (1). Et alibi (2) docet: « Ab illa perditionis massa, quae facta est per Adam, neminem posse discerni nisi quod hoc donum habet, quisquis habet, quod gratia Salvatoris accepit: » ergo per Augustinum praedestinatio ad gloriam, qua quis a massa perditionis eruitur, est gratuita. Ipsum vero loqui de praedestinatione non ad gratiam, sed ad gloriam inde patet, quod per Augustinum nullo modo discreti dicuntur et praedestinati, nisi qui reapse salvantur; ait enim ibi, eos, « qui audito evangelio, in melius commutati, perseverantiam non acceperunt, non esse ab illa conspersione discretos, quam constat esse damnatam. » Qui in melius commutantur, sunt praedestinati ad gratiam; atqui illos ait non esse praedestinatos, nisi eis datur perseverantia: ergo. Unde concludit: « Qui vero perseveraturi non sunt, nec illo tempore, quo bene vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis praedestinatione discreti, et ideo nec secundum propositum vocati et per hoc non electi. » Augustino consentit s. Thomas (3) — *c)* Qui ordinate vult, prius vult finem quam media: sed gloria est finis et merita sunt media ad illam; ergo Deus, qui ordinate vult, prius vult gloriam quam merita, et consequenter antequam illa praevideat ut futura, quia non videt ea futura, nisi ea velit.

Respondent alterius sententiae patroni, Scripturas et praesertim Paulum loqui de gratuita *electione ad fidem,* Augustinum et Thomam vel de gratuita *electione ad fidem,* exclusis operibus na-

---

(1) *De Praedest. Sanct.* 18. — (2) *De corrept. et gr.* 7. — (3) 1. p. q. 23. a. 5; et lect. 6 *in Rom.* VIII.

turalibus, vel de praedestinatione *completa* locutos fuisse; rationem theologicam vero allatam, qua maxime nituntur, valere, si quis finem intendit *absolute* assequendum mediis *indipendentibus ab omni alia voluntate libera,* non vero si intendit finem ab *altero obtinendum per liberam cooperationem meritoriam* (oblato tamen et praestito suo adiutorio) et a se dandum in *praemium pro merito* (1).

215. Altera sententia his innititur rationibus: *a)* Ordo intentionis seu praedestinationis idem est ac ordo executionis seu collationis; quae igitur dat gratuito, etiam praedestinat gratuito; quae confert propter merita, etiam praedestinat ex meritis praevisis. Atqui gloria datur propter merita; ergo. - b) (Matth. 25, 34 sq.): *Venite... possidete paratum vobis regnum ab origine mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare.* Causa meritoria subnexa in sententia judicis: *esurivi enim* etc. refertur tum ad *collationem* (possidete), quam ad *praeparationem* (paratum); ergo praeparatio est facta post praevisa merita. Et confirmatur collatione cum sententia ad reprobos, in qua catholici omnes fateri debent motivum *damnationis in executione,* idem referri ad *poenae praeparationem.* Praeterea in Scripturis gloria repraesentatur ut *praemium, merces, bravium, retributio, corona justitiae;* nemo vero efficaciter et absolute *vult* alicui dare mercedem seu retributionem, nisi meritis; ergo. Insuper (2 Pet. 1, 10): *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* hujusmodi sollicitudo plane esset inutilis in hypothesi praedestinationis ante praevisa merita. — *c)* Patres, si forte unum excipias Augustinum, huic favent sententiae. — *d)* In hac doctrina tantum intelligitur et consistit vera Dei salvifica voluntas universalis, et studium propriae salutis (2). — *e)* Merito itaque affirmavit s. Franciscus Salesius in epist. ad Lessium data, eam *antiquitate, suavitate ac Scripturarum nativa auctoritate nobilissimam, semper ipsi gratissimam fuisse, et ut Dei misericordiae ac gratiae magis consentaneam, veriorem et amabiliorem existimasse* (3).

---

(1) Cf. Franzelin th. 60, qui argumentum retorquet.

(2) Monent contrariae sententiae patroni plerique (Antoine, Ruiz etc.) non temere esse populo proponendum mysterium praedestinationis ante praevisa merita, ne vel desperatio vel incuria propriae salutis inducatur.

(3) Est et *tertia sententia,* inter duas hasce quasi media, juxta quam Deus

212. De praedestinatione errarunt Praedestinatiani et Calviniani, docentes, Deum aliquos absolute et positive ad infernum praedestinasse; Pelagiani illius causam ex bono usu liberi arbitrii repetentes, sicque ejus gratuitatem, imo et ipsam existentiam negantes; Semipelagiani illius gratuitatem saltem in radice inficiantes, quatenus juxta ipsos primam gratiam praecedit tamquam meritum conatus naturae.

213. Omnes catholici in his conveniunt:

1. *Existit praedestinatio, ex parte Dei certa et immutabilis, ex ex parte vero nostra, citra specialem revelationem, incerta.* Est *de fide.* Primum inde constat, quod nihil fit in tempore, quod ab aeternitate non fuerit in mente Dei et aeterno infallibili et immutabili ejus consilio constitutum; atqui determinato numero hominum in tempore datur a Deo vocatio, justificatio et gloria: ergo. — Quoad alterum, *incertitudinem* nempe relate ad nos, Conc. Trident. sess. 6, can. 16 statuit: « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali revelatione didicerit, a. s. » et cap. 12. ejusdem sessionis: « Nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos Deus sibi elegerit. »

2. *Praedestinatio ad primam gratiam est omnino gratuita.* Est *de fide.* Quae confert in tempore nullis praecedentibus meritis, eadem ab eterno praeparavit conferenda ex nullis meritis praevisis. Atqui prima gratia confertur gratuito, ut in Tractatu de gratia probabitur; ergo.

3. *Praedestinatio complete considerata, quae ad gratiam et gloriam refertur, est etiam gratuita.* Potest utique homo sive de congruo sive de condigno mereri ulteriores gratias, sed cum meritum subsequens fundetur in prima illa gratia, tota series mediorum supernaturalium est gratuita, quia, si omnia simul sumpta aliquod meritum praecederet, ex quo praeviso tota illa series praedestinata esset, hoc non posset esse nisi ordinis naturalis. Atqui hic est ipse error in Pelagianis et Semipelagianis damnatus; ergo.

4. *Quoad praedestinationem ad gloriam praecisive spectatam*, constat inter theologos catholicos, *gloriam in tempore* seu *in executione conferri propter merita;* celestis quippe beatitudo *merces* et corona *justitiae* in scripturis dicitur; labores ergo no-

Corollarium 2. *Liber vitae* per metaphoram, ex more hominum ductam, qui ne certa quaedam e memoria excidant, in libris scribere solent, est notitia praedestinatorum. Cum autem duplex sit vita praedestinatorum, una gratiae in praesenti statu, altera gloriae, in futuro, dupliciter sumitur liber vitae: *simpliciter et proprie* pro notitia Dei, qua firmiter tenet, se quosdam praedestinasse ad gloriam et est ipsa praedestinatio; *late et secundum quid* pro notitia omnium qui iustificantur, etsi non sint perseveraturi, et de hoc, ut patet, possunt homines deleri.

Corollarium 3. Causa *finalis* praedestinationis est gloria Dei; *efficiens* est specialis Dei amor erga electos; *meritoria* (1) *externa* seu principalis, opera Christi; *meritoria interna* seu secundaria, saltem quoad executionem, sunt opera bona.

Effectus autem praecipui praedestinationis sunt: vocatio, iustificatio et glorificatio, iuxta illud (Rom. 8, 30): *Quos praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit.* Effectus vero secundarii sunt gratiae externae, miracula, praedicatio, libri pii, exempla virtutum, nativitas ex catholicis ac probis parentibus, recta educatio, instructio, morbi, calamitates, flagella a Deo immissa ad salutem electorum, vita longior, vel mors praematura, quando est occasio salutis; imo et permissio peccati, quando permittitur ad bonum praedestinati, ut inde humilior et cautior fiat, ut Deum tam in se misericordem perfectius amet, ut deinceps de se non praesumat, saepius ac ferventius oret, bona opera plura et perfectius exerceat. Item bona naturalia, quorum bonus usus ad salutem conferre potest. Hinc illud Apostoli (Rom. 8, 28): *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.*

217. **Corollarium** 4. Excepta prima gratia, ceteras successivas,

---

(1) « Nullus fuit ita insanae mentis, qui diceret merita esse causam praedestinationis ex parte actus praedestinantis (quia est ipsa essentia Dei); sed hoc sub quaestione vertitur, utrum *ex parte effectus* praedestinatio habeat aliquam causam. Et hoc est quaerere, utrum Deus praedestinaverit se daturum effectum praedestinationis (gratiam et gloriam) alicui propter aliqua merita » s. Th. I. q. 23. a. 5. Eo ipso, quod aliquis meretur effectum connotatum praedestinationis, etiam meretur, ut Deus velit hunc effectum; seu meretur non quidem divinam voluntatem, sed ut voluntas divina referatur ad tale bonum ipsi conferendum.

justificationem et ipsam perseverantiam aliqua ratione mereri possumus. Hinc cum perseverantiam excipiat salus aeterna, aliqua vera ratione dici potest, praedestinationem pendere a nobis post gratiam. — Ceterum cum certum sit, Deum neminem adultum gratuito praedestinasse ad gloriam, nisi obtinendam per bona opera meritoria, ideoque libera, et per media, quae effectum suum habere nequeunt sine libera cooperatione, ac proinde sine industria, conatu et cura praedestinati; satagamus, ut per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus cum metu et tremore salutem nostram operantes, omnemque sollicitudinem nostram proiiciamus in Deum, quoniam ipsi est cura de nobis.

218. **Corollarium** 5. De numero praedestinatorum haec habet s. Thomas: « Dicunt quidam quod tot ex hominibus salvabuntur, quot angeli ceciderunt. Quidam vero, quod tot salvabuntur, quot angeli remanserunt. Quidam vero, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot angeli ceciderunt, et insuper tot quot fuerunt angeli creati. Sed melius dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus, ut habet Collecta pro vivis ac defunctis » (1).

De numero electorum *comparate* ad reprobos, censent communiter theologi, *quoad angelos*, plures esse praedestinatos quam reprobos. — *Quoad homines*, si agatur de *omnibus hominibus*, sunt, qui dicant reprobos esse longe plures, et sunt qui contendant numerum electorum esse saltem aequalem reprobis; si agatur de *fidelibus adultis* in sinu Ecclesiae degentibus haud spernendis rationibus nititur sententia, juxta quam electi superant damnatos (2).

(1) 1. q. 23. a. 7.

(2) In tanta opinionum varietate mysteriique obscuritate concionatoribus asceticisque prudenter abstinendum esset a nonnullis similitudinibus, quibus plus aequo numerus reproborum exaggeratur, quaeque praeterquam quod redemptioni et potestati Christi iniuriosae videntur, illum unum consequuntur effectum, ut fideles animo deficiant atque in desperationem prope impellantur. Cf. de hac re Faber, *Il creatore e la creatura* L. 3. c. 2.

TRACTATUS II.

DE SS. TRINITATE.

Prolegomena.

Momentum - errores - doctrina catholica - notiones praeviae.

219. Mysterium SS. Trinitatis omnium christianae religionis mysteriorum non una de causa est sublimissimum.

Illud enim 1.° aperit nobis *ipsa profunda Dei,* quae nullus hominum ex conspectu creaturarum coniicere potest, sed tantum Filius e sinu Patris nobis enarravit; 2.° radix est et fundamentum praecipuorum christianae religionis dogmatum, quae vel ab illo pendent, vel intime cum eo cohaerent, uti missio et incarnatio Filii, ejus satisfactio, missio Spiritus Sancti ejusque sanctificatio etc.: qua de causa ejus cognitio et professio explicita juxta plures theologos est necessaria necessitate medii; hinc 3.° est tessera, qua Christi fideles hinc a Judaeis, inde a Gentilibus distinguuntur. Merito itaque Augustinus hanc tractationem adgrediens scripsit: « Nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur » (1).

220. Errantes ad duas classes revocari possunt, prout *personarum distinctionem,* vel *unitatem naturae* impugnarunt.

Ad 1.am classem pertinent *a)* Judaei, Ebionitae, Theodotus, Sociniani, Rationalistae, qui *expresse* tres personas negant. — *b)* Illi, qui *nominalem* tantum statuunt Trinitatem, unam nempe personam, quae pro diversis operationibus et manifestationibus mox Patris, mox Filii, mox Spiritus sancti nomine insignitur: Sabelliani, Patripassiani, Monar-

---

(1) *De Trinit.* l. 1. c. 3.

chiani (Praxeas, Noëtus, Sabellius etc.), atque ex Protestantibus Modalistae. — *c)* Ariani, qui admissis duabus personis divinis, Filium esse Deum negant, ex quibus Anomaei *(ἀνόμοιοι)* seu Eunomiani Filium a Patre dissimilem, Semiariani *(ὁμοιούσιοι)* similem quoad essentiam, Acaciani *(ὅμοιοι)* similem in omnibus, excepta substantia, dicebant, ut effigies suo prototypo; omnes tamen consubstantialitatem *ὁμοούσιον* reiciebant. — *d)* Pneumatomachi, a duce etiam Macedoniani, qui Spiritum sanctum creaturam Filii affirmant. — *e)* Graeci, qui Spiritum sanctum a Patre solo non vero a Filio procedere asserunt: Photius saec. IX et Michael Caerularius qui saec. XI haeresim et schisma Photii, quod adhuc perdurat, renovavit.

Classem 2.am constituunt Tritheitae, qui unitatem numericam negantes, tres deos induxerunt: Joannes Philoponus saec. V, Roscelinus et Joachim abbas saec. XII, et Antonius Günther.

221. Doctrinam catholicam contra hos errores tradit Conc. Later. IV. c. 2: « Una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, Filius et Spiritus sanctus, tres simul personae, ac singillatim quaelibet earundem; et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia seu natura divina.... et illa res non est generans, neque genita, nec procedens, sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, et Spiritus sanctus, qui procedit; ut distinctiones sint in personis et unitas in natura. » Quoniam igitur mysterii hujus summa est, *tres in Deo esse personas, unam vero essentiam sive naturam,* ad doctrinae catholicae intelligentiam quasdam de his nominibus notiones subiicere praestat.

222. *Essentia* est id quo ens est, quod est, vel ea perfectio qua res in certo entium ordine constituitur, seu est id quod obiicitur considerationi *quid* aliquid sit. Haec quatenus est etiam principium operationum dicitur *natura,* et alio non adhaeret subiecto, *substantia.* Verum hoc discrimen hic non attenditur, et *illa res,* qua Deus est *id quod* est, seu unus Deus, promiscue vocatur *essentia, natura, substantia divina.*

223. *Hypostasis* (suppositum) est id quod obiicitur considera-

tioni *quis* aliquis sit; est subiectum, is nempe qui habet naturam ita ut constituatur *hic unus* distinctus ab aliis individuis ejusdem ordinis, qui, si insuper ratione polleat, vocatur *persona.* Si de aliquibus hominibus quaeritur quid *sint,* respondetur eos esse homines, seu eos habere *essentiam* ac *naturam humanam,* quae singulis eadem communis est; si vero quaeratur *qui sint,* respondetur, eos esse alium et alium, Petrum nempe Paulum et Joannem. Sub hac ratione, qua unus ab alio distinguitur, et distinctus in se consistit, dicuntur tres *hypostases* seu personae. Nomine itaque hypostaseos omnes intelligunt ens, *quod est maxime in se ipso,* non *in altero, nec alterius.* Hujus communis conceptus instituta analysi, sequitur, hypostasim esse debere in primis *ens reale,* et quidem non accidens, sed *substantiam,* substantiam vero non universalem sed *singularem,* non partem nec ordinatam ut sit pars alterius, sed *integram.*

Quamdiu solo rationis lumine proceditur, nulla est *substantia singularis* et *integra,* quae eo ipso non sit tota in se et nullatenus alterius, adeoque hypostasis. Verum ex revelatione discimus, essentiam divinam, licet *singularem* et numero unam, per identificationem tamen communicari tribus distinctis ita, ut qua talis, non sit *tota in se,* sed communicata tribus et humanam naturam in Christo nullo vero sensu esse *partem* alterius principii, sed esse omnino *integram,* attamen non esse *totam in se* et *sui juris,* sed per *modum partis* factam esse naturam hypostasis superioris, scilicet Verbi. Ex quo intelligimus, ad hypostasim non sufficere ut sit substantia singularis et integra, sed insuper requiri ut nullo modo, neque per modum partis sit facta natura alterius, neque identificetur cum pluribus distinctis. Unde ea adaequate sumpta definiri potest: *substantia singularis, integra, tota in se i. e. sui juris et alteri incommunicabilis.* Porro sicut inter substantias eminent illae quae maxime sunt in se, quaeque ideo speciali nomine *hypostasis* designantur; ita inter hypostases eminent illae quae ratione pollent, quaeque ideo speciali nomine *personae* insigniuntur. Est igitur persona *hypostasis rationalis* (1).

224. Jam vero sicut in creatis natura *communis* non est hypo-

---

(1) Fusiorem harum notionum explicationem dabimus in tractatu de *Incarnatione* c. 3.

stasis, sed hypostases sunt *singuli,* quorum est natura, quia quisque eorum est substantia ita singularis et non communicata alteri, ut sit hic unus et non alius; ita, secundum hanc analogiam, natura divina, quatenus *communis* tribus personis, non est hypostasis, quia licet singularis, non tamen sistit tota in se, sed progreditur ultra et est ita *communicabilis,* ut sit natura Patris et eadem simul natura Filii, qui est alius a Patre, et simul natura Spiritus sancti, qui iterum est alius a Patre et a Filio: contra hypostases sunt *singuli* tres distincti eandem naturam habentes Pater et Filius et Spiritus sanctus, quia in his formaliter, quatenus *hoc proprio eoque substantiali modo subsistit,* substantia ita incommunicabiliter terminatur, ut quisquis sit hic unus et non alius eiusdem naturae (1).

225. Huius mysterii doctrinam tribus capitibus comprehendimus: 1.° de misterii veritate ex fontibus revelationis demonstranda; 2.° de processionibus divinis (de aliquo eiusdem intellectu); 3.° de eius ad rationem humanam relatione.

CAPUT I.

De veritate mysterii ss. Trinitatis ex fontibus revelationis demonstranda.

226. Mysterium Trinitatis essentiae unitatem et trinitatem personarum comprehendit. Porro Scriptura ita habet ut, vel utrumque dogma veluti per partes exhibeat modo unam personam, modo alteram, modo essentiae unitatem proponendo; vel tum distinctionem tum unitatem simul eodem testimonio perhibeat. Mysterium itaque ex Scriptura vindicabimus 1.° singillatim, 2.° coniunctim; dein 3.° illud ex traditionis quoque doctrina confirmabimus.

(1) Cf. Sala v. II. n. 94.

ARTICULUS I.

De unitate et distinctione singillatim ex complexu doctrinae Scripturarum.

227. Prop. 28. **Collatis iis, quae de singulis personis et de Dei unitate in Scripturis passim praedicantur, edocemur Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres esse distinctas personas, quae sint unus Deus.**

Declar. Propositio tria continet de unaquaque persona: quod est distincta ab aliis, quod est persona, et quod est Deus. Duo priora iure supponimus, cum ex complexu doctrinae Scripturarum evidenter colligantur. Profecto ii ab invicem distinguuntur, qui connumerantur, sese mutuo alloquuntur, nominibus relativis insigniuntur. Insuper Christus in Evangelio se exhibet semper distinctum a Patre, a quo exivit et ad quem vadit; pariter Spiritus sanctus exhibetur distinctus a Patre et a Filio, a quibus mittitur (1). Cum igitur unusquisque ita distinguatur ab aliis, ut Pater, qua Pater, non sit Filius aut Spiritus sanctus, et Spiritus sanctus, qua talis, non sit Pater aut Filius; tres distincti sunt tres hypostases, et quoniam omnibus tribus attribuuntur intellectus et voluntas et generatim operationes personales (2), sunt personae.

Reliquum igitur est, ut demonstremus unamquamque personam esse Deum.

Demonstr. i. *Pater* (3) *est Deus.* — (Matth. 11, 25): *Confiteor*

---

(1) *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis* (Jo. 14, 16). *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (Jo. 15, 26).

(2) *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (Matth. 11, 27). *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult vivificat* (Jo. 5, 21). *Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult* (1. Cor. 12, 11).

(3) Nomen *Pater* saepe in Scripturis sumitur οὐσιωδῶς pro Deo, qui Pater vocatur ratione entium visibilium et invisibilium, quia eorum creator est et gubernator nec non ratione hominum in statu gratiae viventium, qui Dei filii adoptivi sunt. Sed in Scripturis accipitur frequenter etiam ὑποστατικῶς ratione Verbi, Filii sui, et hoc sensu prorsus singulari dicitur *Pater Domini nostri*

tibi, Pater, Domine coeli et terrae, et (Jo. 17, 3): *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Ceterum hoc adeo est manifestum, ut ne ipsi quidem haeretici illud negare sint ausi: vel enim nullus est Deus, vel certe Pater est Deus.

228. II. *Filius est Deus.* — Hoc interim demonstramus ex Jo. (1, 1 - 18), in quibus singula doctrinae capita de Jesu Cristo vero Deo Deique Filio, quibus velut lucis radiis Scripturae universae splendent, in unum quodammodo collecta verticem conspiciuntur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum* etc. In primis Verbum non est absolutum aliquid, sapientiae puta vel omnipotentiae, attributum illius, apud quem, erat, sed est persona distincta ab eo, apud quem erat; nam ille qui est et dicitur *Verbum apud Deum* factus est homo, est *Unigenitus* a Patre, est Christus Jesus, qui in toto Evangelio declarat seipsum distinctum a Patre, apud quem erat.

Iam vero, hoc Verbum *a)* praedicatur expresse *Deus: καί θεὸς ῆν ὁ λόγος.* Hujus enuntiationis subiectum est Verbum *ὁ λόγος,* praedicatum *Deus θεός;* hoc patet primo quidem eo quod *λόγος* cum articulo, *θεός* vero sine articulo ponitur; tum autem consilio, quod scribendo Evangelista prosequitur; non enim quid *Deus* sit, sed quid sit *Verbum* docere intendit. Declaratur ergo a Joanne Verbum esse verum Deum proinde unum essentia cum Patre. — *β)* Verbo attributum divinum *aeternitatis* adscribitur; dicitur enim fuisse *in principio. Principium* sumitur relative et absolute: relative cum certarum rerum vel temporum initium significatur, ut principium vitae, viae, belli, saeculi; absolute cum nihil, quod determinat et restringat, adiicitur. Principio, quod absolute dicitur, nihil in ordine durationis antecedit vel antecedere concipi potest, nam principium principii dari non potest, et hoc sensu in principio idem est ac in aeternitate. Ita accipi a Joanne inde apparet, quod vox *principium* nullo adjecto genitivo correlati ponitur, qui adiicendus necessario fuisset, si *principium* relative sumpsisset. Idem tamen assequimur,

---

Jesu Christi, qui idcirco eius *Filius Unigenitus, primogenitus, proprius* appellatur. Atque hac ratione nobis exhibetur Pater ut persona divina, a Filio et Spiritu sancto distincta, de qua hoc loco agimus.

etiamsi *principium* sensu relativo sumi permittitur. Nam hac acceptione permissa, Verbum significatur praeexistere ante initium temporis simpliciter. Jam vero, quod ante initium temporis simpliciter seu ante durationem, quae utpote effecta initium habet, praeexistit, id sane aeternum est. « Erat, erat, erat... Ubi impius invenit, quod non erat?... Infinite tenditur erat » (1). Docet itaque Joannes aeternitatem proprium esse Verbi attributum, ideoque Verbo convenire existentiam absolute necessariam, immutabilem et independentem. — *γ)* Ipsi *creatio,* quae est nota characteristica divinitatis, adscribitur: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est,* et *mundus per ipsum factus est* (Ibid. v. 3. 10). — *δ)* Verbum in se docetur esse *ipsa vita, lux vera, plenus gratiae et veritatis* ita ut sit causa suprema efficiens, principium et auctor omnis vitae, lucis, veritatis, gratiae et ordinis supernaturalis, omnesque, qui ei non sese subiiciunt, maneant in tenebris et in morte. vv. 4. 5. 9. 12. 16-18.

Huc pertinent omnia argumenta, quibus in Tractatu de *Incarnatione* divinitas Jesu Christi demonstratur.

229. III. *Spiritus sanctus est Deus.* — Ille est verus Deus, cui nomina divina, attributa divina, operationes divinae, et cultus divinus attribuuntur. Atqui Spiritui sancto tribuuntur *α) nomina divina;* nam non solum vocatur *Spiritus Dei, Spiritus Patris, Spiritus veritatis* qui a Patre procedit, sed distincte *Deus* et *Dominus: Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto.... non es mentitus hominibus, sed Deo* (Act. 5, 3. sq.); *Audivi vocem Domini dicentis: vade et dices populo huic: audite audientes, et nolite intelligere* etc. (Js. 6, 8); atqui hic Dominus est Spiritus sanctus, explicante Paulo (Act. 28, 25. 26): *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros dicens: vade ad populum istum et dic ad eos: aure audietis* etc. — *β)* Adscribuntur *attributa divina:* omniscentia, *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei* (1. Cor. 2. 10); omnipraesentia: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (Sap. 1, 7); omnipotentia, est enim *virtus Altissimi* et cuncta cum Patre et Filio creavit et continet. — *γ) Operationes divinae:* incarnatio, resuscitatio Christi, inspiratio prophetarum, revelatio

(1) Ambrosius *de fide* I. 1. c. 5.

divina, regeneratio ad vitam gratiae, justificatio, inhabitatio in justis tamquam in templo sibi consecrato, et distributio omnium gratiarum in omnibus. — *δ)* Cultus divinus: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum* (Marc. 3, 29); *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti* (1. Cor. 6, 19); ergo, concludit Augustinus, « non est creatura Spiritus sanctus; quia cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est, ut huic eam servitutem debeamus, qua nonnisi Deo serviendum est, quae graece appellatur *λατρεία;* unde consequenter dicit: *Glorificate Deum in corpore vestro* » (1).

Haec omnia praeclare complexus est s. Fulgentius: « dicatur, igitur; si coelorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus? si potest vivificare, qui non est Deus; si potest in baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus? si potest caritate imbuere, qui non est Deus? si potest in credentibus habitare, qui non est Deus? si potest gratiam dare, qui non est Deus? si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus? et digne Spiritus sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur, si ea, quae de Spiritu sancto commemorata sunt, potest aliqua creatura facere? et digne Spiritus sanctus dicetur creatura. Si autem haec creaturae possibilia nunquam fuerunt, et inveniuntur in Spiritu sancto, quae tamen soli competunt Deo; non debemus naturaliter diversum a Patre Filioque dicere, quam in operum potentia diversum non possumus invenire » (2).

230. IV. *Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt unus Deus.* — Unitas Dei est primus articulus totius revelationis, illamque in Tractatu de *Deo Uno* jam demonstravimus. Tam in V. quam in N. Testamento hoc dogma fundamentale inculcatur non solum ad excludendos deos gentilium fictitios, sed quemlibet deorum numerum. Addi potest quod de se Christus dixit: *Ego et Pater unum sumus,* et paulo post: *Ego in Patre et Pater in me est.* Est autem in Patre ut splendor in luce (3), ut verbum in mente, quae non duae, sed una sunt substantia. Idem colligitur ex testimonio Joannis dicentis, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum *unum esse;* « unum enim, ait S. Thomas, (4) dicitur sicut ens; unde sicut

---

(1) *De Trin.* l. 1. c. 6. n. 13. — (2) *Ad Trasimund.* l. 3. c. 35. — (3) Heb. 1, 3. — (4) Lect. 5 *in Joann.* c. 10.

aliquid non dicitur ens simpliciter; nisi secundum substantiam, ita nec unum nisi secundum substantiam vel naturam. »

Ex complexu igitur doctrinae Scripturarum constat tres esse in se subsistentes realiter distinctos et summe intellectuales, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, quorum quilibet est unus Deus, et Deum nonnisi unum esse unitate singularitatis. Porro tres distincti in se subsistentes et ratione pollentes ad analogiam creaturarum rite dicuntur *hypostases* et *personae;* entitas vero qua plures distincti constituuntur in sua specie, quaeque communis est singulis individuis illius speciei appellatur ab omnibus doctis et indoctis *essentia, natura.*

Professio ergo christiana, qua credimus unam naturam et tres personas divinas, sive Deum unum natura, et trinum personis, nihil aliud exhibet, quam quod in ipsa doctrina Scripturarum contentum esse demonstravimus.

231. Scholion. Ad generalem considerationem Scripturarum de ss. Trinitate pertinet quaestio, utrum et quomodo hoc mysterium in V. T. propositum fuerit.

Quoad hoc tenendum est, doctrinam de distinctione personarum non fuisse quidem in antiquo Testamento ita propositam, ut pertineret ad comunem fidem populi Israel, attamen in obiectiva revelatione modo clarius modo obscurius contineri. Hoc postremum suadent Christus ipse et Apostoli, qui doctrinam de distinctione personarum, quae sint unus Deus, ex libris V. T. confirmant; hoc ostendunt plures loci V. T. per se inspecti; qui saltem post explicitam in N. T. revelationem alio sensu accipi nequeunt (1).

Huc spectat a) *modus, quo Deus loquitur de suis operationibus ad extra,* exprimens connumerationem plurium, qui sunt unus Deus, ut v. g. (Gen. 1, 26. 27): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Pluralitas verborum *faciamus* et *nostram* non potest explicari per constructionem sic dicti *pluralis majestatis,*

---

(1) Hinc etiam intelligitur, Israelitas illos, praesertim Patriarchas, Prophetas etc., qui majori sanctitate et lumine praediti erant ad intimum sensum Scripturarum penetrandum, pro diverso gradu illustrationis, plus minusve claram Trinitatis notitiam habuisse.

tibi, Pater, Domine coeli et terrae, et (Jo. 17, 3): *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Ceterum hoc adeo est manifestum, ut ne ipsi quidem haeretici illud negare sint ausi: vel enim nullus est Deus, vel certe Pater est Deus.

228. II. *Filius est Deus.* — Hoc interim demonstramus ex Jo. (1, 1 – 18), in quibus singula doctrinae capita de Jesu Cristo vero Deo Deique Filio, quibus velut lucis radiis Scripturae universae splendent, in unum quodammodo collecta verticem conspiciuntur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum* etc. In primis Verbum non est absolutum aliquid, sapientiae puta vel omnipotentiae, attributum illius, apud quem, erat, sed est persona distincta ab eo, apud quem erat; nam ille qui est et dicitur *Verbum apud Deum* factus est homo, est *Unigenitus* a Patre, est Christus Jesus, qui in toto Evangelio declarat seipsum distinctum a Patre, apud quem erat.

Iam vero, hoc Verbum *a)* praedicatur expresse *Deus: καί θεὸς ἦν ὁ λόγος.* Hujus enuntiationis subiectum est Verbum *ὁ λόγος,* praedicatum *Deus θεός;* hoc patet primo quidem eo quod *λόγος* cum articulo, *θεός* vero sine articulo ponitur; tum autem consilio, quod scribendo Evangelista prosequitur; non enim quid *Deus* sit, sed quid sit *Verbum* docere intendit. Declaratur ergo a Joanne Verbum esse verum Deum proinde unum essentia cum Patre. — *β)* Verbo attributum divinum *aeternitatis* adscribitur; dicitur enim fuisse *in principio. Principium* sumitur relative et absolute: relative cum certarum rerum vel temporum initium significatur, ut principium vitae, viae, belli, saeculi; absolute cum nihil, quod determinat et restringat, adiicitur. Principio, quod absolute dicitur, nihil in ordine durationis antecedit vel antecedere concipi potest, nam principium principii dari non potest, et hoc sensu in principio idem est ac in aeternitate. Ita accipi a Joanne inde apparet, quod vox *principium* nullo adjecto genitivo correlati ponitur, qui adiicendus necessario fuisset, si *principium* relative sumpsisset. Idem tamen assequimur,

---

Jesu Christi, qui idcirco eius *Filius Unigenitus, primogenitus, proprius* appellatur. Atque hac ratione nobis exhibetur Pater ut persona divina, a Filio et Spiritu sancto distincta, de qua hoc loco agimus.

etiamsi *principium* sensu relativo sumi permittitur. Nam hac acceptione permissa, Verbum significatur praeexistere ante initium temporis simpliciter. Jam vero, quod ante initium temporis simpliciter seu ante durationem, quae utpote effecta initium habet, praeexistit, id sane aeternum est. « Erat, erat, erat... Ubi impius invenit, quod non erat?... Infinite tenditur erat » (1). Docet itaque Joannes aeternitatem proprium esse Verbi attributum, ideoque Verbo convenire existentiam absolute necessariam, immutabilem et independentem. — *γ)* Ipsi *creatio,* quae est nota characteristica divinitatis, adscribitur: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est,* et *mundus per ipsum factus est* (Ibid. v. 3. 10). — *δ)* Verbum in se docetur esse *ipsa vita, lux vera, plenus gratiae et veritatis* ita ut sit causa suprema efficiens, principium et auctor omnis vitae, lucis, veritatis, gratiae et ordinis supernaturalis, omnesque, qui ei non sese subiiciunt, maneant in tenebris et in morte. vv. 4. 5. 9. 12. 16-18.

Huc pertinent omnia argumenta, quibus in Tractatu de *Incarnatione* divinitas Jesu Christi demonstratur.

229. III. *Spiritus sanctus est Deus.* — Ille est verus Deus, cui nomina divina, attributa divina, operationes divinae, et cultus divinus attribuuntur. Atqui Spiritui sancto tribuuntur *a*) *nomina divina;* nam non solum vocatur *Spiritus Dei, Spiritus Patris, Spiritus veritatis* qui a Patre procedit, sed distincte *Deus* et *Dominus: Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto.... non es mentitus hominibus, sed Deo* (Act. 5, 3. sq.); *Audivi vocem Domini dicentis: vade et dices populo huic: audite audientes, et nolite intelligere* etc. (Js. 6, 8); atqui hic Dominus est Spiritus sanctus, explicante Paulo (Act. 28, 25. 26): *Bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros dicens: vade ad populum istum et dic ad eos: aure audietis* etc. — *β)* Adscribuntur *attributa divina:* omniscentia, *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei* (1. Cor. 2. 10); omnipraesentia: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (Sap. 1, 7); omnipotentia, est enim *virtus Altissimi* et cuncta cum Patre et Filio creavit et continet. — *γ) Operationes divinae:* incarnatio, resuscitatio Christi, inspiratio prophetarum, revelatio

---

(1) Ambrosius *de fide* I. 1. c. 5.

divina, regeneratio ad vitam gratiae, justificatio, inhabitatio in justis tamquam in templo sibi consecrato, et distributio omnium gratiarum in omnibus. — *δ)* Cultus divinus: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in aeternum* (Marc. 3, 29); *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti* (1. Cor. 6, 19); ergo, concludit Augustinus, « non est creatura Spiritus sanctus; quia cui corpus nostrum templum exhibemus, necesse est, ut huic eam servitutem debeamus, qua nonnisi Deo serviendum est, quae graece appellatur *λατρεία;* unde consequenter dicit: *Glorificate Deum in corpore vestro* » (1).

Haec omnia praeclare complexus est s. Fulgentius: « dicatur, igitur; si coelorum virtutem potuit firmare, qui non est Deus? si potest vivificare, qui non est Deus; si potest in baptismatis regeneratione sanctificare, qui non est Deus? si potest caritate imbuere, qui non est Deus? si potest in credentibus habitare, qui non est Deus? si potest gratiam dare, qui non est Deus? si potest templum membra Christi habere, qui non est Deus? et digne Spiritus sanctus negabitur Deus. Rursus dicatur, si ea, quae de Spiritu sancto commemorata sunt, potest aliqua creatura facere? et digne Spiritus sanctus dicetur creatura. Si autem haec creaturae possibilia nunquam fuerunt, et inveniuntur in Spiritu sancto, quae tamen soli competunt Deo; non debemus naturaliter diversum a Patre Filioque dicere, quam in operum potentia diversum non possumus invenire » (2).

230. IV. *Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt unus Deus.* — Unitas Dei est primus articulus totius revelationis, illamque in Tractatu de *Deo Uno* jam demonstravimus. Tam in V. quam in N. Testamento hoc dogma fundamentale inculcatur non solum ad excludendos deos gentilium fictitios, sed quemlibet deorum numerum. Addi potest quod de se Christus dixit: *Ego et Pater unum sumus*, et paulo post: *Ego in Patre et Pater in me est.* Est autem in Patre ut splendor in luce (3), ut verbum in mente, quae non duae, sed una sunt substantia. Idem colligitur ex testimonio Joannis dicentis, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum *unum esse;* « unum enim, ait S. Thomas, (4) dicitur sicut ens; unde sicut

---

(1) *De Trin.* l. 1. c. 6. n. 13. — (2) *Ad Trasimund.* l. 3. c. 35. — (3) Heb. 1, 3. — (4) Lect. 5 *in Joann.* c. 10.

aliquid non dicitur ens simpliciter; nisi secundum substantiam, ita nec unum nisi secundum substantiam vel naturam. »

Ex complexu igitur doctrinae Scripturarum constat tres esse in se subsistentes realiter distinctos et summe intellectuales, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, quorum quilibet est unus Deus, et Deum nonnisi unum esse unitate singularitatis. Porro tres distincti in se subsistentes et ratione pollentes ad analogiam creaturarum rite dicuntur *hypostases* et *personae;* entitas vero qua plures distincti constituuntur in sua specie, quaeque communis est singulis individuis illius speciei appellatur ab omnibus doctis et indoctis *essentia, natura.*

Professio ergo christiana, qua credimus unam naturam et tres personas divinas, sive Deum unum natura, et trinum personis, nihil aliud exhibet, quam quod in ipsa doctrina Scripturarum contentum esse demonstravimus.

231. Scholion. Ad generalem considerationem Scripturarum de ss. Trinitate pertinet quaestio, utrum et quomodo hoc mysterium in V. T. propositum fuerit.

Quoad hoc tenendum est, doctrinam de distinctione personarum non fuisse quidem in antiquo Testamento ita propositam, ut pertineret ad comunem fidem populi Israel, attamen in obiectiva revelatione modo clarius modo obscurius contineri. Hoc postremum suadent Christus ipse et Apostoli, qui doctrinam de distinctione personarum, quae sint unus Deus, ex libris V. T. confirmant; hoc ostendunt plures loci V. T. per se inspecti; qui saltem post explicitam in N. T. revelationem alio sensu accipi nequeunt (1).

Huc spectat a) *modus, quo Deus loquitur de suis operationibus ad extra,* exprimens connumerationem plurium, qui sunt unus Deus, ut v. g. (Gen. 1, 26. 27): *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Pluralitas verborum *faciamus* et *nostram* non potest explicari per constructionem sic dicti *pluralis majestatis,*

(1) Hinc etiam intelligitur, Israelitas illos, praesertim Patriarchas, Prophetas etc., qui majori sanctitate et lumine praediti erant ad intimum sensum Scripturarum penetrandum, pro diverso gradu illustrationis, plus minusve claram Trinitatis notitiam habuisse.

cum hic nulla causa commendandae maiestatis divinae, cum Deus hic creaturas non alloquatur, et eiusdem non solum non occurrat in Scriptura exemplum, sed Deus semper singulari utatur; nec per locutionem Dei ad Angelos, cum alloquatur eos, qui eandem habent operationem creatricem *(faciamus)*, et eandem dignitatem causae exemplaris *(ad imaginem nostram)*, quod neutrum Angelis competit. Per singulare vero *creavit* et *imaginem* unitas innuitur.

b) Theophaniae seu *Dei apparitiones* in quibus, qui apparet e. g. formâ humanâ, flammâ ignis, voce sensibili, exhibetur ut verus Deus *missus* a Deo, *angelus* seu *legatus* Dei; alius igitur est *missus* et alius est *mittens*, ambo tamen *unus verus Deus*. Ita ille, qui Moysi apparuit in rubo ardente dicitur in textu hebraico *Angelus Domini;* idem vero se definit: *Ego sum qui sum.... Deus Abraham....* (Exod. 3, 2 sq.). — In valle Mambre *apparuit ei* (Abraham) *Dominus... Cumque elevasset oculos apparuerunt ei tres viri... quos cum vidisset.... adoravit in terram et dixit: Domine si inveni gratiam in oculis tuis...* (1). *Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham. Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere.... Igitur Dominus* (Jehovah) *pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de coelo* (Gen. 18 et 19). Hic clare Dominus apparens sub externa specie in terra, qui alibi dicitur Angelus Domini, distinguitur a Domino in coelo constituto, a quo h. e. secundum voluntatem Patris, qui misit eum, dicitur pluere ignem (2).

c) Prophetiae de futuro Messia, in quibus Messias et *mittendus* a Deo, et ipsemet Deus, imo ut verus Filius a Deo Patre, ut Deus qui ungitur a Deo suo exhibetur. *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis.... ex utero ante luciferum genui te* (Ps. 109, 1. 3). *Sedes tua, Deus, in saeculum saeculi.... propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis* (Ps. 44, 7. 8). *Invocavi Dominum Patrem Domini mei* (Eccli. 51, 14).

---

(1) « Vide fidei mysterium: Deus illi apparuit et tres adspexit. Cui Deus refulget, Trinitatem videt » s. Ambrosius *de Abraham* l. 1. c. 5; et *de Cain et Abel* rursus: « Tres videt et unum adorat. »

(2) Seposita unione hypostatica, apparitio Dei immensi aliter intelligi nequit, nisi per manifestationem in speciebus sensibilibus, e. g. in specie virorum, columbae, ignis, vocis etc. Per haec signa apparet h. e. praesens significatur Deus. *Efficienter* tales species, quum sint opera ad extra, sunt opus totius Trinitatis, sed *significando* possunt exhibere personas distinctas, sive tres, sive duas, sive unam.

d) Descriptiones Sapientiae genitae, quae in libris Proverbiorum (8), Ecclesiastici (24) et Sapientiae (7 sq.) ex una parte ut creatrix, omnipotens, omniscia, ut Deus itaque exhibetur, ex altera ut primogenita ex ore Altissimi prodiens, ut vapor virtutis Dei, emanatio quaedam sincera claritatis omnipotentis Dei, candor lucis aeternae, speculum sine macula, imago bonitatis illius (1).

Huc referri potest etiam nominis triplicatio, ut (Ps. 66, 8): *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus: et metuant eum omnes fines terrae;* (Is. 6, 3): *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum;* et trium connumeratio, ut (Ps. 32, 5): *Misericordia Domini plena est terra. Verbo Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

ARTICULUS II.

De unitate et distinctione coniunctim ex specialibus testimoniis.

232. Prop. 29. **Eadem veritas specialibus demonstratur textibus, quibus tres ita enuntiantur distincti, ut simul unum Deum eos esse doceatur.**

Demonstr. i. Fidei christianae summa continetur verbis Christi, quibus tamquam forma baptismus conferendus erat: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (Matth. 28, 19). His verbis exprimitur:

a) Distinctio personarum; nam *α)* nomina relativa Pater et Filius non sunt attributum vel appellatio eiusdem personae iuxta diversas rationes, sed indicant duorum subsistentium talem relationem, ut origo unius sit ab altero; porro, si Pater alius est a Filio, sequitur, ut Spiritus quoque sanctus, qui eadem dicendi formula ponitur tertius, alius sit ab ambobus; quod *β)* confirmatur repetitione in textu graeco articuli ante singula nomina *(τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος),* qui omittitur, quando unius personae praedicata iunguntur (2).

b) Divinitas personarum, nam *α)* eae connumerantur (3) in

---

(1) Cf. Franzelin th. 7. — (2) Cf. Tit. 2, 13; 2 Cor. 1, 3 etc.

(3) *Connumeratio* est, quando vi verborum et contextus duo vel plura

eadem dignitate nominis, quod idem est tribus, et *β)* in cujuscumque nomine confertur baptismus, qui cum ea sit actio, ut non possit esse, nisi veri Dei; quilibet, in cujus nomine baptizamur, est verus Deus.

c) Unitas essentiae, et quidem *α)* ex ipsa forma verborum seu ex unitate nominis, in quo dicitur baptismus conferri. Nomen sumitur pro *potestate* seu pro *ipsa re nominis*, pro *Numine* divino: *Protegat te nomen Dei Jacob* (Ps. 19, 1); *Nomini tuo psalmum dicam* (Ps. 17, 50); *In nomine sancto ejus speravimus* (Ps. 32, 21); *Aedificavi domum nomini Domini Dei Israel* (3. Reg. 8, 20) etc. Ergo hac nominis unitate, quod commune est tribus distinctis, continetur una potestas trium, una eademque divinitas tribus communis. *β)* Ex re significata; per baptismum enim abluimur a peccatis et regeneramur, et hoc ipso consecramur, devovemur, adscribimur Deo. Haec relatio consecrationis exprimitur, dum dicimur baptizari in nomen *(εἰς τὸ ὄνομα)* Patris et Filii et Spiritus sancti. Sed ex doctrina Scripturae talis consecratio, qua supremus continetur cultus latriae, nonnisi uni soli Deo fieri potest; ergo illae tres personae, quibus per baptismum devovemur, sunt unus Deus.

233. II. Alter celeber locus est ille Joannis (1. ep. 5, 7): *Tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt* (1). Hoc enuntiatur:

---

comprehenduntur in eodem ordine sub aliqua ratione entis, adeoque significatur identitas seu paritas in ea ratione sub qua connumerantur.

(1) Sociniani, quibus adstipulantur nonnulli catholici, hunc textum ut suppositum reiiciunt. Verum de ejus genuinitate constat omnino ex principiis theologicis. Concilium enim Trid. Sess. 4. definivit: « Si quis libros integros cum omnibus suis partibus, prouti in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit. » Scopus hujus decreti erat non solum damnandi errores Novatorum, sed praecipue ut constaret de auctoritate divina fontium, quibus usura erat Synodus in confirmandis dogmatibus et instaurandis moribus. Ex hoc vero scopo consequitur, illo decreto canonicas esse declaratas *partes omnes*, prouti in veteri vulgata habentur, *quae dogma aliquod vel morum regulam per se directe enuntiant.* Atqui omnes fateri debent textum, de quo quaeritur, a septem saltem saeculis usque ad conc. Trident. constituisse partem epistolae canonicae, « prout in Ecclesia catholica legi consuevit et in veteri vulgata latina editione habebatur » eumque eminenti ratione pertinere ad partes per se dogmaticas, et insuper simul cum libris deuterocanonicis pro interpolato habitum a Novatoribus. Ergo tum ex scopo praecipuo et immediato, tum ex scopo polemico

a) Distinctio personarum, quae colligitur *α)* ex ipsis nominibus relativis, *β)* ex genere masculino *tres* quod de personis ad hibetur, *γ)* ex verbo *testari* quod personae proprium est.

b) Unitas naturae, quae exprimitur: *α)* ipsa testificatione; testimonium enim *reale* de hac veritate, quod *Jesus est Filius Dei,* eatenus habetur, quatenus est ejusdem essentiae ac Pater. *β)* Trium connumeratione, per quam tres proponuntur ejusdem dignitatis ita ut Filius et Spiritus sanctus sint Deus, sicuti Pater, quod fieri non posset, si connumeratorum alter diversae esset essentiae; creatura enim et Deus numquam simpliciter connumerantur. *γ)* Diserta declaratione, quod hi tres *unum* sunt; unum enim sempliciter et sine addito nunquam creatura dicitur cum Deo, quia unum, ut audivimus ex s. Thoma, ad substantiam refertur (n. 230).

Dices: etiam v. 8. spiritus, aqua et sanguis unum (1) dicuntur, neque tamen unum sunt essentia, sed testificatione.

Resp. Quaenam sit significatio praedicati patet praecipue ex

---

constat, textum, de quo agitur, comprehendi in decreto tridentino de partibus canonicis et de authentia Vulgatae.

Ad quaestionem criticam quod spectat, hic textus inde a primis saeculis recipiebatur in Ecclesiis Africae, ut constat ex testimoniis Fulgentii, Cypriani, Tertulliani et concilii a 461 Episcopis an. 484 Carthagine habiti, unde jam concludendum foret in toto Occidente eandem lectionem viguisse, quod insuper constat ex directis testimoniis. Sed etiam Graecorum codicum, qui adhuc extant, nonnulli, iique optimae notae, Vulgatae concordant. Ex Cassiodoro, insigni priscorum codicum latinorum et graecorum collectore, discimus illum in graecis quoque codicibus, quibus ille usus est, extitisse. Ea quae opponuntur satis quidem probant, illum textum in transcriptione codicum jam antiquitus non raro fuisse omissum, at dubium, nedum spurium esse minime demonstrant. Cf. Franzelin th. IV. et Kleutgen n. 853.

(1) Locus est obscurus et plures admittit sensus eo quod non omnia adiuncta erroris confutandi nobis comperta sunt. Si Apostolus prae oculis habuit, ut indicat Irenaeus l. III. c. 11, Gnosticos docentes Jesum Christum non esse eandem personam, sed Jesum fuisse merum hominem vel hominis phantasma in quem Aeon quidam Christus in baptismo descendit et tempore passionis iterum in coeleste pleroma avolavit, atque adeo demonstrare voluit Jesum, qui visibilis apparuit, eundem esse et verum Deum et verum hominem: tunc v. 7 pertineret ad Christi divinitatem et v. 6: *Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus, non in aqua solum sed in aqua et sanguine. Et spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas* et v. 8: *Tres sunt qui testimonium dant in terra etc.* pertinerent ad demonstrandam veram Jesu non apparentem humanitatem, siquidem *spiritus,* quem in cruce *emisit, sanguis et aqua,* quae ex latere ejus *exivit,* sunt testimonium *reale* ejus humanitatis. — Aliis

natura subiecti. V. 8 spiritus, aqua et sanguis ex ipsa eorum natura non possunt dici unum nisi unitate morali in testificando, unum testimonium; v. 7 per *connumerationem* trium, quorum unus certe est Deus, tres illi declarantur *personae divinae;* ubi vero unum enuntiatur de divinis, necessario intelligitur unitas essentiae.

Hoc ipsum confirmatur textu originali; nam in plerisque et melioribus codicibus v. 7 legitur *ἕν εἰσι* et v. 8 *εἰς τὸ ἕν εἰσιν* in unum sunt.

ARTICULUS III.

De mysterio Trinitatis ex traditione.

234. Prop. 30. **Doctrina, hucusque Scripturis demonstrata, constanti ac perpetuo traditionis magisterio confirmatur.**

Declar. Ex multis, quae per singula saecula citari possent, documentis, unum alterumve adferentes demonstrationem ita instituemus, ut inde a nicaena aetate praesertim unitas essentiae praecipua ratione appareat.

235. Demonstr. I. *a)* Ex Patribus – Irenaeus: « Ecclesia per universum orbem usque ad fines terrae seminata, ab Apostolis et eorum successoribus accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem.... et in Jesum Christum, Filium Dei, incarnatum pro nostra salute; et in Spiritum sanctum, qui per prophetas Dei consilia et adventum praedicavit » (1). Tertullianus: « Opus Evangelii, substantia novi Testamenti, quod exinde Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres crediti, unum

---

Apostolus Ebionitarum haeresim respicere videtur, eo quod, ut in tota epistola, sic in hoc ipso loco (vide v. 5, 9 et 10) quam maxime fidem in Christi divinitatem commendat; et isti tam in v. 6 quam 8, per aquam baptismum, per sanguinem passionem Domini, per spiritum mentem spiritualem h. e. gratia Spiritus sancti affectam intelligunt. Atque ita testimonium *formale,* quod datur in terra, cum testimonio *reali,* quod datur in coelo, connexum est. Nam praecipua quadam et solemni ratione Pater in baptismo (Matth. 3, 17), Verbum autem in passione (Matth. 26, 64. Jo. 19, 7), Spiritus sanctus, cum effusus est in Apostolos et fideles (Jo. 15, 26), testificatus est. Alii aliter exponunt.

(1) Irenaeus *adv. haer.* l. 1. c. 10.

Deum sistunt » (1). « Origenes: Admittenda est trium distinctio personarum in Patre et Filio et Spiritu sancto,... sed horum unus est fons; una enim substantia est et natura Trinitatis » (2). Et generatim de fide veterum Patrum hoc profert testimonium Augustinus: « Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae est Deus, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus unius ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem, ideoque non sint tres dii, sed unus Deus..... Haec mea fides est, quando haec est catholica fides » (3).

236. *b)* Ex aliis documentis. — *a)* Ex symbolis, quae omnia fidem in Trinitatem ut fundamentum proponunt. S. Gregorius Thaumaturgus declarans symbolum contra Paulum Samosatenum Trinitatem personarum negantem ait: « Unus Deus Pater Verbi viventis, Sapientiae subsistentis.... unus Dominus solus ex solo, Deus ex Deo..... Unus Spiritus sanctus ex Deo subsistentiam habens, et per Filium effulgens.... Trinitas perfecta, quae gloria et aeternitate et regno non dividitur nec alienatur » (4).

β) Ex forma baptismi semper in nomine Trinitatis et post ejusdem explicitam professionem collati. « Quando ducti estis ad piscinam, interrogati estis de fide in Patrem et Filium et Spiritum sanctum » (5).

γ) Ex doxologia, qua, teste Basilio, indi ab aetate Apostolica una deferebatur *gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.*

δ) Ex martyrum confessionibus: « Verax Deus, glorifico te cum aeterno et coelesti Jesu Christo Filio tuo, cum quo tibi et Spiritui sancto gloria et nunc et in futura saecula » s. Polycarpus an. 166; « Christum cum Patre et Spiritu sancto Deum esse, confiteor » Epipodius an. 178 (6).

ε) Ex haereseon historia et damnatione. Praxeas, Sabellius, Paulus Samosatenus Trinitatem negantes in pluribus synodis ut haeretici damnati sunt. Fides Ecclesiae de hac re medio saec. III. apparet insuper ex causa Dionysii Alexandrini. Cum is ad rea-

---

(1) *C. Praxeam* c. 31. — (2) *Hom.* 12 *in Num.* — (3) *De Trinit.* l. 1. n. 7. — (4) *Apud Gallandi* p. 385. — (5) Cyrillus Hieros. *Catech. Myst.* 2. — (6) Ruinart *act. gen. martyrum.* Similia professi sunt Pionius, Tarachius etc.

lem distinctionem Patris et Filii adversus Sabellianos efficacius exprimendam usus esset quibusdam loquendi modis, quibus distinctio et diversitas naturae significari videbatur, continuo reclamatum, et causa ad fidei magistrum Dionysium Rom. Pontificem delata est, qui hac occasione communem fidem sicut de distinctione personarum ita de unitate naturae proposuit. « Ille, ait, blasphemat Filium esse Patrem et vicissim; hi vero tres Deos quodammodo praedicant, cum sanctam monadem in tres hypostases sibi alienas et omnino separatas dividunt, » cui definitioni Alexandrinus plenissime consensit, et se semper in eadem fide fuisse protestatus est (1). — Ineunte saec. IV idem luculenter eruitur ex *subita* Arii *denunciatione,* ex *consensu universali* Episcoporum respondentium Alexandro episcopo Alexandrino, ex *fraudibus,* quibus Arius ejusque sectatores ad haeresim tegendam utebantur. — Divinitas Jesu Christi in Conc. Nicaeno a. 325 contra Arium, Spiritus sancti in Constnp. I. an. 381 contra Macedonium definita fuit.

237. II. Eandem fidem de hoc mysterio et praesertim de unitate numerica divinae naturae a Patribus Nicaenis et subsequentibus semper fuisse habitam et vindicatam, secus ac nonnulli calumniati sunt, qui contenderunt illos usque ad Augustinum unitatem tantum specificam (2) in Trinitate agnovisse eo quod Filium consubstantialem dixerint; sunt enim etiam homines inter se consubstantiales, nec tamen naturam numerice, sed specifice tantum unam habent; probatur:

a) Ex principio utrique parti in controversia ariana communi. *Consubstantialitas* per se unitatem substantiae in pluribus significat; cujusmodi vero haec unitas sit, dependet a natura subjecti, de quo consubstantialitas praedicatur.

---

(1) S. Athanasius *de sentent. Dionysii* n. 15, 17, 18, 20 etc.; *de decret. Nicoen.* n. 26.

(2) Unitas vel realis vel rationis tantum est, prout quod dicitur unum, vel in se ipso vel mentis tantum consideratione est unum.

Unitas itaque rationis est, cum res, quae in se plures (divisae) sunt, propter aliquam rationem, quae est in ipsis rebus, a mente tamquam unum (indivisum) considerantur, et haec unitas est specifica, si ratio illa est aequalitas naturae. Neque ab hac unitate specifica differt *qualitativa,* quam Güntheriani commenti sunt, quippe quae non realis sed rationis est, et fundamentum propter quod divinae personae ut unum considerantur a mente, est earundem aequalitas.

In creaturis haec unitas cum non possit esse nisi per multiplicationem ejusdem naturae in multis, hinc tres homines v. g., quia *specie* unum sunt, et adhuc strictius parentes et filii, quia insuper *originis relatione* conjuncti sunt, consubstantiales dicuntur. Quae naturae multiplicatio in Deo cum repugnet, ex ipsa intrinseca ratione subjecti consubstantialitas determinatur ad significandam unam numero naturam communem pluribus. Hoc sensu strictissimo et antonomastico consubstantialitatem vindicatam fuisse, apparet insuper ex ipso statu controversiae cum Arianis. Hi fieri non posse existimabant, ut in una singulari natura plures subsisterent personae. Quoniam igitur firme tenebant unicam esse substantiam divinam, quia unus est Deus, intulerunt, Filium et Spiritum sanctum diversae esse a Patre naturae et perfectionis; Patres e contra ejusdem esse defendebant; ad significandam, modo quo omne effugium Arianis occluderetur, hanc omnimodam naturae et perfectionis aequalitatem aptissima erat formula *ὁμόουσιον,* quae ideo tessera evasit fidei catholicae; tali vero identitate affirmata et demonstrata, ipsius mysterii summa, tres esse personas divinas in una numero substantia, Arianis, qui hanc unitatem non modo concedebant, sed etiam urgebant, demonstrata erat.

b) Ex dissidio Episcoporum catholicorum, quod in synodo Alexandrina ab Athanasio compositum fuit. Cum enim sensus vocabulorum *ὑποστάσις, οὔσια, πρόσωπον* nondum communi usu fixus esset, orientales unam *οὔσιαν* et tres hypostases, occidentales unam *ὑποστάσιν* et tres personas dicebant. Interrogati ab Athanasio priores, num per tres hypostases significarent tres substantias diversas, ut aurum, argentum et aes, vel certe etsi aequales, separatas tamen, ut in hominibus sunt hypostases parentum et filiorum, atque ita tres deitates vel tres deos assererent: id vehementer negando, se tres dicere hypostases responderunt, ut Patris, Filii et Spiritus sancti veram subsistentiam significarent, hanc autem Trinitatem agnoscentes unam se deitatem profiteri. Quo audito, pars altera quievit. Interrogati posteriores, num unam hypostasim dicerent sensu Sabelliano, id negantes se dicere responderunt unam hypostasim ut significarent identitatem *(ταυτό-*

τητα τῆς φύσεος) naturae et deitatis Filii et Spiritus sancti cum Patre. Qua data explicatione consenserunt et priores (1).

Atqui neque illi potuissent negare consubstantialitatem in divinis qualis est inter parentes et filios, si unitatem specificam admisissent; neque hi unam hypostasin dicere, quia hypostasis semper substantiam singularem individuam significat; ergo utrinque de unitate numerica conveniebat (2).

c) Ex disertis Patrum fidei Nicaenae vindicum testimoniis. Ajunt enim, *α)* doctrinam catholicam mediam intercedere inter Sabellii et Arii errores, atque ita servare *veram* trinitatem in unitate, et *veram* unitatem in trinitate. S. Fulgentius: « Verum est, quod Sabelliani unam naturam Patris et Filii et Spiritus sancti credunt, sed falsum est, quod tres personas non credunt. — Verum est etiam, quod Ariani tres personas Patris et Filii et Spiritus sancti dicunt, sed falsum est, quod istarum trium personarum tres naturas persuadere contendunt » (3). Atqui Sabellius unitatem affirmabat realem et numeralem; alioquin quomodo personarum trinitatem potuisset negare? Ergo. *β)* Rationem mysterii in eo praecipue inveniri, quod una sit essentia trium personarum. S. Maximus: « Quid haberet admirationis, si ut hominis cum homine, ita Filii cum Patre esset unitas et divisio? » (4). *γ)* Rationem unitatis in Deo esse *essentiae* identitatem: « Essentiae identitas *(ταυτότης)* in unitatem colligit Trinitatem » (5); et rationem distinctionis unice illud, quod formaliter significatur *nominibus relativis ad invicem:* Pater, Filius, Spiritus sanctus; « Haec ipsa *non esse genitum*, et *esse genitum* et

---

(1) « Res profecto ridenda vel potius lugenda; fidei videbatur diversitas, quae erat de sono vocis altercatio. Hinc deinde Sabellianismus ob tres personas exprobatus est, et Arianismus ob tres hypostases, quae erant figmenta ex nimio studio disputandi. » Gregorius Naz. *or.* 21. n. 35. Vide etiam Athan. *ep. synod. ad Antiochenos* n. 5. 6.

(2) Cf. Kleutgen n. 857 et Franzelin th. IX.

(3) *Ad Donat.* c. XII. Cf. s. Greg. Nyss. *Or. Cathech.* c. 3; s. Greg. Naz. *or.* 21; s. Ath. *contra Arian.* — *or.* 4. 10; s. Bas. *contra Sab.* n. 3.

(4) *Cent.* 2. *de caritate.* In Conc. Constp. III. s. Sophronius postquam dixit: « Idem et unum est tria, » addit, « quod sane mirabile est et omni plenum *stupore.* » Greg. Nyss.: « Ineffabilis profunditas mysterii quomodo eadem res... et distinguitur hypostasi et non dirimitur subiecto. » *Or. Cathech.* c. 3.

(5) Cyrillus Alex. *contr. Julian.* l. IV.

procedere designant alium Patrem, alium Filium, alium nomine Spiritus sancti appellatum, ut servetur inconfusa distinctio trium hypostaseon in una natura et dignitate deitatis » (1).

d) Ex Ecclesiae definitionibus. In professione fidei s. Sophronii, quae in Conc. Constpn. III uno ore probata est, expresse legitur: « Idem et numerabile est et refugit numerum; numerabile quidem tribus suis subsistentiis, refugit autem numerum singularitate deitatis (*τῷ ἑνίκῳ τῆς θεότητος*).... In personis divisionem habens (Trinitas), essentiâ, naturâ similiter et deitate indivisa permanet et insecabilis... Nec tres quosdam deos esse agnoscimus aut tres quasdam naturas aut tres quasdam essentias deitatis novimus, non unigenas, non alienigenas, non unius speciei, non diversae speciei » (2).

Concilium Later. IV definitionis contra Joachim supra allatae rationem theologicam hanc reddit: « Filius ergo nascendo substantiam Patris accepit; et ita Pater et Filius habent eandem substantiam; et sic eadem res est Pater et Filius necnon et Spiritus sanctus ab utroque procedens » (3).

238. *Obi.* Patres comparant unitatem naturae in Deo cum unitate naturae humanae in pluribus individuis; atqui haec non est nisi logica et specifica; ergo et illa. — *Resp. Dist.* Patres instituunt illam comparationem ad demonstrandum *qualis* sit unitas divinae naturae, *neg.;* ad evertendum fundamentum haereticorum, quod eadem est ratio naturae et hypostaseos, *conc.*

Inst. Gregorius Nissenus et eum secuti Joa. Damascenus et Theodorus Abucara docent eandem esse omnino naturae unitatem in Deo sicut est in hominibus. — *Resp. Dist.* Greg. Nyssenus, Damascenus etc. admittunt in Deo tantum unitatem logicam, *neg.;* unitatem numericam realem Dei transferunt juxta placita Platonicorum ad naturam humanam, *transeat* (4).

---

(1) Greg. Naz. *or.* 31. (al. 37) n. 9. — (2) *Apud Harduinum* t. 3. p. 1263. — (3) Cap. *Damnamus.* — (4) Cf. Franzelin th. IX.

CAPUT II.

De processionibus divinis seu de aliquo ejusdem mysterii intellectu.

239. Postquam existentiam mysterii divinis eloquiis stabilivimus, ad quaerendam accuratiorem ejusdem notitiam convertimur, memores tamen gravissimi moniti: *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* (Prov. 25, 27). Itaque agemus 1.° de processionibus, 2.° de discrimine inter generationem et spirationem, 3.° de relationibus et notione, 4.° de personarum missione, 5.° de appropriatione.

ARTICULUS I.

De processionibus.

240. Vocabulum *procedere* a motu locali translatum est ad significandam originem unius ex alio; sic lux a sole, filii a parentibus, cogitationes a mente procedere dicuntur. Duplex distinguitur: *transiens,* qua effectus extra operäntem existit, ut filius extra patrem; et *immanens,* qua terminus, qui procedit, intra operantem remanet, ut cogitatio intra mentem, a qua concipitur.

241. Utraque est in Deo admittenda. Processione *transeunte* producuntur quae sunt praeter ipsum, *immanente* secunda persona procedit a prima, tertia ab utraque: alterutra negata, prolabimur vel in pantheismum, vel in sabellianismum. Hic nonnisi de *immanente* agimus, quae definitur: *origo unius personae ab alia per ineffabilem essentiae communicationem.*

242. Duas tantum hujusmodi processiones in Deo agnoscit revelatio: prima est *generatio,* qua secunda persona procedit a prima, et ideo *Filius* dicitur; altera simpliciter *processio* (1) seu

---

(1) Vox *procedere, processio* dupliciter accipitur: 1.° ut est nomen commune productioni Filii et Spiritui sancto; uterque enim procedere dicitur: 2.° ut est nomen speciale tertiae personae, quo sensu est proprium Spiritus sancti; Filius enim dicitur gigni, Spiritus sanctus procedere.

spiratio nominatur, qua tertia persona i. e. Spiritus sanctus a prima et secunda procedit.

Ratio vero, praeter revelationem, ob quam duae et non plures dentur in Deo processiones, haec affertur a s. Thoma: «Processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent. Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt, nisi duae scilicet *intelligere* et *velle*.... relinquitur igitur, quod nulla alia processio possit esse in Deo nisi *verbi* et *amoris* » (1).

243. Modo de utraque processione agentes, haec statuimus:

Prop. 31. **Filius a solo Patre per generationem, Spiritus sanctus, non per generationem, sed spirationem procedit non solum a Patre, verum etiam a Filio.**

De fide quoad omnes partes ex sym. Athan. conc. Nicaen. et Florent.

Demonstr. i. p. *Filius a Patre generatur.* — I. (Ps. 2, 7): *Dominus dicit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Haec verba ad Christum esse referenda constat tum ex indole totius Psalmi, tum ex Paulo qui ex illis excellentiam Christi prae Angelis deducit: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* (Hebr. 1, 5). Secunda persona dicitur hic explicite *Filius*, et *hodie* (2) i. e. ab aeternitate genitus, et quidem sermo est de naturali generatione, quia secus argumentatio Pauli nulla esset, cum adoptionis gratiâ etiam Angeli filii geniti sint a Deo. — In Psalmo 109, quem Dominus ipse de se exponit (Matth. 22, 43), Deus (heb. Jehovah) dicit ad Messiam: *Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum; ex utero ante luciferum genui te;* i. e. in die, quando revelas virtutem tuam in redemptione et subiectione omnium gentium tibi erit principatus splendente circum te gloria sanctorum; et hoc ideo, quia ego te, antequam luciferum sive quidquam crea rem, ex me ipso meaque intima substantia progenui (3).

---

(1) 1. q. 27. a. 5.

(2) Hodie non initium generationis, sed incommutabile *nunc* aeternitatis exprimit.

(3) Est textus dogmaticus, qui communi Patrum consensu de generatione

In N. T. inter primam personam et secundam non solum relatio principii et procedentis a principio, sed determinate relatio *Patris et Filii* esse docetur. Dicitur *Pater proprius* Filii (Jo. 5, 18); *Filius proprius* Patris (Rom. 8, 32); *Filius verus* (I. Jo. 5, 20); *Filius* unigenitus *(μονογενής), unigenitus a Patre* (Jo. 1, 14; 3, 16). Iam vero his nominibus non adoptivus sed naturalis Filius designatur, et filiatio propria, quae est ex generatione.

244. II. Quoad doctrinam traditionis sufficit appellasse ad antiquissima symbola. In symb. Ap. dicitur: « Credo in J. C. Filium ejus unicum, Dominum nostrum; » in symb. Nicaen.: « Credimus in unum Dominum nostrum J. C. Filium Dei, natum ex Patre, Unigenitum, h. e. ex substantia Patris, Deum de Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri; » in symb. Athan.: « Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. » Divina ergo natura secundae personae communicatur a prima per generationem, quam doctrinam confirmant et illustrant Patres praesertim in controversia ariana.

245. Demonstr. ii. p. *Spiritus sanctus non generatur, sed procedit.* — Hoc manifestum est ex eo quod nullibi sive in Scriptura sive in traditione Spiritus sanctus dicitur generari, aut genitus vel Filius appellatur. Imo processio per generationem de Spiritu sancto explicite negatur, quia secunda persona Filius Dei *unicus* et *unigenitus* nominatur. Unde in symb. Athan. dicitur: « Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. » In hoc Latinis consentiunt Graeci.

246. Demonstr. iii. p. *Procedit a Patre.* — Hoc disertis verbis declaravit Christus ipse, cum promisit *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (Jo. 15, 26); et definivit contra Macedonianos conc. Constp. I. « Credimus in Spiritum sanctum... qui ex Pa-

---

ex substantia Patris intellectus est, et nominatim adhibitus per plura saecula in disputationibus adversus Arianos. Cum nostra Vulgata consentiunt LXX et versio syriaca, quae fluxerunt immediate ex textu hebraico. Textus hebraicus, qui nunc extat, potest cum Vulgata conciliari, nam potest verti: *Populus tuus voluntaria oblatio* (i. e. totus tibi devotus) *in die virtutis tuae, in splendoribus sanctis; ex utero ante auroram ros tibi nativitatis tuae;* quae de aeterna generatione commode intelliguntur. — Aliae textus hebraici versiones, quae omnino a Vulgata discrepant, sunt plane reiiciendae. Forte etiam textus habraicus, ut extat, non est omnino genuinus.

tre procedit. » Quoad hoc quoque dogma cum Latinis conveniunt Graeci.

247. DEMONSTR. IV. P. *Procedit vero et a Filio.* — Est contra Graecos hoc negantes et insimulantes erroris Ecclesiam Latinam eo quod symbolo Nicaen. Constp. inseruit verbum *Filioque* (qui a Patre Filioque procedit). - I. *a)* Spiritus sanctus dicitur *spiritus Filii* (Gal. 4, 6); *Spiritus Jesu Christi* (Phil. 1, 19); *Spiritus Christi* (Rom. 8, 9). Nomen personale spiritus idem est ac *spiratus*, dicit nempe relationem originis ad eam personam, cujus dicitur spiritus. Sicut igitur, Graecis non diffitentibus, idcirco dicitur in Scripturis Spiritus Dei vel Patris, quia a Patre procedit; ita etiam dicitur Spiritus Filii, *quia a Filio procedit.* — *b)* Missio, ut inferius explicabitur, includit processionem personae missae a mittente. Atqui Spiritus sanctus sicuti a Patre, ita exhibetur missus a Filio: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos* (Jo. 16, 7.). Ergo a Filio quoque procedit; quod juxta plures Patres Christus voluit significare facto illo, quod narratur (Jo. 20, 22): *Insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum* etc. Ad rem Augustinus: « Neque flatus ille corporea substantia Spiritus sancti fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum a Patre, sed et a Filio procedere Spiritum sanctum » (1). — *c)* Celebre est testimonium (Jo. 16, 13 sq.): *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso: sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi: quia de meo accipiet* (2) *et annuntiabit vobis.* His verbis diserte dicitur *a)* Spiritus sanctus *acci-*

---

(1) *De Trin.* l. IV. c. 20.

(2) « Nec moveat, quod verbum futuri temporis positum est.... Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem, quod sempiternum est sine initio et sine fine, cujuslibet verbum ponatur, sive praeteriti, sive praesentis, sive futuri, non mendaciter ponitur.... Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit; ergo et scivit et sciet et scit, ac per hoc et audivit et audit et audiet; quia sicut jam diximus, hoc est illi audire quod scire, et scire illi hoc est quod esse. Ab illo igitur audit et audiet, a quo est; ab illo est, a quo procedit. » S. Aug. *in Joann. tract.* XCIX, n. 5. — Spiritus sanctus aeternaliter audit et accipit a Filio cum respectu ad effectum in tempore, ad missionem nempe Spiritus sancti, quae esset manifestatio processionis; haec vero missio tunc, quando Christus loquebatur, promittebatur adhuc futura; ideo auditio et acceptio quae aeternaliter et *ideo* etiam tunc est, quando

pere a Filio. Atqui *accipere* in divinis nihil aliud significat quam procedere, nam praeter processionem alia accipiendi ratio non cognoscitur; ergo. Insuper dicitur *audire, discere;* atqui audire et discere in persona divina nihil potest significare, quam communicationem sapientiae, quae identificatur cum essentia. » Quid est, inquit Anselmus, audire Spiritui sancto, nisi quasi discere? Et quid est discere, nisi scientiam accipere? Si ergo scientia eius non est aliud nisi essentia eius; ab illo habet essentiam, a quo habet ea quae loquitur et quae docet » (1). *β)* Filius reddens huius processionis rationem dicit: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Atqui Pater habet vim spirandi Spiritum sanctum; ergo Filius eandem vim habet et cum Patre reipsa spirat.

248. II. *a)* Augustino iam citato addemus ex Latinis Hilarium, qui « Spiritum sanctum de Patre et Filio auctoribus confitendum esse » (2) declarat; s. Leonem, qui expresse docet « alium esse qui genuit, alium qui genitus est, alium qui ab utroque procedit » (3); et s. Fulgentium, qui ait: « firmissime tenendum, eundem Spiritum sanctum, qui Patris et Filii unus Spiritus est, de Patre et Filio procedere » (4). Sed et ipsi Graeci schismatici concedunt, patres latinos docere processionem Spiritus sancti a Filio: quocirca de patribus graecis aliquid dicemus.

b) Horum cum Latinis consensus deducitur *α) indirecte* ex principiis de traditione catholica. Si enim patres graeci usque ad saec. IX in *una* Ecclesia cum illis fuerunt, si patrum latinorum maxima semper fuit et in Oriente auctoritas, merito ex fide patrum latinorum fides colligitur graecorum. *β) Directe* ex diserta eorum doctrina. S. Epiphanius: « A Patre Filioque non alienus est Spiritus sanctus » (5), et alibi: « Spiritus Patris et Filii Spiritus.... ex Patre Filioque procedens, et appellatione tertius » (6); s. Chrysostomus: « Venit ad nos Christus, dedit nobis Spiritum, qui est ex ipso » (7); s. Cyrillus Alex.: « Spiritus san-

---

existit effectus, potuit propter hanc operationem et propter hunc effectum futurum ad extra enuntiari in forma futuri.

Ceterum plures codices graeci habent tempus praesens.

(1) *De process. Spiritus s.* c. 11. — (2) L. 2. *de Trin.* c. 29. — (3) *Ep.* 93, n. 1. — (4) *De fide* c. 11. — (5) *Haer.* 62, n. 4. — (6) *Ancor.* n. 8. — (7) Hom. *de Incarnatione*, quam ipse Photius genuinam esse declarat.

ctus non est alienus a Filio; Spiritus enim veritatis nominatur, et Christus est veritas, ac proinde ab ipso quoque, atque a Deo Patre procedit » (1); Gregorius Nyss.: « Spiritus sanctus et ex Patre dicitur et ex Filio esse perhibetur » (2). — Generatim Patres graeci exhibent *relationem Spiritus sancti ad Filium iisdem nominibus locutionibusque, quibus relatio Filii ad Patrem exhibetur*. Sic asserunt, Filium esse *fontem*, *principium* Spiritus sancti; Spiritum sanctum *procedere*, *scaturire*, *profundi* a Filio, eum esse proprium Filii, vel *substantiae* Filii. — Expressiones metaphoricas, quibus solet significari revelatio originis Filii a Patre, fere easdem etiam de Spiritu sancto in *sua habitudine ad Filium exprimenda* assumunt. Sicuti v. g. Filius dicitur Patris imago, splendor, gloria, lux, ignis; ita etiam Spiritus sanctus relate ad Filium sub talibus locutionibus a Cyrillo Alex., Basilio aliisque exhibetur.

c) Eandem fidem Ecclesia in *symbolis* et *conciliis* profitetur. In symb. Athan., quod Graeci quoque venerabantur, dicitur: « Spiritus sanctus a Patre et a Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. » Epistola synodica s. Cyrilli Alex., in qua processio Spiritus s. a Patre et Filio credenda proponitur, approbata fuit a Concilio Ephesino, Chalcedonensi et Constnp. II. Eadem fidei professio exprimitur in conc. particulari Toletano (an. 400), et in synodis Toletanis subsequentibus, in conc. Acquisgranensi (an. 789) et in Foroiulensi (791). Tum in conc. Later. IV (an. 1215), tum in conc. Lugdunensi II (an. 1274) consentientibus multis, qui aderant, Graecis, processio a Patre et Filio proposita fuit, et dein in conc. Florentino (1439) maximo Latinorum et Graecorum consensu definita fuit his verbis: « Definimus.... quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio aeternaliter ab uno principio et unica spiratione procedit. »

249. III. Accedit et duplex ratio theologica. *a*) Est axioma, quod habetur in conc. Florentino et apud s. Anselmum, quod « in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. » Atqui Pater et Filius relative non opponuntur in hoc, quod sunt principium Spiritus sancti; ergo huius sunt unum principium.

---

(1) *In ep. synod. ad. Nestor.* suo et totius Ecclesiae aegyptiacae nomine conscripta. — (2) Hom. 3. *in or. dom.*

b) Si Spiritus sanctus non procederet a Filio, non distingueretur a Filio; atqui distinguitur: ergo procedit a Filio. *Major* probatur, quia personae non distinguuntur, nisi relationibus oppositis: ergo ut Filius et Spiritus sanctus distinguantur, debent habere relationes originis oppositas, nempe relationem ejus, qui ab alio, et relationem ejus, a quo alius. Cum ergo Filius non sit a Spiritu sancto, necesse est, Spiritus sanctus sit a Filio. Et confirmatur, quia in Patre sunt duae relationes reales, nempe paternitas et spiratio activa, et tamen quia non opponuntur relative, non constituunt duas personas, sed spectant ad unam personam Patris. Si ergo in Filio et Spiritu sancto non essent duae relationes oppositae, Filius et Spiritus sanctus non essent duae personae distinctae.

250. **Corollarium.** Cum Pater et Filius sint unum principium Spiritus sanctus, non recte *nomine substantivo* dicerentur duo *spiratores*, sicuti neque tres personae, tres Dii; attamen *nomine adiectivo* dici possunt duo spirantes, sicuti tres personae dici possunt tres divini.

251. Scholion i. Cum ex praecepto Domini fidei dogmata, ubi opus est, explicare, illustrare et adversus haereses vindicare opportuna ratione Ecclesia possit ac debeat, jure merito ea additamentum illud *Filioque* symbolo inseruit. Hujusmodi jus exercuit Ecclesia in conc. Nicaen. et Constpn., ubi symbolum Apostolorum pluribus auxit additamentis. Cum vero praesertim inde a Photii temporibus contradictio schismaticorum contra hoc ipsum dogma illius explicitae, quae in Hispania, Gallia et Germania jam fieri coepta erat, professionis necessitatem vel certe opportunitatem adduxisset; facto ipso eam ratam habuerunt et in Romana atque in universa Ecclesia latina adoptarunt et suprema auctoritate sanxerunt romani Pontifices. Quod si Graeci schismatici opponunt decretum III. synodi Ephesinae et IV. Chalcedonensis: « Definivit s. et universalis synodus alteram fidem nulli licere proferre aut conscribere vel componere aut sentire aut alios docere. Eos autem qui audent componere fidem alteram aut proferre aut docere, aut tradere aliud symbolum.... hos, si episcopi fuerint aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, et clericos a clero; si vero monachi aut laici fuerint anathematizari eos; » respondemus, hoc decreto prohiberi, ne altera, i. e., *contraria* fides, non vero ne clarior ejusdem fidei expositio propo-

natur; vel si etiam hoc prohibitum censeatur, id prohibitum esse personis *privatis*, non vero ipsi Ecclesiae, ut patet ex hujus decreti *occasione* (1), ex *poenis* adiectis, quae respiciunt singulares personas; ex *rei natura*, quum Ecclesia sibi adimere jus non possit ad veritatis revelatae tutelam plane necessarium; et ex *factis*, quum Ecclesia hoc jus semper exercuerit.

252. SCHOLION II. Obiiciunt schismatici conc Constnp. I.um in quo definitum est, Spiritum sanctum procedere a Patre, nulla Filii facta mentione.

Resp. Ex Semiarianis orti Macedoniani explicitam et directam impugnationem mysterii ss. Trinitatis ad doctrinam de Spiritu sancto transtulerunt. Horum doctrina ad haec tria capita revocari potest: 1.° Spiritus non est ex Patre, et ideo non est Deus; 2.° Spiritus sanctus est a Filio seu, quod pro eodem habent, est per Filium; 3.° est a Filio per creationem. Primum caput haeretici directe et praecipue intendebant; alterum assumebant veluti clarum ex ipsis Scripturis et ab ipsis catholicis admissum; sed ut congrueret haeresi, sensu detorto intelligebant de processione Spiritus sancti a Filio per creationem. Jam vero in hoc statu quaestionis conc. Constnp. I. (a. 381) duo capita a Pneumatomachis negata, qui est mos Ecclesiae, definivit: processionem videlicet ex Patre et divinitatem Spiritus sancti: « Credimus in Spiritum sanctum, *Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur*, qui locutus est per prophetas. » Definita porro divinitate Spiritus sancti, etiam tertium doctrinae caput, modus nempe processionis a Filio, quam suscipiunt Patres ut verissimam, corrigitur; procedit scilicet (quod utrique admittebant), sed sicut Deum decet, (non per creationem ut haeretici contendebant).

253. SCHOLION III. Patres graeci interdum dicunt, Spiritum sanctum esse a Patre per Filium *(ἐκ τοῦ πατρὸς διὰ τοῦ υἱοῦ)*, et Patrem esse principium *(ἀρχή)* Spiritus sancti, Filium vero causam *(αἰτίαν)*. Ex his probare conati sunt orientales, Spiritum

---

(1) Charisius presbyter symbolum Theodori Mopsuesteni, quo manifestissime haeresim Nestorianam continente fautores Nestorii abutebantur, detulit ad Patres Ephesinos, ut ab iis damnaretur, qui, audita impia dogmatum expositione, illud decretum tulerunt.

sanctum non nisi a Patre procedere, et Filio temporariam tantum ejus missionem posse adscribi.

Resp. In idiomate graeco significatio propositionum *ἐκ* et *διά* est aliquantisper diversa; *ἐκ* significat praesertim causam primitivam, *διά* causam intermediam atque organicam. Quamvis enim dici possit: *ἐκ τοῦ δένδρου καὶ τοῦ κλάδου ὁ καρπός* (ex arbore et ex ramo fructus), atque *ἐκ τοῦ ἡλίου καὶ τῆς ἀκτῖνος τὸ φῶς* (ex sole et ex radio lux); accuratius tamen juxta idiomatis indolem dicitur: *ἐκ τοῦ.... διὰ τοῦ κλάδου* (per ramum) et *ἐκ τοῦ.... διὰ τῆς....* (per radium). Hoc loquendi modo nihil aliud exprimere volunt, nisi Patrem esse fontem primitivum Spiritus sancti, Filium vero sicuti essentiam ita et spirandi vim habere a Patre generatione communicatam, et in ordine trium personarum Filium debere concipi ut secundam, cum qua Pater spirat Spiritum sanctum ex eis ut uno principio procedentem.

Quoad alteram expressionem notandum est, Graecos vocem *ἀρχήν* frequenter sumere sensu stricto pro eo, qui uti fons vim producendi non aliunde, sed per se habet. Ideo Graeci Patrem, qui vim spirandi a se habet, *principium ἀρχήν,* Filium vero, qui virtutem spirandi sibi a Patre communicatam habet, simpliciter causam *αἰτίαν* Spiritus sancti vocant; nec tamen negant, hunc una spiratione ab utroque ut uno principio procedere. Nihil aliud igitur significatur nisi Filium non esse principium sine principio *ἄναρχον,* sed principium de principio, adeoque Patrem et Filium non *duo* esse principia, quae spirent, sed *unum.*

ARTICULUS II.

De discrimine inter generationem et spirationem.

254. Generationem esse Verbi processionem ideoque esse *Filium,* non autem esse *genitum* Spiritum sanctum atque adeo non esse Filium (n. 243) dictum est. Sciscitantibus vero Arianis cur, si ambo ex substantia Patris procedunt, unus tantum sit Filius, respondere Patres solent, satis esse, quod a sacra doceamur Scriptura, Verbum a Patre gigni et ideo vocari Filium, Spiritum vero sanctum a Patre et Filio procedere adeoque utriusque esse Spi-

ritum. Nec esse ulterius inquirendum. Nam « generationis quidem ac processionis esse aliquod discrimen, didicimus; quis autem sit modus discriminis, nequaquam » (1). Quod si vetant hunc scrutari modum, de illa scrutandi praesumptione intelligendi sunt, qua haeretici credere detrectabant, nisi perspexissent, non vero de illa inquisitione, qua ex fide pia ad aliquam pro humano captu intelligentiam conamur; imo vero hanc tum ipsi tum posteriores Doctores suo nobis exemplo commendant (2). Praeeuntibus itaque Patribus praesertim Augustino (*de Trin.* l. 15. c. 27. n. 50) et s. Thomas (1. q. 27. a. 4) Doctoribus statuimus:

255. Prop. 32. **Processio Filii est vera generatio quia per intellectum, processio vero Spiritus sancti non est generatio quia per voluntatem fit.**

Demonstr. i. p. *Filius procedit per intellectum.* — Est *certa.* Indicatur in ipsa Scriptura per nomen *Verbum Patris (ὁ λόγος),* quo tamquam nomine proprio et proprio charactere personali Filius designatur (3). Hujus nominis vim ut assequaris, animo tecum reputes, quid in mente fiat quando aliquid cognoscis. Tunc intelligere vel cognoscere diceris, cum rem cognitam secundum quamdam similitudinem in te expressam habes. Haec autem expressio obiecti cogitati, quae est terminus actus intellectionis, dicitur verbum quia per eam mens rem sibi *dicit* seu repraesentat; si vero mens se ipsam cogitat, exprimitur verbo mens ipsa, et ita terminus expressus idem est cum mente eum exprimente. Productione itaque verbi actus intelligendi completur, et sine verbo mens non intelligit. Appellatione itaque *Verbi* Filio facta continetur doctrina quod Filius procedit per formalem rationem intellectus, *nam locutio Verbi est generatio Filii.* — Ean-

(1) Jo. Damascenus *de fide* l. 1. c. 8, cui multi alii Patres consentiunt.

(2) « Certe cum inconcusse crediderint Scripturis sanctis tamquam veracissimis testibus, agant orando et quaerendo et bene vivendo, ut intelligant, id est, ut quantum videri potest, videatur mente, quod tenetur fide. Quis hoc prohibeat, imo vero ad hoc quis non hortatur? » Aug. *de Trin.* l. 15. c. 27. n. 49.

(3) Idem colligitur ex altero nomine, quo secundum plurimos patres Filius in libris Proverbiorum, Sapientiae et Ecclesiastici vocatur *Sapientia,* quae de se testatur: « Ego ex ore altissimi (i. e. ex intellectu Dei) prodivi primogenita ante omnem creaturam. »

dem doctrinam exponunt et explicant Patres cum Basilio: « Cur Verbum? ut perspicuum sit, processisse ex mente. Cur Verbum? quia sine passione genitum est. Cur Verbum? quia imago est Genitoris, totum in se Genitorem ostendens » (1). Consentiunt Scholastici.

256. DEMONSTR. II. P. *Spiritus sanctus procedit per voluntatem.* — Est pariter *certa.* Sicut Filius nominibus designatur, quibus relatio ad intellectum includitur, ita Spiritus sanctus speciali ratione iis insignitur, quae ad voluntatem referuntur. Dicitur enim imprimis, *Spiritus, Spiritus sanctus.* Quia *Spiritus* est nomen proprium tertiae personae ideoque relativum, Spiritus *(πνεῦμα)* sensu grammatice passivo idem est ac *spiratione productus;* spiratio autem ad intra cum distinctione (virtuali) ab intellectione producente Verbum in natura pure spirituali, quid est nisi dilectio producens amorem ut terminum intrinsecum? Quod magis adhuc determinatur per constans epitheton « sanctus. » Quia nomen est relativum, non sanctitas essentialis communis tribus, sed *processio per modum sanctitatis* quae est propria voluntatis perfectio, sicut sapientia intellectus, declaratur. Dicitur *amor* et *donum.* Sicut enim nos, amando rem aliquam, producimus vitalem propensionem in rem amatam: ita Pater et Filius amando suam essentiam, producunt Spiritum sanctum, qui est quasi vitalis propensio et inclinatio in rem amatam. Hoc tantum interest, quod terminus, qui per intellectum et voluntatem producitur in nobis, sit accidens, in Deo sit ex infinita sua perfectione substantia. — Et haec est patrum et scholasticorum sententia, quae ipsa ratione theologica insinuatur. Cum enim non sit in Deo processio nisi per operationem immanentem, et vitalem, hoc ipso quod filius per intellectum procedit, infertur, Spiritum sanctum per voluntatem procedere. Hac enim duplici operatione intelligendi et volendi omnis spiritualis substantiae vita continetur.

257. DEMONSTR. III. P. *Hinc processio Filii est vera generatio, processio Spiritus sancti non est generatio.* — Generatio communiter definitur: *origo viventis a vivente per principium coniunctum in similitudinem naturae* (2). Dicitur *a) origo viventis a vi-*

---

(1) *Hom.* 16 *in illud: In principio erat Verbum.* — (2) S. Thomas 1. q. 27. a. 2.

vente; in inanimatis enim productio unius per virtutem alterius non est propria generatio, et solum significatione impropria dicitur: ignis generat ignem. *b) Per principium conjunctum,* scilicet per partecipationem vel totalem vel partialem substantiae generantis: nam generans debet communicare genito aliquid, quod sibi sit vel fuerit coniunctum; hinc neque creatio ex nihilo neque productio artefactorum appellatur generatio. *c) In similitudinem naturae,* quae verba important non solum quod genitus sit in se et essentialiter similis generanti, cujusmodi fuit e. g. productio Evae ex Adam, sed quod ex *ipsa vi et propria ratione processionis* existat imago et similitudo producentis.

Jam vero seclusis ex infinita Dei perfectione omnibus, quae hujusmodi processiones viventium ex viventibus in creatis comitantur, imperfectionibus, processio tam secundae quam tertiae personae est quidem *origo viventis a vivente,* cum is, qui habet vitam in semetipso atque ipsa vita est, alteri a se distincto, uterque autem tertio dederit vitam in semetipso habere ipsamque vitam esse: est insuper *a principio coniuncto,* cum contineat communicationem realem totius naturae, et quidem naturae numero ejusdem, ita ut ejus, qui procedit, ab eo, a quo procedit, nulla sit sejunctio, sed tantum distinctio per relationem, ex quo consequitur, esse in *similitudinem* imo in identitatem naturae cum producente; sed discrimen est in eo, quod hanc naturae identitatem in secunda persona modus ipse, quo procedit, postulat, non item in tertia, adeoque processio illius non vero hujus est vera generatio. Et sane secunda persona procedit per intellectionem (n. 255); atqui est de ipsa natura actus intelligendi, ut intelligens intelligendo producat expressam rei intellectae similitudinem; eatenus enim intelligimus aliquid, quatenus illius in mente concipitur imago, quae verbum mentis vocatur. Ergo cum processio Verbi ex propria formalique sua ratione sic habeat, ut is, qui procedit, sit character et imago ejus, a quo procedit, seu sit expressio perfecta sui principii per identitatem naturae, talis processio est vera generatio et terminus est Filius, qui ad excludendam ab hac generatione omnem imperfectionem substantiarumque divisionem in ipsis Scripturis appellatur Verbum. E contra, cum tertia persona procedat per voluntatem, et ex natura sua actus voluntatis sit, non repraesentativus rei amatae,

sed potius motio, impulsus, inclinatio in rem amatam et complacentia in illa adeoque non obiectum sibi sed seipsum potius obiecto assimilet; hinc processio tertiae personae non est generatio, quia ejus cum suo principio similitudo est per essentiae communicationem, non ex vi et modo ipsius processionis (1).

258. Scholion. Cum intelligere sit omnibus personis commune, quî fit ut non communis, sed propria Patris sit productio Verbi?

Resp. In Deo idem sunt esse, intelligere et intellectio intellecta seu Verbum: idem igitur sicuti esse, ita intelligere est tam in intelligente quam in Verbo, et quoad hoc non distinguuntur, sed distinguuntur solum eo quod Verbum ut terminus intellectionis habet necessarium ordinem ad Deum intelligentem, a quo intellectione expressiva procedit. Sub hac ratione tantum relativi ut producentis et producti distinguuntur. Quod sic ulterius potest declarari.

1.° Unicus est actus in Deo, qui est intelligere, et qui est producere; ast diversa est ratio. Ut enim ille actus simpliciter dicit cognitionem rei, dicitur intelligere; ut autem ultra hoc dicit, quod sit elicitus ab aliquo et per ipsum communicetur esse alicui personae, seu quod habet relationem necessariam ad terminum suum immanentem, dicitur producere. Ipse ergo actus cum relatione hac communicationis esse, productio est.

2.° Persona, puta Patris, se intelligens producit eadem intellectione Filium, et in hac intellectione communicat ei suammet essentiam et ipsumet intelligere quo producit Filium; et Filius accipit essentiam et cum hac intellectionem, qua producitur. Sed tamen sic accipit illud idem intelligere, quod non accipit ipsum ut productio est; seu ut est exprimens Verbum; sic enim est in Patre et est ipsamet persona Pater, quia Pater communicat esse Filio per ipsum intelligere; sed accipit ipsum ut intelligere est. Quod est dicere: accipit intelligere sine relatione dantis esse et producentis, quae est relatio propria Patris. Hoc idem est de velle Patris et Filii, quo producunt Spiritum sanctum; quod velle in Patre et Filio producere est, in Spiritu sancto tantum velle. Unde fit, quod idem et unum est velle et intelligere totius

(1) Propterea quod in creatis nulla hujusmodi processio reperitur, ut monet s. Thomas, pro hac tertiae personae productione non habemus nomen speciale, sed potest nominari spiratio, quia est processio Spiritus.

Trinitatis; et cum hoc stat, quod sit in una persona producere, et non in altera.

At, dixerit quispiam, cum verbum sit terminus intrinsecus intellectionis, quî fieri potest, ut intellectio Filii et Spiritus sancti non progignat Verbum? Actio enim completa sine termino suo intrinseco concipi nequit.

Resp. Hae similesque difficultates inde nascuntur, quod quis intellectionem Patris, Filii et Spiritus sancti tamquam triplicem cogitat, dum contra unum est in omnibus intelligere. Hinc eadem est ratio, propter quam Filius non producit Verbum et propter quam Pater non producit aliud Verbum; nam unicum intelligere non habet nisi unicum Verbum. Quum igitur Filius habeat illud idem Patris intelligere, non habet nisi Verbum hujus intelligere: sed jam Pater propter prioritatem originis produxit Verbum: Filius ergo accipiet intelligere cum Verbo, sed non producet, quia jam productum est. Similiter est de amore; unus enim amor unum habet spiratum. Spiritus ergo sanctus accipiens eundem amorem Patris et Filii non producet alium, quia jam talis amor suum habuit terminum in Patre et Filio, quem amantes produxerunt, et amore producto communicarunt.

Ceterum fatendum, in hoc praecipuam mysterii rationem sitam esse, quam numquam, quousque peregrinamur a Domino, perfecte attingemus, sed tantum in aeterna beatitudine facie ad faciem Deum contemplantes, penetrabimus. Unde obsequendum monito Catechismi Romani: « Oret sine intermissione, qui divino beneficio haec credit, ut aliquando in aeterna tabernacula receptus dignus sit, qui videat, quae tanta sit Dei Patris foecunditas, ut se ipsum intuens atque intelligens parem et aequalem sibi Filium gignat: quoque modo duorum idem plane et par caritatis amor, qui Spiritus sanctus est a Patre et Filio procedens, genitorem et genitum aeterno atque indissolubili vinculo inter se connectat, atque ita divinae Trinitatis una sit essentia, et trium personarum perfecta distinctio » (1).

(1) P. 1. c. 2. q. 10.

ARTICULUS III.

De relationibus et notionibus.

259. Quae rei conveniunt per respectum ad alia *relative,* quae vero conveniunt citra respectum ad alia *absolute* dicuntur. Relationis ergo indoles et ratio formalis est *ad aliud se habere,* unde etiam definitur: *ordo unius ad alterum.* Duplicis generis sunt relationes in Deo: aliae ad extra, quibus Deus refertur ad creaturas; aliae sunt ad intra, quibus divinae personae ad sese mutuo referuntur. De his nobis sermo.

260. *Relationes in Deo sunt quatuor.* Duae sunt in Deo processiones (n. 242); atqui singulis processionibus respondent duae relationes: una producentis ad productum, altera producti ad producentem; ergo quatuor sunt relationes. Hae porro sunt: Patris ad Filium, quae *paternitas,* Filii ad Patrem, quae *filiatio,* Patris et Filii, ut unum sunt principium spirans, ad Spiritum sanctum, quae *spiratio activa,* Spiritus sancti ad Patrem et Filium, quae *spiratio passiva* appellatur.

261. *Hujusmodi relationes sunt reales* (1). Pater enim et Filius realiter distinguuntur per paternitatem et filiationem, et similiter spirator et Spiritus sanctus per spirationem activam et processionem: ergo paternitas, filiatio, spiratio activa et processio sunt relationes reales; non enim distinctio realis fieri potest per entia rationis. Praeter has non sunt in Deo aliae relationes reales; relationes enim aequalitatis, identitatis, similitudinis, quae sunt inter personas, sunt relationes rationis tantum, quia ad re-

(1) In relatione consideratur subiectum, terminus (duo extrema), et fundamentum. Quando ordinantur ad invicem duo re distincta et fundamentum relationis reale est, tunc habetur relatio *realis mutua.* Quando vero unum habet realem ordinationem ad alterum, sed hoc alterum non habet inde novum aliquem ordinem, sed solum *concipitur* relativum, quia aliud ad ipsum realiter refertur; relatio est realis in uno tantum, in altero autem dicitur *relatio rationis,* i. e. quae solum a nobis concipitur propter realem ordinem alterius. Sic cognitio in mente creata habet realem ordinem ad rem actu cognitam, sed res cognita solum habet relationem rationis ad cognoscentem; nihil enim in ea ponitur inde, quod est et dicitur actu cognita, sed perinde se habet sive sit, sive non sit cognita.

lationem realem requiritur, ut fundamentum sit reale et realiter distinctum in utroque extremo: at fundamentum identitatis, aequalitatis, similitudinis in divinis personis est essentia divina, quae non distinguitur in utroque extremo, cum in omnibus sit numero eadem: relatio vero ejusdem ad idem non est realis.

Multo magis sunt rationis relationes attributorum ad invicem. Quoad relationem Dei ad creata, haec quidem referuntur ad Deum relatione reali, Deus autem ad creata relatione rationis tantum.

262. *Tres sunt tantum relationes, quae realiter inter se distinguuntur;* nam eae dumtaxat relationes inter se realiter distinguuntur, quae sibi mutuo opponuntur; atqui sibi mutuo opponuntur paternitas, filiatio et spiratio passiva; ergo realiter inter se distinguuntur; neque enim fieri potest, ut qui Pater seu generans est, idem sit sui Filius seu genitus, aut ut spiratus a spirantibus non distinguatur.

Relationes vero, quae sibi non opponuntur, a se invicem realiter non distinguuntur, adeoque spiratio activa non realiter, sed tantum virtualiter a paternitate et filiatione distinguitur. Ratio est, quia inter spirationem activam ex una parte et paternitatem et filiationem ex altera parte, nulla obviat relationis oppositio, quae unice fundatur in reali processione unius ab alio: jam vero « omnia in Deo sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. » Spiratio itaque activa in pleniori conceptu paternitatis et filiationis continetur.

263. *Relationibus, quae inter se realiter distinguuntur, ipsae personae constituuntur,* Pater generatione activa, Filius generatione passiva, et Spiritus sanctus spiratione passiva. Neque tamen hoc ita concipiendum est, ac si sola relatione, e. g. generatione praecisive concepta, quin simul concipiatur essentia, constituatur persona. Sed constituit personam relatio, quatenus ut forma essentiam tamquam subiectam materiam afficit. Persona divina itaque non est *relatio abstracta* sed relativum substantiale, h. e. relativum habens inclusam et secum identificatam infinitam essentiam; seu aliis verbis: persona divina est ipsamet divina essentia sub formali ratione relativi ad intra, sub qua ratione sunt tres inter se distincti; non autem sub formali ratione absoluti, sub qua ratione est una indistincta essentia, natura. Ipsa videlicet

substantialis intellectio non modo est intellectio absoluta, sed habet ex intrinseca sua natura necessarium ordinem ad suum Verbum ut ad terminum aeternaliter et necessario productum; pariter Verbum est ipsa eadem absoluta intellectio substantialis, sed quae sub formali ratione Verbi producti habet intrinsecum necessarium ordinem ad producentem. Idem valet de Spiritu sancto ut intrinseco termino substantialis dilectionis Patris et Filii. Quare entitas relationis, quae in creatis est accidens in subiecto, est ipsa substantia divina, non quidem ut haec formaliter est absoluta, sed formaliter ut ex intrinseca sui perfectione ordinem dicit ad terminum intrinsecum, seu ut formaliter est relativa.

264. *Relationes non distinguuntur realiter ab essentia divina sed virtualiter tantum.* Non distinguuntur realiter, quod definitum est in Conc. Rhemensi contra Gilbertum et a Conc. Later. IV. (n. 113 et 221) Et ratio petitur ex simplicitate Dei et ex eo quod secus haberemus quaternitatem, quod explosum est in Conc. Later.

Distinguuntur virtualiter, quia si talis distinctio obtinet inter attributa divina, multo magis admittenda est inter essentiam et relationes constituentes personas.

265. *Proprietates* in mysterio Trinitatis intelliguntur illae rationes formales, quae uni tantum personae conveniunt, et non sunt communes pluribus. Sic quatuor sunt proprietates: innascibilitas *(ἀγεννησία)*, paternitas, filiatio et spiratio passiva; communis spiratio non est proprietas, quia duabus personis convenit. — *Notio* est character seu formalis ratio, qua nobis innotescit persona ut distincta ab aliis, unde quinque in Trinitate enumerantur a theologis notiones: innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio et processio. Strictiori sensu tum proprietates tum notiones constituentes personas tres sunt.

Unde in Deo una est natura, duae processiones, quatuor relationes reales, tres personales, quatuor proprietates, quinque notiones.

ARTICULUS IV.

De Circuminsessione.

266. Illa, quam Graeci *περιχώρησιν,* latini theologi veteres circumincessionem, recentiores circuminsessionem vocant, definiri

solet: *intima unius personae in altera inexistentia sine personarum confusione.* Hujusmodi circuminsessione quoad rem nihil aliud exprimitur, quam quod Scriptura docet, Filium esse in Patre, et Patrem in Filio, et ex paritate rationis Spiritum sanctum in utroque et utrumque manere in ipso (Jo. 10, 38; 14, 10. 11). Sed mutua haec personarum *περιχώρησις* ac velut immeatio potest ulterius tum ex identitate essentiae, tum ex personarum origine explicari.

267. *a)* Ex unitate essentiae. Quoniam una est trium personarum substantia, cujuslibet substantia in qualibet sit necesse est. Sed plane repugnat, personam divinam non esse in eo, in quo est ejus substantia; siquidem omnis divina persona est sua substantia.

b) Ex personarum origine. Filius ex Patre et Spiritus sanctus ex Patre et Filio operatione immanente procedunt; terminus autem operationis immanentis cum hac ipsa in operante est et permanet. « Sic est Verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium... Sicut de tota mente nascitur verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente non est ejus aliquid, ubi in ea verbum non sit; ideo verbum tantum est, quanta est mens ipsa, de qua est; et cum apud illam est, in illa est » (1). — Relatio, quae tamquam alia ratio circuminsessionis adduci solet, re non differt ab origine, sed tantum secundum mentis considerationem. Videlicet nomen relativum e. g. *Pater* intelligi nequit, quin simul intelligatur alterum correlativum *Filius;* sunt enim ad invicem adeoque inseparabilia.

Praedicatio itaque circuminsessionis nihil est aliud quam compendiosa professio doctrinae hucusque traditae de unitate essentiae et distinctione personarum, et confutatio et exclusio omnium de mysterio Trinitatis haereseon. Tali enim immanentia personarum continetur realis earundem distinctio et refellitur Sabellianismus; simul autem formaliter significatur, has personas, quae ad invicem excluduntur tamquam personae, ad invicem quoque identificari in una numero essentia, adeoque Ariani et tritheitae refelluntur.

---

(1) S. Fulgentius *ad Monim.* l. 3. c. 7. Cf. s. Cyrillum Alex. de *Trin. Dial.* 2. p. 450 et sq.

ARTICULUS IV.

De personarum missione.

268. Missio generatim duo importat: respectum missi ad terminum *a quo* seu ad mittentem, et relationem ad terminum *ad quem;* nam qui mittitur, et ab aliquo mittitur, et ad aliquem locum vel terminum mittitur.

Relatio missi ad mittentem quadruplici modo exsurgit: per consilium, per praeceptum, per preces, per originem. Triplex prior modus importat quandam imperfectionem ejus qui mittitur; restat ergo ut divinae personae ultimo modo mittantur, ut e. g. a flore emittitur flagrantia, a sole splendor, a mente verbum. Hic modus potest esse sine imperfectione, quia nulla imperfectio est habere originem ab alio.

Relatio missi ad terminum est vel per mutationem localem ita ut mittatur ad locum ubi prius non erat, et hoc pacto homines et angeli mitti solent; vel per novum modum essendi et operandi in loco ubi jam erat; quo pacto personae divinae mitti dicuntur.

Missio itaque in divinis definiri potest: *processio unius personae ab altera cum habitudine ad terminum temporalem.* Duos terminos includit, alterum aeternum, alterum in tempore faciendum. Hinc mitti in divinis nihil aliud est, quam unam personam ab alia originem habere, et in mundo visibiliter apparere aut invisibiliter operari.

269. Ex his liquet, cur Pater numquam mittatur. Cum enim ad missionem proprie dictam requiratur, ut missus procedat a mittente, Pater quia a nullo alio procedit, neque mitti potest, Filius mittitur a Patre, sed non a Spiritu sancto, qui mittitur a Filio (1).

Quaeres, quomodo processio, qua persona divina oritur, ratio esse possit, ut novo modo in mundo esse incipiat? Respondent aliqui, quia ipsa origine una cum essentia omnem potestatem volendi

---

(1) Quae apud Isaiam 61, 1 de Messia dicuntur: « Spiritus Domini super me, ad annuntiandum pauperibus misit me, » de Christo secundum humanam naturam intelligenda sunt.

et agendi accipit. Sed hoc per se non sufficit. Neque enim filius regis, quocumque se contulerit, eo missus a patre est, sed ut missus dici possit, necesse est pater ei aliquo modo voluntatem exeundi expresserit. Considerandum igitur est, personas divinas extra se omnia, ut operatione una, sic uno voluntatis consilio peragere. Quamvis vero hic voluntatis consensus non inde sit, quod altera ab altera determinetur; omnes enim idem simul libere volunt; ipsum tamen liberum decretum prius intelligitur in Patre esse quam in Filio, prius in Patre et Filio quam in Spiritu sancto.

270. Quoniam personae divinae ab aeterno in se mutuo insunt, neque ulla in Deo mutatio succedere potest, ut personae alio et alio modo insint: missio divina non fit nisi ad creata. Ratione autem modi, quo perficitur, missio duplex est: *visibilis* et *invisibilis*. Visibilis est, quando vel terminus ad quem fit missio, est aliquid sensibile: sic visibiliter missus est Filius naturam humanam assumendo; vel fit cum aliquo signo sensibili: sic missus fuit Spiritus sanctus in specie columbae super Christum et in specie linguarum ignis super Apostolos. Efficientia signi sensibilis in tali missione est communis tribus personis; significatio vero refertur ad unam distinctam personam specialiter praesentem exhibendam. — Invisibilis est, quando persona divina mittitur ad animas interius sanctificandas per dona gratiae, sine aliquo signo sensibili hujus adventus.

Missio externa semper ad internam ordinatur, atque adeo dici potest manifestatio invisibilis missionis vel praesentis, ut cum Spiritus sanctus missus est ad Apostolos, vel jam factae, ut cum facta est missio visibilis in Christum baptizatum; neque enim necesse est, ut eodem semper tempore sit missio visibilis, quo invisibilis, sed satis est, ut missio visibilis sit signum, vel conferri gratiam de facto, vel jam antea collatam esse. Ita Spiritus sanctus visibiliter missus ad Christum indicabat plenitudinem gratiae, quae data erat Christo in instanti suae conceptionis.

271. **Corollarium.** Ex dictis intelligitur, cur sacramenta etsi signa sint visibilia et efficacia gratiae sanctificantis et consequenter invisibilis missionis Spiritus sancti, non sint tamen missiones. In sacramentis enim res jam extantes ad significandam divinam operationem assumuntur; in missionibus autem res externae, ut columba et ignis, ad divinae personae adventum

tantummodo significandum repente extiterunt, et officio significationis impleto mox esse desierunt. Insuper Sacramentorum efficacia e ministri voluntate et accipientis dispositione pendet: missionis autem signum indubium est argumentum divinae presentiae.

ARTICULUS V.

De appropriatione.

272. Est axioma adhibitum a conc. Florentino et in scholis receptum, quod « in Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. » Hinc sicuti essentia, ita attributa absoluta et essentialia, et quae naturam consequuntur operationes omnes ad extra, communia sunt toti Trinitati, eique omnes effectus attribuendi. Nihilominus attributa quaedam absoluta et quaedam opera externa certis personis adscribi solent. Atque haec est *appropriatio*, quae definiri potest: *ille loquendi modus in re fundamentum habens, quo certae operationes vel proprietates ad divinam naturam spectantes uni personae prae aliis tribuuntur.*

273. Fundamentum vero seu lex appropriationis est analogia et affinitas attributi essentialis et operationis, quae appropriatur, cum charactere hypostatico proprio illius tantum personae, cui appropriatur. Hinc appropriatione talium attributorum et operationum deducimur in intellectum quemdam characteris personalis: qui est finis appropriationis.

274. Quoniam Pater est fons et principium divinitatis, Filius generatur per intellectum, Spiritus sanctus ab utroque uno principio procedit per amorem; hinc ad designandos hos characteres personales frequentissima eaque aptissima est appropriatio, qua Pater vocatur Deus vivificans omnia, rex regnantium et dominus dominantium, ipsique tribuuntur operationes miraculorum, omnipotentia, aeternitas et creatio; Filio tribuitur sapientia, rerum dispositio, species atque pulchritudo, quia Patris est splendor atque imago; Spiritui sancto bonitas, charitas et generatim charismata sanctificantia. Paucis: ad praedicandum clariusque determinandum characterem, quo una persona ab alia distinguitur, solemnis est cum in Scripturis tum in Patribus

appropriatio: *potentiae* Patri, *sapientiae* Filio, *bonitatis* Spiritui sancto (1).

275. Scholion. Solent Patres nonnullas afferre ad illustrandum ss. Trinitatis mysterium analogias ex rebus creatis desumptas. In his attendendum est, ne similitudines ad declarandum dogma assumptae ultra earum scopum urgeantur, atque ita, ubi e. g. solum origo unius ab altero et realis distinctio declaratur, non etiam modus sive originis sive distinctionis a creatis ad divina transferatur. — Generatim quodnam ss. Trinitatis vestigium in omni creatura agnoscunt, quatenus *est*, et se *manifestat*, et inter esse et manifestationes ejus est *harmonia*. Aliquam similitudinem desumunt: ex acqua secundum triplicem modum existendi in scaturigine, fonte, fluvio; ex natura arboris, quae una est in radice, trunco, ramorum corona; in lumine, quod unum est in sole, radio, splendore ex ambobus emicante, seu in igne, splendore et calore; ex coniunctione colorum, qui admirabiliter distincti coniunctique videntur in iride. Magis propinqua est comparatio, quam instituunt cum anima humana, quae una quum sit et simplex, tres tamen habet facultates, memoriam intellectum et voluntatem; omnium longe aptissima et frequentissima est ea, quam desumunt ex eadem anima humana, quatenus in ea est mens intelligens, ejus verbum et amor procedens.

CAPUT III.

De rationis relatione ad mysterium Trinitatis.

ARTICULUS I.

De superrationalitate ss. Trinitatis.

276. Claudianus Mamertus, Ecclesiae Viennensis saec. V. presbyter, et, ut videtur, saec. XIII. Raimundus Lullus, conten-

(1) Haec non excludit alias appropriationes, quae hinc inde fieri solent juxta diversum respectum, sub quo attributa et operationes considerari possunt.

derunt ss. Trinitatem, citra ullum fidei auxilium, sola ratione demonstrari posse. Petrus vero Abelardus et forte etiam Richardus Victorinus et Henricus Gandavensis medio aevo, nostro vero saeculo Marcus Mastrofini et Antonius Günther (1) docuerunt, eandem, postquam revelatione nobis innotuit, stricte etiam ratione demonstrari posse. Contra hos statuimus:

277. Prop. 33. **Trinitas, quam credimus, scilicet Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse personas distinctas in una Dei substantia, est stricte et proprie dictum mysterium.**

Declar. Mysterium sumitur 1.° *late* pro veritate, quae revelatione tantum innotescere potest, quin tamen, supposita revelatione, captum rationis excedat, ut creatio et lapsus Angelorum; 2.° *stricte et proprie* pro ea veritate, cujus neque *a)* existentiam *(an sit)* lumine rationis, neque *b)* intrinsecum inter subiectum et praedicatum nexum *(quomodo sit)*, etiam facta revelatione, cognoscere possumus. Hoc altero sensu dicimus ss. Trinitatem esse mysterium.

278. Demonstr. I. *a)* (1. Cor. 2, 6 - 12): *Sapientiam autem loquimur inter perfectos* (doctrinam), *sapientiam vero non hujus saeculi, neque principum hujus saeculi* (quam neque sapientiores hujus saeculi possident), *qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram. Quam nemo principum hujus saeculi cognovit... Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei... Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Haec *profunda Dei*, quorum cognitio, eo quod vim intelligendi humanam superet, soli Dei Spiritui est naturalis, quaeque proinde suapte natura omnibus, etiam sapientioribus, abscondita sunt, non sunt tantum consilia redemptionis et sanctificationis, sed in intima radice horum et quidem primo loco ipsae relationes internae Pater, Filius et Spiritus sanctus.

b) (Matth. 11, 27): *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare,* et (Jo.

---

(1) Cf. etiam prop. 25 Rosmini inter 40 damnatas.

1, 18): *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Verbis *Nemo nisi Filius* et *Unigenitus solum enarravit* adscribitur *soli* Filio talis cognitio *naturalis* et ab ea excluditur nedum humana sed omnis creata natura.

279. II. S. Fulgentius: « Trinitas sacrosancta sic excedit omne, quod cogitare vel sapere possumus, sicut superat omne, quod sumus » (1), et Hieronymus: « De mysterio Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiae » (2), quibus concinunt alii Patres praesertim adversus Arianos et Eunomianos disputantes, nec non scholastici omnes. — Conc. vero Vatic. sess. III. can. 1. definivit: « Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s. » Inter haec recensendam esse ss. Trinitatem patet ex eo quod ad probandum dari proprie mysteria, provocat (cp. 4) ad ea testimonia Scripturae, in quibus de Trinitate sermo est.

280. III. Omnis naturalis cognitio, qua Deum in hac vita cognoscimus, oritur ex cognitione creaturarum et effectum divinorum: at creaturae non manant a Deo, quatenus est trinus in personis, sed quatenus est unus in essentia, quia manant a potentia Dei, quae est attributum essentiale et commune toti Trinitati; ergo ex creaturis non possumus cognoscere Trinitatem personarum sed solum unitatem Deitatis.

281. **Corollarium** 1. Hinc in omnibus tentaminibus demonstrandi rationaliter hoc mysterium, alterutrum necessario sequitur: vel retento ex revelatione ejus genuino conceptu, demonstratio, quae jactatur mere rationalis, nulla erit; vel tum conceptus tum demonstratio constituitur ex solis rationis principiis, et tunc ipsa Trinitatis notio, ut a Deo est revelata, pervertitur, quae perversio genuini sensus est semper in directa ratione cum abstractione a positiva revelatione.

282. **Corollarium** 2. « Qui probare nititur, inquit s. Thomas (3), Trinitatem personarum naturali ratione, fidei dupliciter derogat. Primo quidem, quantum ad dignitatem fidei, quae est, ut sit de rebus invisibilibus, quae rationem humanam excedunt, unde

---

(1) *Ad Trasim.* l. 2. c. 1. — (2) *In Isaiam Proem.* ad l. 18. — (3) 1. q. 32. a. 1.

Apostolus dicit quod *fides est de non apparentibus* (Heb. 11, 1), et: *Sapientiam loquimur* etc. — Secundo quantum ad utilitatem trahendo alios ad fidem. Cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quae non sunt cogentes, cadit in irrisionem infidelium. Credunt enim, quod hujusmodi rationibus innitamur et propter ea credamus. »

283. **Corollarium.** 3. Superrationalitate mysterii non quaelibet prohibetur inquisitio, nam « ratio, fide illustrata, cum sedulo et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter agnoscit, analogia, tum mysteriorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo » Conc. Vatic. (cp. 4). De hoc distinctiori analogo nostro conceptu hujus mysterii, cp. II egimus.

284. *Obiiciunt* Güntheriani: *Conscientiâ sui* (cogitatione proprii Ego) constituitur personalitas; ex modo quo mens, quae est imago Dei, sui fit conscia, personalitatem divinam licet intelligere. Intellectio autem sui hoc processu oritur: primo spiritus semetipsum facit obiectum intellectionis ideoque sibi intelligenti opponit se intelligendum et se intelligentem discernit a se intellecto; tum vero affirmat identitatem inter se intelligentem et se intellectum (ego sum ego), qua affirmatione absolvitur conscientia sui. In homine quidem solum subiectum est persona, duo reliqua autem sunt manifestationes tantum accidentales sui ipsius. In Deo autem cum nullum sit accidens et imperfectio, sed quidquid est, ejus substantia sit, eo tantum se ipsum in sua essentia reddere obiectum immediatae intuitionis potest, quod se in se ipso ut substantiam realem opponit, h. e. iterum ponit, seu per emanationem duplicat. In conscientia sui igitur spiritus absoluti primo habetur discretio realis inter se intelligentem et se intellectum, qua existunt prima et secunda persona. Deinde in eadem habetur affirmatio, qua subiectum et obiectum affirmant et exhibent suam aequalitatem, quae affirmatio procedens a subiecto et obiecto est tertia persona.

Resp. Missis aliis multis, haec tantum animadvertimus. 1.° Falsum est ex modo, quo homo sui ipsius fit conscius nos pervenire posse ad cognitionem divinarum processionum. In mente enim creata cognitam habemus processionem verbi et amoris; sed hanc inde esse videmus, quod actus intelligendi et amandi a substantia mentis ut accidentia differunt. Divina autem simpli-

citas omne etiam accidens excludit, ita ut potentia intelligendi intellectum et intellectio in Deo sint penitus idem, ipsa scilicet divina substantia. Quapropter ratio sibi relicta ex iis quae de rebus creatis novit, judicabit, nullam esse in deitate veram processionem. Processio enim, qua nec accidens nec nova substantia producitur, sed eadem numero substantia procedenti personae communicatur, i. e. processio, quam fide novimus, mentem fidei lumine carentem non magis subire potest, quam trina subsistentia in una substantia. — 2.° Falsum est intellectione sui constitui personalitatem. Nam persona dicit perfectionem in ordine et in ipsa ratione substantiae, adeoque personalitas in ordine substantiae imo in perfecta ratione substantiae contineri debet. Atqui conscientia sui et ceterae vitae intellectualis explicationes non continentur in ordine substantiae, quum actus sint potentiarum subiectivarum, seu quum accidentia sint eaque, si de hominibus agatur, separabilia. Non potest igitur conscientia sui haberi formalis ratio personae. — 3.° Falsum est in conscientia sui Dei haberi discretionem realem inter se intelligentem et se intellectum. Nam divinum Esse necessario est divinum Intelligere et substantialis intellectio sui omniumque intelligibilium, ideoque per se, nullo autem modo per aliud est conscientia sui. Quod vero de emanatione substantiae divinae dicitur, id plane repugnare manifestum est. — 4.° Denique apertissimus hac sententia inducitur Tritheismus. Qui enim personam divinam, quatenus formaliter sunt personae distinctae, non ut relativum sed ut absolutum, concipit, admittendo tres distinctas personas, admittit tria « principia absoluta. » Hinc docent « unitatem divinae naturae nullatenus intelligendam esse sensu numerico *reali*, sed tantummodo sensu formali, h. e. tamquam *trium principiorum realium absolutam relationem ad invicem.* » Haec igitur unitas formalis in eo consistit, quod per formam personalitatis h. e. per sui conscientiam singulae personae ad invicem referuntur; per hanc enim mutuam relationem « ex tribus sui conscientiis tamquam singulis momentis componitur una absoluta conscientia sui. (1) »

---

(1) Merito igitur Pius IX in litteris *ad Arch. Coloniensem* (15 Junii 1857) declaravit: « Novimus in iisdem libris (Güntherianis) non pauca legi, quae a catholica fide sinceraque explicatione de unitate divinae substantiae in tribus distinctis sempiternisque personis non minimum aberrant. »

— Propter eandem rationem ex illo principio in doctrina Incarnationis aut Nestorianismus aut Eutychianismus sequitur.

285. *Inst.:* Nonne et Patres ratione conantur probare Trinitatem?

Resp. Patres, nominatim Augustinus Anselmus, et Bonaventura, qui prae ceteris analogiae spiritus humani insistere videntur, diserte postulant fidem praecedentem ut ad aliquem intellectum perveniatur eorum, quae credimus, quae intellectio et demonstratio *theologica* est progrediens ex principiis fidei, non autem philosophica ex principiis ratione perspectis. « Ad aliquam rem, inquit S. Thomas, dupliciter inducitur ratio; uno modo ad probandam sufficienter radicem..... alio modo inducitur ratio, non quae sufficienter probet radicem, sed quae radici jam positae ostendat congruere consequentes effectus. Primo ergo modo potest induci ratio ad probandum Deum esse unum et similia; sed secundo modo se habet ratio, quae inducitur ad manifestationem Trinitatis, quia scilicet Trinitate posita congruunt hujusmodi rationes, non tamen ita quod per has rationes sufficienter probetur Trinitas personarum.... Et inde est, quod.... per fidem venitur ad cognitionem, et non e converso » (1).

ARTICULUS II.

De non repugnantia hujus mysterii.

286. Prop. 34. **Mysterium ss. Trinitatis, quod est supra rationem, non tamen potest convinci esse contra rationem.**

Declar. Aliud est positive demonstrare non repugnantiam, et aliud est ostendere negative non posse demonstrari repugnantiam: illud in mysteriis stricte dictis fieri numquam potest, quia intrinseca perspici deberet veritas; hoc semper praestari potest, quia

---

(1) 1. q. 32. a. 1. — Species illa Trinitatis, quae ex Platone, Zoroastro obiicitur, in primis toto coelo differt a vero Trinitatis conceptu, et secundo ex revelatione repetenda est. — Neoplatonicos hausisse ex Scriptura suam de Trinitate doctrinam, et tum Poemander Mercurii Trimegisti tum octo libros sybillinos esse foetus hominis christiani saec. II, constat inter eruditos.

sufficit ostendisse rationes, quae tamquam repugnantiam demonstrantes opponuntur, vel non esse veritates evidentes vel non evidenter repugnare vero mysterii sensui. Hoc alterum in thesi intendimus.

287. DEMONSTR. 1.° *Indirecte.* Veritati revelatae, utpote fide infallibili certae, veritas rationalis repugnare nequit; secus idem esset simul verum et falsum. Unde impossibile est, ut ratio intelligat quidpiam tamquam veritatem evidentem et evidenter oppositam revelationi in suo genuino sensu intellectae; secus ratio intelligeret ut veritatem evidentem id quod est falsum, adeoque ipsum lumen rationis factae ad veritatem ex natura sua inclinaret, et proinde Deus ipse auctor rationis induceret ad judicandum verum quod est falsum.

288. 2.° *Directe,* et *a)* quidem ostendendo positive impossibilitatem demonstandi talem repugnantiam. Cum enim intrinsecam essentiae et hypostaseos finitae rationem haud penitus intelligamus, evidens repugnantia unitatis naturae in distinctis personis numquam ostendi poterit. At, etiamsi quis illam intellectionem et consequentem contradictionis cognitionem sibi vindicaret, adhuc propter eminentiam divini Esse super rationem entis creati non posset esse evidens, talem communicationem naturae infinitae, ut sint plures inter se distincti unius numero essentiae, evidenter repugnare in divinis, quia repugnaret in finitis. — *b)* Ostendendo negative argumentis, quae afferuntur, vim demonstrandi deesse. Non omnia sed praecipua, quae semper recoquunt rationalistae, recensebimus.

289. *Obi.* 1. Repugnat unum esse tria. — *Resp. Dist.* Unum sub ea ratione sub qua est unum, repugnat esse tria, *conc.;* quod sub aliqua ratione est unum, repugnat ut sub *alia* sint plura inter se distincta, *neg.* Ideo una essentia divina, unus Deus non est tres essentiae et non tres Dii; et vicissim tres personae non sunt una persona, et una persona non est tres personae.

Obi. 2. Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se: atqui personae divinae sunt idem realiter cum essentia divina; ergo sunt idem realiter inter se; seu Pater est Deus, Filius est Deus; ergo Pater est Filius.

Resp. Dist. maj. Quae sunt eadem uni tertio sub omni respectu, sunt eadem inter se, *conc.;* quae sub aliquo respectu sunt

idem et sub aliquo distinguuntur, ea sunt idem inter se, *neg.* Essentia divina in se est communicabilis tribus divinis personis, quatenus vero est his tribus identificata est jam incommunicabilis. Unde divinae personae quoad id in quo conveniunt cum communi essentia, conveniunt etiam inter se ideoque omnes sunt Deus; quoad id vero in quo non conveniunt, quoad modum nempe subsistendi, neque inter se conveniunt, sed distinguuntur. Est videlicet vel in naturis finitis aliquod discrimen inter rationem essentiae et hypostaseos, quod liquet vel ex hoc exemplo: Petrus est homo, Paulus est homo; ergo Petrus est Paulus. Formulae vero mathematicae huc non pertinent, quia quantitates abstractae unam tantum et non aliam atque aliam habent rationem. — Item, Pater est Deus cum sua personalitate propria, *conc.;* sine personalitate propria ita ut confudatur cum Filio, *neg.* Ex eo quod duo conveniunt cum uno tertio in aliqua ratione, quod debeant sub *omni* ratione convenire, seu sub nulla possint distingui, hoc evidenter numquam probari poterit.

Obi. 3. Persona est substantia intellectiva singularis; ergo sicut in Deo sunt tres personae, ita tres substantiae.

Resp. Persona est substantia ultimo completa et sui iuris seu subsistens, *conc.;* est substantia simpliciter et directe, *neg. Dist. conseq.* Sunt tres substantiae relativae, *conc.;* tres substantiae absolutae seu deitatis, *neg.* Substantia in Deo est communicabilis tribus distinctis, ideoque non est persona; in personis est incommunicabilis et subsistens. Ergo non multiplicatur substantia prout est substantia, sed tantum secundum modum subsistendi, ita ut eadem substantia diversis modis subsistat.

Obi. 4. De Deo praedicantur contradictoria, quod sit v. g. genitus et ingenitus. — *Resp.* Ratione suppositorum, *conc.;* ratione deitatis, *neg.* Contradictio est affirmatio et negatio eiusdem de eodem secundum idem. Quare in uno et eodem qui simul est plures personae realiter distinctae, possunt esse praedicata contradictoria sine contradictione.

Obi. 5. Pluralitas personarum induceret compositionem. — *Resp. Nego.* Ut enim sit compositio, requiritur, ut plura in unum coalescant. Jam vero tres personae non efficiunt unam essentiam, sed *sunt* ipsa essentia adeoque Deus non est compositus ex essentia et personis; prout vero inter se realiter distinguuntur,

sub hoc respectu non uniuntur in unam personam, sed sunt tres realiter distincti.

Obi. 6. Si tres personae realiter distinguuntur, necessario aliqua perfectio est in una quae non est in alia, et proinde tres personae essent quid perfectius quam singulae.

Resp. Dist. Aliqua perfectio *absoluta* est in una, quae non est in altera, *neg.: relativa, subdist.* quae non est in altera *formaliter, conc.,* per circuminsessionem, *neg.* Ergo tres personae essent quid perfectius quam singulae, *neg.*

Inst.: Pater non habet perfectionem relativam, quae est proprietas Filii etc. Ergo. — *Resp.* Pater non est illa summa res quae identice est Pater, Filius et Spiritus sanctus, *neg.;* Pater non habet illam rem sub formali ratione filiationis, *subdist.* non habet illa tamquam constituentem ipsum Patrem, *conc.;* non habet illam ut convenit Patri, i. e. ut suum Verbum tamquam terminum necessarium suae vitalis intellectionis, *neg.*

TRACTATUS III.

DE DEO CREATORE.

290. Exposita doctrina de Deo *in se* spectato, agendum nobis est de Deo ad mundum relato, seu de *operationibus divinis ad extra;* et primo quidem de illa, quae omnium est initium et fundamentum, scilicet de *creatione*. In qua spectari possunt: *actus* et *terminus,* seu *creatio* et *creatura*. Porro creatura triplex est: mundus materialis, mundus spiritualis (Angeli), et synthesis utriusque (homo). Quare, cum de mundo materiali expresse theologia non agat et quae de eo revelata sunt, in tractatione de operatione divina creationis attingantur, commode universum tractatum in tres sectiones partimur, quarum 1.ª erit de rerum creatione generatim, 2.ª de homine. 3.ª de Angelis.

Sectio I.

DE RERUM CREATIONE GENERATIM.

291. « Quoniam principium perfectissimum, a quo manat perfectio universorum, necesse est agere *a se* et *secundum se* et *propter se;* et quia nullo in agendo indiget extra se, necesse est, quod habeat intentionem triplicis causae respectu cujuslibet creaturae, scil. *efficientis, exemplaris* et *finalis* » (1). De his totidem articulis agemus, quibus et alium appendicis instar de historia creationis a Moyse relata subnectemus.

---

(1) S. Bonaventura *breviloq.* p. 2. c. 1.

ARTICULUS I.

De creationis causa efficienti.

292. Errores circa *mundi originem* praecipui sunt: 1.° Materialismus, statuens materiam esse improductam et aeternam. Hoc errore plus minusve infecti fuerunt Aristoteles et Peripatetici, Epicurei, Platonici, inter haereticos Hermogenes Stoicus, et recentiores fere omnes increduli. – 2.° Pantheismus, statuens mundum esse emanationem vel manifestationem vel evolutionem divinae substantiae, cui errori fuerunt addicti Indorum brahmani, Persarum et Aegyptiorum sapientes, Stoici et Pythagorici, aevo autem christiano Scotus Erigena et Jordanus Bruno, et recentiores pseudo-philosophi, qui materialis mum cum pantheismo coniungere solent. – 3.° Gnosticismus, statuens mundum fuisse factum ab Aeonibus; quo nomine genitos a Deo Angelos intellexisse videntur. – 4.° Dualismus Manichaeorum statuens mundum fuisse a duobus principiis conditum.

293. Doctrinam catholicam contra hos errores post Conc. Later. IV. (C. 1. *Firmiter*) proposuit Vatic. (sess. III. cp. I.): « Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam. »

294. Prop. 35. **Deus initio temporis rerum universitatem de nihilo condidit seu creavit.**

Declar. Verbum *creare* sumitur 1.° pro quacumque rei effectione; 2.° pro destinatione ad eximium aliquod officium, unde consules, Episcopi creari dicuntur, quo sensu (Eph. 11, 10) cristiani dicuntur *creati in Christo Jesu, in bonis operibus;* 3.° magis proprie pro effectione, ex nulla praeiacente materia.

Hac pressiori significatione *creatio* definiri communiter solet: *productio rei ex nihilo.* Nihilum porro dicitur tum *sui* tum *su-*

biecti. Ex nihilo *sui* fit quidquid non modo creatur sed quacumque ratione producitur etiam ex praeexistente materia. Quod enim jam est, non fit; quod vero fit, secundum eam rationem qua fit, antea non erat. Sic si generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, album ex non albo; unde hoc sensu solum res *tota,* prout est effectionis terminus, antea non fuit. Nihilum *subiecti* vero importat negationem praeexistentiae non solum rei quae fit, sed cujuscumque materiae, ex qua fiat quidquid producitur. Jam vero quando creatio dicitur *productio rei ex nihilo,* intelligitur ex nihilo sui et subiecti ita ut hujus actionis terminus sit simpliciter *ens* seu *substantia.* Hinc creatio definiri etiam potest: *productio entis in quantum ens,* sive: *productio totius esse,* sive cum s. Thoma: *productio alicujus rei secundum suam totam substantiam, nullo praesupposito* (1).

Ex his patet, praepositionem *ex,* cum ex nihilo aliquid fieri dicimus, non significare *ex nulla causa efficiente,* hoc enim idem esset ac affirmare dari effectum sine causa; neque significare nihilum esse causam *materialem,* ex quo aliquid fit, ut cum dicitur: ex ferro fit gladius; sed importare tantum ordinem successionis inter terminum priorem et posteriorem, sicut cum dicitur: ex mane fit meridies, i. e. post mane fit meridies; quo sensu *nihil* concipitur a nobis ut terminus *a quo* productionis rei (2).

295. Demonstr. I. *a)* Classicus in hanc rem textus habetur in Genesis 1, 1: *In principio creavit* (3) *Deus coelum et terram. Terra autem erat inanis etc.* Hisce verbis dogma catholicum de creatione enuntiari, multiplici conficitur ratione. *a)* Moysis scopus eo spectabat, ut Judaei fundamentali, a quo ordo moralis et religiosus potissimum dependeret, dogmate imbuerentur, unum scilicet esse Deum eumque rerum omnium auctorem, atque ita gentium, quarum societate contingebantur Judaei, falsa et praepostera cosmogonia et existentes inde absonae de Deo opiniones convellerentur. Hujusmodi vero consilium ab eo flagitabat, ut non

---

(1) 1. q. 65 a. 3. — (2) Ib. q. 45. a. 1.

(3) Verbum *bara* in formis *Kal* et *Niphal* occurrit quadragies septies, et in utraque forma de solo Deo adhibetur. Numquam autem, cum adhibetur, mentio fit materiae, ex qua, vel instrumenti, per quod opus perfectum sit; jure igitur affirmari potest, usu biblico a *bara* designari operationem aliquam, quae vim creatam excedat, sitque Deo soli propria.

omitteret principalem partem operis, quae omissa, alius aliudque censeretur operans operatio et opus, ac esset, si illa adfuisset: porro omittitur materia praejacens ab inspirato Geneseos auctore; ea igitur a prima operatione excluditur (1). — *β)* Confirmatur iis, quae versum primum sequuntur. Dum enim ulterior expolitio terrae narratur, quam *creationem secundam* appellare solent, commemoratur materia, si agitur de opere, quod ex praejacente materia extitit, ut e. g.: « produxit Deus de *humo* omne lignum pulchrum visu, » et « *formavit hominem de limo terrae* etc. » Nulla vero materiae alicujus mentio fit, ubi prima rerum origo describitur. Ergo nulla erat sed et ipsa in prima creatione producta est ex nihilo. — *γ)* Termino *coelum* et *terra* Scriptura *universitatem rerum* semper designat; atqui ipsa universitas rerum simpliciter velut terminus effectionis divinae assignari non potest, nisi ex nihilo Deum omnia fecisse cogites: ergo. — *δ) Principium,* de quo v. 1. sermo est, non potest aliud intelligi, quam *principium rerum* vel *temporis.* Jam vero ante principium rerum res nullae sunt, ante principium temporis, nulla pariter res existit, cum tempus successione rerum constituatur; ergo res nullae productionem divinam praevertebant: divina igitur productio non erat ex praejacente aliqua re, ideoque erat ex nihilo. — *ε)* V. 2. primi capitis Gen. certe nobis exhibetur prima illa materia informis et rudis, quam philosophi gentiles et hodierni increduli supponunt aeternam, ex qua paulatim progressu temporis mundus hic formatus est, quaeque fuisset ultimum subiectum, ex quo sex diebus Deus fecisset mundum. Atqui primitiva illa materia informis dicitur v. 1. et ipsa a Deo creata; ergo. — *ζ)* Accedit constans fides Hebraeorum de rerum productione ex nihilo, quae persuasio originem suam duxit ex 1. Gen., cujus fidei testimonium exhibet mater illa fortissima (II. Mach. 7, 28) verbis, quibus filium natu minimum ad martyrium adhortatur:

---

(1) Hoc idem praeclare urget *contra Hermogenem* Tertullianus n. 20: « Cum in omni operatione tria sint principalia, qui facit, quod facit, et ex quo facit, tria nomina sunt edenda in legitima operis narratione, persona factoris, species facti, forma materiae. Si materia non editur, ubi et opera et operator eduntur, apparet ex nihilo eum operatum. Proinde enim ederetur ex quo, si ex aliquo fuisset operatus.... Et non profitendo satis probavit non fuisse, quia profiteretur si fuisset. »

« *Peto nate, ut adspicias ad coelum et terram et ad omnia quae in eis sunt, et intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus.* » Haec porro verba referens hagiographus tacite approbat. Sicut Judaei, ita et universum nomen christianum hunc locum intellexit.

b) Deus exhibetur auctor omnium omnino quae existunt. *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil* (Jo. 1, 3) et v. 10: *Mundus per ipsum factus est.* (Coloss. 1, 16): *In ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt.* Ergo et prima materia, ex qua mundus constat, a Deo facta est; si enim praeextitisset independenter a Deo, non *omnia* Deus produxisset.

c) Deus dicitur *fons omnium rerum* (Rom. 11, 36), *primus* (Apoc. 1, 8), *absolute independens* (Is. 44, 24), ab ipso autem *omnia dependere* (Judith 16, 7). Atqui haec omnia falsa essent si materia esset infecta, quia eo ipso esset a se, aeterna, independens etc. Ad rem Tertullianus contra *Hermog.* c. 1.: « Totum quod est Deus, aufert, nolens illum ex nihilo cuncta fecisse » (1).

296. II. Patres *a)* reprehendunt gentiles, quod, etiamsi Deum admiserint rerum opificem, praeter eum tamen statuerint aliud rerum principium, scilicet materiam, quam Deo ad aliquid moliendum prorsus necessariam esse affirmabant. Ita Justinus arguit Platonem, quod Deum opificem, non vero Creatorem appellet « quum inter utrumque plurimum sit, ipsius Platonis judicio, discriminis. Creator enim nulla alia re indigens sua virtute et potestate id, quod fit, efficit; opifex vero accepta ex materia condendi facultate opus suum construit » (2); eodem sensu loquuntur Theophilus Antiochenus, Chrysostomus, Basilius aliique. — *b)* Haereticis accensent illos, qui materiam Deo subiiciebant, ex qua mundum conderet: ita Tertullianus Hermo-

(1) Huic simile argumentum ex tribus Dei nominibus deductum videsis penes Stentrup th. 35. — Verba quae Sap. 11, 18 leguntur: *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa (ἐξ ἀμόρφου ὕλης) immittere illis* (Aegyptiis)... *audaces leones* etc.: intelliguntur de creatione *secunda*, de qua loquitur ipse Moyses, quin tamen excludatur prima, quae continetur 1, 1 Geneseos.

(2) *Cohortat. ad Graecos* n. 22.

genem, Irenaeus Gnosticos, Augustinus Manichaeos, Chrysostomus Marcionitas et Valentinianos. — *c)* Creationem ex nihilo tamquam fidei dogma diserte proponunt. Hermas: « Primum omnium credas, quod unus est Deus, qui omnia creavit et consummavit, et *ex nihilo* omnia fecit» (1); Origenes: «Species eorum quae per traditionem *manifeste* traduntur, istae sunt: Primo quod unus est Deus, qui omnia creavit atque composuit, quique, cum nihil esset, esse fecit universa » (2); Tertullianus impium de materia infecta dogma integro adversus Hermogenem libro refutat; Athanasius docet « res non esse fortuito factas, nec ex praejacente materia, sed Deum ex non entibus fecisse omnia » (3); idem tradunt Irenaeus, Basilius, Nyssenus, Ambrosius. — Conc. Vatican. praeter ea quae (n. 292) adduximus can. 5. habet: « Si quis non confiteatur mundum, resque omnes, quae in eo continentur, secundum *totam* suam substantiam a Deo *ex nihilo esse productas*..... a. s.; » et can. 3: « Si quis dixerit unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel *essentiam,* a. s. » (4).

297. III. *a)* Aut admittendus est Atheismus, aut Pantheismus, aut Dualismus, aut creatio; atqui prior, alter et tertius repugnat: ergo creatio est admittenda. — *b)* Omnibus, in quibus rationi entis admixta invenitur aliqua ratio non-entis, per essentiam non convenit *τό esse,* sed tantum *τό posse esse;* atqui in omnibus, quibus aliqua potentia passiva propria est, occurrit permixta cum ratione entis aliqua ratio non-entis: ergo omnibus, in quibus reperitur aliqua potentia passiva, per essentiam non *τό esse* sed tantum *τό posse esse* convenit; quae vero comparata sic sunt, ut per essentiam suam tantum *posse esse* habeant, iis *τό esse* competit post *τό non-esse;* jam vero *esse* post *non-esse* est *esse crea-*

---

(1) *Pastor* l. 2. *mand.* 1. — (2) *Periarch.* l. 1. n. 4. — (3) *Or. de Incar. Verbi* n. 2.

(4) Notione creationis superius tradita et hac concilii doctrina refelluntur 19 priores propositiones A. Rosmini quarum summa haec est: *esse initiale,* quod non est Deus, sed aliquid *divinum,* quia a Verbo *non realiter* sed *secundum rationem* distinguitur, tamquam elementum *formale* ingreditur constitutionem et quidditatem creaturarum, quae proinde duplici constant elemento: altero positivo (esse initiali), altero negativo (limite quo esse illud in creatura coarctatur). Porro in creatione elementum positivum non producitur sed *ponitur,* unde creatura non fit simpliciter ex nihilo, sed ex limitibus *communis subiecti praesuppositi,* quod est esse initiale.

tum. Quum igitur omnibus, quae praeter et extra Deum sunt, potentia quaedam passiva insit, omnia praeter Deum per creationem presse proprieque dictam sunt. Quare maxima est repugnantia in notione materiae infectae et improductae; nulli enim rei propria adeo est potentia passiva, quam materiae, ac proinde ipsa vel maxime opus habet, ut producatur.

298. **Corollarium.** Deus mundum creavit in tempore seu cum tempore. *Clarifica me tu Pater, claritate quam habui, priusquam mundus fieret, apud te* (Io. 17, 5). Ergo mundus non semper fuit, sed est in tempore creatus. Tempus vero duplex est: *reale* et *possibile.* Tempus reale consistit in duratione successiva rerum existentium; tempus possibile in duratione successiva rerum possibilium. Si attenditur tempus possibile, ante mundi creationem jam fuit tempus, et Deus mundum in tempore creavit. Si spectatur tempus reale, illud cum mundo incepit, et Deus mundum cum tempore creavit.

Si vero quaeritur, cur Deus ab aeterno mundum non creavit, respondent aliqui negando suppositum, quia mundus aeternus repugnat, et repugnantia Deus facere non potest. Sed dato etiam, quod id possibile fuerit, Deus optimam habuit rationem id non faciendi, ne forte putaretur, ipsum vel creaturis indigere, vel ex necessitate eas produxisse.

299. Prop. 36. **Deus libere libertate a necessitate tum contradictionis, tum specificationis creavit.**

Est *de fide* quoad utramque partem ex Vatic.: quoad libertatem contradictionis contra Hermesium et Güntherum docentes Deum propter suam bonitatem creare debuisse (1); quoad illam specificationis contra Abelardum et Wicleffum asserentes, Deum non posse aliud facere, quam quae fecit, et Lutheranos, Jansenistas et Leibnitium contendentes, Deum mundum optimum facere debuisse.

Demonstr. I. *Omnia quaecumque voluit fecit in coelo et in terra* (Ps. 134, 6). *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae* (Eph. 1, 11). Irenaeus: « Ipse a semetipso fecit libere et ex sua potestate disposuit et perfecit omnia, et est

(1) Cf. etiam prop. 18 A. Rosmini.

substantia omnium voluntas eius » (1); Augustinus: « Nulla necessitate sed sola bonitate fecit Deus quod factum est » (2). — Conc. Vatic. can. 5. definivit: « Si quis Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum a. s. » Cf. quae de libertate divina disputavimus.

300. II. Causa prima debet esse hujusmodi, ut determinet ex tot possibilibus quinam effectus existere debeant, et ex tot possibilibus modis quibus existere iidem possunt, quibus modis existere debeant. Ratio est quia possibilia non possunt a se ipsis esse, nec possunt esse omnia simul, nec in uno est major ratio cur sit, quam in alio. Jam vero causa prima determinare haec nequit nisi libere agendo; nam si ex necessitate naturae agit, vel producit omnia quae producere potest, et hoc est impossibile; vel determinata est ad certos effectus tantum producendos; et tunc quia non ea est quae se determinat, erit ab alio determinata, ideoque non erit amplius causa prima.

301. **Corollarium.** Actio creans est *formaliter immanens,* cum sit ipsum decretum divinum ut mundus certo tempore incipiat; est tamen *virtualiter transiens,* quia per eam aliquid a Deo distinctum producitur. Est itaque transiens *productive,* habet enim terminum extra Deum productum, non autem *subiective,* quia non recipitur in aliquo subiecto a Deo distincto, sed manet in Deo.

Neque tamen ab aeternitate actionis ad aeternitatem termini quoque producti concludere licet, nam actio immanens effectum suum praecedere potest: ita pater potest praecipere filio, ut post annum in patriam revertatur, et redditus filii anno integro posterior erit imperio patris. Eodem modo ab aeterno Deus decrevit (actio immanens) ut mundus in certa temporis differentia inciperet, et quando hoc determinatum tempus advenit, quo mundus vi illius decreti aeterni esse coepit, Deus non ponit novam actionem, sed actus Dei aeternus novam habet in tempore relationem extrinsecam (3). « Sicut ergo nosti in principio coelum et ter-

---

(1) *Adv. haer.* l. 2. c. 30. — (2) *De civ. Dei* l. 11. c. 24.

(3) Hujusmodi relatio *realis* est in creatura, quia in ea habet fundamentum reale, quod est ipsum ejus esse a Creatore acceptum, in Deo vero est tantum *rationis,* quia nihil reale Deo advenit, dum creaturas producit, in iisque operatur. S. Th. 1. q. 13. a. 7.

ram sine varietate notitiae tuae, ita fecisti in principio coelum et terram sine distinctione actionis tuae » (1) i. e. sicut scientia aeterna mundi non est scientia mundi aeterni, sed est scientia mundi aliquando in tempore exstituri; ita aeterna actio creans mundum, non est actio creans mundum aeternum, sed est actio creans mundum pro eo durationis momento, quod Deus libere praestituit, existentem.

302. Scholion. Si *factum* respicitur, certum est Deum solum causam creationis efficientem fuisse. Hoc docet Scriptura primo *negative*, quum neminem unquam praeter Deum commemoret, cui creationis opus tribuatur; secundo *positive*, quum opus creationis constanter Deo adscribat; tertio *exclusive*, quum ab hoc opere omnes alios exclusos vult, qui concipi possint creandi actionem exercuisse. Quum vero Deum solum creationis causam efficientem dicimus, nomine Dei tota Trinitas Pater, Filius et Spiritus sanctus intelligitur, quae operatione non multiplici ac distincta, sed unica et singulari universum effecerit; intellectus enim et voluntas et omnipotentia, per quae Deus operatur, communia sunt tribus divinis personis, ideoque indivise Trinitas una et communi actione operatur ad extra.

Si vero questio instituatur de *possibilitate* creationis ope alicujus creaturae efficiendae, *an scilicet admitti possit substantia a Deo distincta, quae virtutem creandi certis obiective limitibus circumscriptam et, prout par est, a prima causa dependentem habeat;* etiam haec neganda est. Nam *a)* Scriptura creationem semper exhibet ut opus ita proprium et characteristicum Dei, ut per illud dignoscatur verus Deus a falsis: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum* (Is. 44, 24); *Dii, qui coelos et terram non fecerunt, pereant de terra* (Jerem. 10, 11). — *b)* Patres non solum generatim negant creaturam et ipsos Angelos creare potuisse, sed ex eo probant divinitatem Filii et Spiritus sancti, quod mundi creatio ipsis adscribitur. — *c)* In hanc sententiam conspirant Magistri juxta ac discipuli scholae, quamquam rationalem ejusdem demonstrationem difficultatibus esse impeditam haud dissimulant. Argumentum s. Thomae (2) ita proponi potest. Causa universa-

(1) Aug. *conf.* l. 11. c. 11. — (2) 1. q. 45. a. 5.

lissima non potest esse nisi una, nempe Deus; atqui causa producens ens ut ens, est causa universalissima: ergo ea non potest esse nisi Deus. *Prob. major.:* Causa universalissima ea est quae omnia possibilia producere potest; atqui solus Deus potest producere omnia possibilia, nam *a)* si talis vis competeret creaturae, competere deberet et vis creandi seipsam, quod repugnat; *b)* cum nulla sit creatura, qua non sit possibilis alia perfectior et quidem sine fine, si alicui creaturae competeret vis omnia creandi, competere deberet et vis creandi se perfectiora, quod rationi causae adversatur. — *Prob. minor.:* Qui potest producere ens ut ens, potest hoc ipso producere quidquid habet rationem entis, quia, cum creans producat res actu voluntatis efficaci, volenti tantumdem est velle lapidem v. g. ac spiritum vel omnes substantias alicujus generis; atqui qui potest producere quidquid habet rationem entis, est causa universalissima: ergo.

ARTICULUS II.

De causa exemplari.

303. Idea generatim est forma rei in mente artificis existens, secundum quam formam artifex rem ipsam exequitur. Ideae divinae dicuntur aeternae rerum producibilium rationes in mente Dei existentes. — Conditiones ad ideam constituendam requisitae sunt: *a)* ut forma sit non intrinseca sed extrinseca rei, quia res debet fieri ad ejus imitationem; nihil vero fit ad imitationem sui; imitatio enim est inter distincta; *b)* ut sit aliquid in ipso Deo; nam Deus nequit operari contemplans aliquid extra se ipsum; *c)* ut sit principium cognitionis rei obiectivum, in quo scilicet cognito res cognoscatur; *d)* ut sit per modum exemplaris principium operationis vel actualis, ut in rebus in aliqua differentia temporis actu existentibus, vel virtualis, ut in possibilibus quae numquam erunt; est enim id quod artificem, si agit, dirigit et determinat in sua actione.

304. Si vero quaeritur quid illud sit quod in Deo rationem habet ideae, haec juxta doctrinam s. Thomae statuenda videntur. 1.° Cum Deus in sua plenitudine essendi omnem possibilem perfectionem virtualiter et eminenter contineat, quidquid praeter ipsum

existit vel existere potest, debet esse imitatio et partecipatio quaedam perfectionis infinitae, secus ex positione perfectionis finitae una cum ente infinito cresceret valor perfectionis. Essentia igitur divina est imitabilis et partecipabilis secundum aliquem modum a creaturis. Haec ipsa essentia divina imitabilis ad extra considerata antecedenter ad actum intellectus, qui illam contemplatur ut imitabilem, potest dici *fundamentaliter, radicaliter* idea, sed non *formaliter* (1); nondum enim dicit relationem ad id cujus est exemplar, nec ad intellectum, qui per ideam operatur: quae tamen necessaria sunt ad rationem ideae. 2.° Divinus intellectus essentiam suam, omnes rerum perfectiones eminenter continentem, comprehendens, cognoscit essentias rerum, quae in eadem essentia virtualiter continentur, seu cognoscit eam secundum omnes modos, quibus cognoscibilis est; est autem cognoscibilis non solum ut est in se ipsa, sed etiam ut est imitabilis per creaturas; igitur cognoscit etiam ejus multiplicem imitabilitatem, atque adeo terminos hujus imitabilitatis, sine quibus illa cognosci nequit. Varii isti gradus secundum quos divina essentia est imitabilis, prout actu terminant cognitionem divinam, *formaliter* constituunt ideas divinas seu possibilia (2). Idea itaque divina *formaliter* constituitur ipsa cognitione divinae essentiae secundum diversos gradus imitabilis. Hujusmodi varii gradus et modi singuli sunt a singulis distincti et propria constant essentia: cognitio vero Dei debet esse perfectissima suique obiecti comprehensiva: ergo non confuse et generice, sed distincte et proprie omnia possibilia cognoscit. Et haec est ipsa s. Thomae doctrina. « Deus,

---

(1) Idea seu exemplar *formale* est id in quo exemplatum sive ectypus secundum suam formam reperitur; *radicale* sive *virtuale* in quo exemplatum non formaliter sed eminentiori modo et virtualiter continetur, ex quo tamen intellectus determinari potest ad exemplatum distincte secundum suam formam concipiendum. Jam vero essentia divina per se spectata nequit esse exemplar formale, quia non continet formaliter res possibiles, neque enim formaliter est homo, lapis, bos, etc.; ergo restat ut sit exemplar radicale seu virtuale.

(2) Si idea sumitur pro forma rei in mente existente, ideae et possibilia in Deo non differunt; si ad rationem ideae exigas ut sit exemplar practicum, tunc ideae sunt tantum rerum existentium; repraesentationes vero earum quae numquam fient cum sint quidem principium cognitionis non vero causae exemplares practicae, *rationes*, appellari possunt. Si autem, ut a nobis factum est, ad rationem ideae requiras, ut sit exemplar practicum sive actuale sive virtuale, tunc omnium quae sunt aut esse possunt, sunt in Deo ideae.

inquit, per intellectum omnia operans, omnia ad similitudinem essentiae suae producit, unde *essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta.* Res autem creatae non perfecte imitantur divinam essentiam, *unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum,* sed cum proportione creaturae fiendae ad ipsam essentiam divinam, secundum quod deficit ab ea, vel imitatur eam. Diversae autem res diversimode ipsam imitantur, et unaquaeque secundum proprium modum suum, quum unicuique sit proprium, esse distinctum ab altera; *et ideo ipsa divina essentia cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est idea uniuscujusque rei.* Unde quum sint diversae rerum proportiones, necesse est esse plures ideas; et est quidem omnium una ex parte essentiae, sed pluralitas invenitur ex parte diversarum proportionum creaturarum ad ipsam » (1).

305. Hinc patet etiam solutio ad quaestionem, an in Deo sit *una* vel *plures* ideae. Esse plures tenendum est. Etenim omne per se intendens aliquod totum, habet rationes et ideas partium, ex quibus totum illud conficitur: Deus autem per se totum ordinem universi intendit producere; habet igitur ideas partium, ex quibus ordo consequitur. Sunt igitur plures ideae. Neque hoc simplicitati divinae repugnat. Nam non repugnat simplicitati alicujus intelligi in ordine ad multa: sed ratio ideae consistit in cognitione essentiae in ordine ad creaturas: ergo non repugnat simplicitati essentiae idearum multitudo.

Corollarium. 1. Ergo res non pertingunt quidem ad hoc, ut Deo similes sint secundum suam naturam similitudine speciei, attamen eo pertingunt, *ut sint Deo similes secundum repraesentationem rationis intellectae a Deo.*

Corollarium. 2. Ergo possibilia sunt radicaliter, seu virtualiter, seu fundamentaliter in essentia divina, formaliter in scientia divina, efficienter in potentia divina.

Corollarium. 3. Cum dicimus possibilia fieri existentia, intelligimus res creari ad instar possibilium, seu in similitudinem divinae essentiae cognitae, non vero quod creaturae sint ipsae ideae

---

(1) *De verit.* q. 3. a. 2.

Dei. Quare creando manifestat quidem suas ideas, sed non ponit eas extra se, sed earundem terminos imitativos.

Corollarium 4. Quamvis creatio sit productio *ex nihilo,* recte tamen dicitur ea quae creantur « nonnihil fuisse antequam fierent, quantum ad rationem facientis; » de quo cf. s. Anselmum *(Monol.* c. 9. alias 8).

Corollarium 5. Duplex rebus creatis convenit esse: alterum temporale et contingens, quod in se ipsis habent, sempiternum alterum et necessarium, quod non in se ipsis sed in Deo habent.

306. His praestitutis notionibus sit

Prop. 37. **Deus mundum iuxta aeternas et incommutabiles ideas, quae in eius intelligentia continentur, condidit, adeoque mundi est causa exemplaris.**

Demonstr. I. (Eccli. 23, 29): *Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita;* (Ps. 135, 5): *Qui fecit coelos in intellectu;* (Jerem. 10, 12): *Qui facit terram in fortitudine sua, praeparat orbem in sapientia sua, et prudentia sua extendit coelos;* (Prov. 3, 19): *Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit coelos prudentia;* (Sap. 7, 21): *Omnium enim artifex docuit me sapientia.* Atqui operari per *intellectum,* per *sapientiam,* per *artem* significat operari per ideas; eatenus enim intellectus, sapientia, ars ad opus externum concurrere possunt, quatenus exhibent normam vel formam rei faciendae: ergo.

307. II. Augustinus: « Quis audeat dicere, Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si recte dici et credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita, nec eadem ratione homo, qua equus; hoc enim absurdum est aestimare. Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuetur, ut secundum id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hae rerum creandarum, creaturarumve rationes in mente divina continentur, neque in divina mente quidquam nisi aeternum atque incommutabile potest esse,.... non solum sunt ideae, sed ipsae verae sunt, quia aeternae sunt, et ejusmodi, atque incommutabiles

manent, quarum participatione fit, ut sit, quidquid est, quoquo modo est » (1).

308. III. Deus mundum libere creavit. Qui autem ita agit, et sapienter agit, certe ab intellectu dirigitur. Ergo Deus, qui certe sapientissime operatus est, prout eius natura exigit, debuit creationis finem praestituere, singulas creaturas ad finem ordinare, eas cognoscere, etc. Sed hoc importat Deum habuisse ideas omnium rerum, quae facta sunt. Ergo.

ARTICULUS III.

De mundi causa finali.

309. Pervulgata est finis partitio in *finem operantis* et finem *operis*. Finis operis est id, ad quod opus ex dispositione formaque, quam accepit, tendit et inservit; finis autem operantis est id, quod operans producendo opus principaliter intendit. Sic v. g. quoad horologium indicatio horarum est finis operis, finis vero artificis est lucrum, manifestatio suae peritiae seu gloria, etc. Interdum isti fines in idem recidunt, interdum alius alii superadditur.

310. De fine *operantis* seu de fine actus divini manifestum est, nullum bonum a Deo distinctum movisse voluntatem divinam ad creandum mundum; nam Deus tunc penderet ab alio sicut effectus a causa, quod est absurdum. Volitionis itaque divinae, qua Deus mundum voluit, unica *ratio* (2) est bonitas divina. Eatenus enim res a se distinctas amat, quatenus necessario diligens suam bonitatem diligit quidquid cum illa relationem habet; res vero

---

(1) *Lib. 83.* qq. q. 46.

(2) Finis sumitur pro *causa* vel pro *ratione* volendi. Differt causa a mera ratione sufficiente, quod causa requirit distinctionem realem inter se et effectum, hujusque a se ipsa realem dependentiam: id autem quod est mera ratio sufficiens potest esse idem reapse cum rationato, tantumque id postulat ut in obiecto sit fundamentum distinctionis rationis, qua adhibita, possit concipi aliquid tamquam necessarium ut aliud sit, et hoc aliud possit concipi vel existens vel possibile saltem, si sit illud prius: ita ratio sufficiens libertatis est intelligentia.

Ex hoc liquet, bonitatem divinam esse quidem rationem finalem, minime vero causam finalem volitionis divinae, quia esset causa sui ipsius, magis amabilis se ipsa, penderet a se ipsa, quae omnia absurda sunt.

creatae similitudines quaedam sunt essentiae suae; has ergo amat quia semetipsum amat et vult.

Ex hoc jam intelligitur finis *operis* seu creationis qui cum fine Creatoris intime cohaeret. Cum enim creaturas Deus velit quia similitudo quaedam sunt divinae bonitatis et per illas manifestatio fit divinae essentiae, cumque in hujusmodi repraesentatione *gloria Dei* externa consistat, patet, hunc finem esse huic divino operi a Deo praestitutum. Qua in re errarunt Moshemius, Cartesius, Hermes, Günther contendentes propter solam hominis felicitatem mundum conditum fuisse. Contra hunc errorem Conc. Vatic. definivit: « Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur.... utramque de nihilo condidit creaturam; » et can. 5: « Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; a. s. » (1).

311. Prop. 38. **Finis supremus creationis bono aliquo ipsius Dei, non tamen interno, sed externo divinae gloriae scilicet externa manifestatione; secundarius intelligentis creaturae felicitate continetur.**

Demonstr. i. p. *Finis creationis supremus est aliquod Dei bonum, seu Deus.* — Deus agens sapientissime nequit agere nisi propter finem se dignum: Deus solus autem dignus est Deo. Hinc de se ipso dicit: *Ego sum α et ω, principium et finis* (Ap. 1, 8), s. Paulus Deum appellat *propter quem et in quem omnia.* (Heb. 2, 10), et generatim Scriptura affirmat: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malam.* (Prov. 16, 4). — S. Thomas hanc reddit rationem: « Sicut Deus cognoscendo essentiam suam cognoscit omnia, quae sunt ab eo, in quantum sunt similitudo quaedam veritatis ejus; ita etiam volendo et amando essentiam suam, vult omnia, quae sunt ab eo, in quantum habent similitudinem bonitatis ejus. Unde id, quod est volitum primum ab eo, est bonitas sua tantum. Alia vero vult in ordine ad bonitatem suam » (2).

312. Demonstr. ii. p. *Non tamen bonum aliquid Dei internum*

---

(1) Const. *Dei Filius*, cap. 1. — (2) I. Dist. 45. q. 1. a. 2.

est ultimus creationis finis. — (Ps. 15, 2): *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (Iob. 22, 3): *Quid prodest Deo, si justus fueris, aut quid ei confers, si immaculata fuerit vit atua?* Lessius ad quaestionem: « Quum Deus sit finis, cujus gratia ipsemet fecit omnia, quid commodi, vel boni spectavit in rebus condendis et gubernandis, quod ipsi ab illis provenire queat, » respondet: « Deo nihil commodi aut voluptatis potest accedere a rebus creatis, quum ipse per se sit infinite perfectus et omni ex parte beatissimus, ut qui omne bonum in se eminentissime possideat. Sicut enim soli ex eo, quod radii ipsius incidant in nubes longe infra positas, et multiplicem solis speciem ac varios colores ibidem exhibeant, nihil accedit; ita nec Deo quidquam accedit ex specie, varietate, pulchritudine et multitudine rerum creatarum, quae infinito quodam intervallo infra ipsum sunt positae et veluti in nihilo ex radio divinae lucis suspensae. Finis igitur, quem Deus in creatione et gubernatione totius universi spectavit, debuit esse quid extrinsecum, quale est habere filios similes sibi, participes gloriae et beatitudinis divinae. Hoc fuit obiectum primae volitionis liberae et primae intentionis, quam Deus ex omni aeternitate concepit, ex qua reliquae omnes volitiones liberae nostro modo concipiendi sunt sequutae » (1).

313. Demonstr. iii. p. *Externa divinae gloriae manifestatio est creationis finis ultimus.*

Duplex est gloria Dei, *interna* et *externa.* Interna iterum duplex est, *obiectiva* et *formalis. Obiectiva* gloria Dei *interna* est ipsa divinitas, seu splendor et excellentia divinitatis, et personarum divinarum; ob hanc enim dignissimus est, qui ab omnibus cognoscatur, laudetur, atque ametur. *Formalis* (2) gloria Dei *interna* est cognitio, amor et gaudium Dei de se ipso: sive quod ipse a se ipso infinite et adaequate cognoscatur, ametur et cum infinito gaudio et suavitate gustetur. Hanc utramque Deus ab aeterno plenissime possedit, ad illam itaque acquirendam, vel augendam certe mundum nec creavit, nec creare potuit. — Gloria externa pariter duplex est. Altera enim est *obiectiva,* et consistit in

(1) *De perf. div.* l. 14. c. 1.

(2) *Formalis* appellatur proprie gloria, utpote quae definiatur *clara cum laude notitia,* notitia scilicet, quae habeatur de excellentia alicujus.

excellentia et pulchritudine rerum creatarum, maxime filiorum Dei, ut sunt beati, seu universim in ipsa rerum creatarum entitate, ut ea repraesentativa est divinarum perfectionum. Altera est gloria *formalis,* quae in eo consistit, quod creaturae rationales tum in hac vita, tum in altera Deum perfectissime cognoscant, eum laudent ac revereantur, ei serviant, eum ament, eoque fruantur.

His ad rei notionem declarandam praemissis, demonstratur propositionis III. P.

314. I. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus; impium quoque ad diem malum* (Prov. 16, 4); *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (Ps. 18. 1); *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum,* (Is. 43, 7); *Plena est omnis terra gloria ejus* (Is. 6, 3); *Posuit oculum suum super corda illorum ostendere illis magnalia operum suorum ut nomen sanctificationis collaudent, et gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus* (Eccl. 17, 7. 8); *Deus illis manifestavit. Invisibilia enim etc.* (Rom. 1, 20. 21). — Tertullianus: « De nihilo (mundum) expressit in *ornamentum* majestatis suae » (1). Conf. conc. Vatic. supra.

315. II. *a)* Cum Deus sit ultimus creationis finis, cumque nullum ejus bonum internum finis rationem habere potest, non remanet nisi gloria extrinseca, quae augmenti est capax.

b) Praeterea ultimus finis creationis ita debet esse comparatus, ut imprimis respondeat operi ipsi, deinde conveniat operanti, apteque tandem conspiret cum indole supremi finis, quâ ejusdem esse debet, ut in quavis hypothesi obtineatur. Haec autem tria coniunctim conveniunt fini, eique soli, quem assignavimus. Quod namque primam conditionem attinet, cuilibet creaturae ex intima sua natura proprium est, ut aliqua sit similitudo divinae bonitatis divinarumque sit perfectionum adumbratio quaedam et repraesentatio, ideoque sit radius quidam externae gloriae, sitque ad instar vocis subsistentis, divinam gloriam proclamantis. Haec porro ratio censeri prima in quavis creatura debet maximeque illi intima, quum enascatur ex relatione totius *esse* creaturae ad Deum velut ad principium ejus adaequatum. Quod alteram con-

(1) *Apolog.* c. 17.

ditionem spectat, dignitas operantis Dei flagitat, ut creatura illum pro centro habeat, illi vivat eique serviat; ut independentiam ejus propriamque suam dependentiam omnibus quibus potest modis testetur; eadem praeterea flagitat, ut illud ipsum, quod finis est operantis Dei sit eo modo, quo possibile est, finis quoque creaturae: haec autem vere tum locum habere, quum creationis finis assignatur gloria Dei externa, et tum solum obtinere, patet. De *tertia* autem conditione vix est, cur disputemus. Manifestum siquidem est, nihil unquam hunc finem frustrari posse, siquidem excogitari non possit hypothesis, in qua gloria Dei externa non obtineretur; et nullum praeterea excogitari alium finem posse, de quo idem affirmari possit (1).

316. DEMONSTR. IV. P. *Secundarius creationis finis est rationalis creaturae felicitas.* — I. *a)* Relata protoparentum creatione Deus dixit illis: *Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus terrae et universis animantibus, quae moventur super terram. Dixitque Deus; Ecce dedi vobis omnem erbam afferentem semen super terram, et universa ligna quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam* (Gen. 1, 27 sq., Cf. Ps. 8, 7 et 113, 16).

b) Tum Scripturae tum Patres sicut generatim ostendunt Deum amare omnia, quae fecit, ita speciatim extollunt divinam dilectionem ineffabilemque, qua creaturas rationales complectitur, caritatem; atqui amare, dilectione aliquem prosequi idem est, ac velle eidem bona conciliare: ergo creationis finis certissime etiam est bonum maxime rationalium creaturarum.

c) Scripturae praeterea et Patres salutem, pacem, beatitudinem nostram termini ad instar frequenter proponunt, ad quem universa molimina providentiae divinae tam naturalis, quam supernaturalis aspirent; jam vero id, in quo bonum nostrum situm est, terminus esse universae providentiae divinae non potest, quin cum creationis fine, quem expendimus, cohaereat alius quoque finis nostro bono comprehensus.

d) Denique gloria Dei in eo consistit quod perfectiones divinas in creaturis adumbratas rationales creaturae intelligentes, Deum

---

(1) Stentrup th. 43.

cognoscant, laudent, ament eique serviant et eo fruantur: iam vero haec plane esse, in quibus nostra sit perfectio tota totaque beatitudo, manifestum est. Quidquid quippe Deus ad extra operatur et vult est ad suam simul gloriam creaturarumque nominatim rationalium bonum. Dum se glorificat, creaturam suam beatam facit, hancque item beatam faciendo se ipsum glorificat; quare ut hinc gloriam Dei, nostrum vero inde bonum promoveamus, non diversis plane rebus operam nostram navare debemus, idem namque profecto est, quo utrumque obtinere possumus. Jam vero si omnia, quaecumque Deus ad extra operatur, in gloriam Dei simul et nostrum quoque bonum cedunt, praeter finem creationis, qui est Dei gloria, assignandus est etiam alius finis, qui sit bonum nostrum.

317. II. Hunc vero priori minime esse coordinatum, sed ad eum, ut *secundarium* ad primarium referri, manifestum est. Cum namque ultima ratio cur Deus velit et amet quidquid vult et amat, sit sua bonitas eaque sola; hinc id, quod facta hypothesi creationis vult et amat est obiectum divinae voluntatis divinique amoris ob suam ad divinam bonitatem relationem. Jam vero relatio haec in eo posita est, quod in creaturis habetur similitudo quaedam divinae bonitatis per illasque manifestatio fit divinae essentiae: ergo id, quod Deus facta hypothesi creationis vult et amat, obiectum est divinae voluntatis divinique amoris ideo, quod in illo similitudo quaedam est divinae bonitatis, per illudque manifestatio fit divinae essentiae, seu quod in illo est et splendet gloria externa Dei. Non igitur bonum creaturarum, sed gloria Dei externa est primarius creationis finis.

318. Sdholion. *Quaeras* quomodo cum huiusmodi creationis fine componatur benevolus Dei in creaturas rationales amor.

Respondeo: Adaequatus terminus divini amoris neque sola est gloria Dei, neque sola creatura, sed est creatura naturâ suâ ad Dei gloriam ordinata.

Porro creaturas diligit quia sunt expressiones suae bonitatis, et sicut diligit hanc, ita et eius expressiones et ectypos. Ipse non praesupponit in creaturis participationem suae bonitatis, sed amando illas, ponit in ipsis sui rationem amoris, bona sua illis communicando citra suam utilitatem. Atqui alteri amorem velle citra proprium commodum, est eum amore prosequi benevolen-

tiae: ergo. — Refert vero Deus omnia ad gloriam suam, non ob commodum inde aliquod proveniens, vel ob aliquam delectationem inde enascentem, sed quia talem ordinationem ad suam gloriam ipsa creaturarum non minus quam Dei natura, ordoque rerum postulat. Neque enim velle divinum Deique ad extra operatio sancta esse possent, nisi Deus in omnibus externam suam gloriam intenderet. Idcirco solum illud velle Dei, quod circa creaturas versatur, unum idemque est cum illo velle sanctissimo, quo Deus infinitam suam bonitatem amplectitur, quia est intimâ suâ naturâ velle gloriae Dei externae. Hinc non falsum solum, sed plane ridiculum est, quod quidam affirmarunt, non posse statui Deum in omnibus quaerere gloriam suam propter seipsum, quin ambitio ei adscriberetur. Quomodo enim id ambitio esse possit, quod ab ipsa essentia ordinis, ac proinde a veritate postuletur? Quomodo ambitio esse possit, in quo ipsa sita sit ratio sanctitatis, utpote in quo agatur propter bonum absolute summum ejusque in omnibus gloria quaeratur? Scilicet non viderunt isti, ea, quae de creatura merito dicerentur, absurde in Deum transferri. Nequit quidem creatura gloriam propriam quaerere in eáque conquiescere, quin ambitiosa sit, quia creatura est; debet vero Deus gloriam suam in omnibus quaerere, quia Deus est bonumque absolute summum, ex quo et in quod sunt omnia (1).

---

(1) Hermesii difficultatem praeoccupaverat s. Thomas scribens: « Quod autem aliquis bonum suum cognoscat et approbet, non est peccatum: dicitur enim (1. Cor. 2, 12.): *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis.* Similiter etiam non est peccatum quod aliquis velit bona sua approbari: dicitur enim (Matth. 5, 16.): *Luceat lux vestra coram hominibus.* Et ideo appetitus gloriae de se non nominat aliquid vitiosum; sed appetitus *inanis* vel *vanae* gloriae vitium importat. Potest autem gloria dici vana tripliciter: uno modo ex parte rei de qua quis gloriam quaerit; puta cum quis quaerit gloriam de eo quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili et caduca; alio modo ex parte ejus a quo quis gloriam quaerit, puta hominis, cujus judicium non est certum; tertio modo, ex parte ipsius qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriae suae non refert in debitum finem.... Augustinus dicit super illud (Jo. 13.): *Vos vocatis me, Magister et Domine et bene dicitis:* 'periculosum est sibi placere, cui cavendum est superbire. Ille autem qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non extollit se.' » (2. 2. q. 132. a. 1). Itaque quaerere gloriam non est per se malum; unde ipse homo potest aliquando eam quaerere. Ita e. g. potest superior debitam reverentiam exigere non modo propter subditorum bonum, sed etiam quia ordini naturae et morali legi conveniens est, ut honor praestetur ei, qui talem obtinet dignitatem a Deo

319. **Corollarium.** Cum gloria *obiectiva* ad *formalem* ordinetur et in hac suum velut complementum habeat, cumque irrationalis natura externam Dei gloriam *obiective* tantum prae se ferat, rationalis autem *obiective* simul et formaliter, Deus ita est ultimus finis naturae irrationalis, ut illa praeterea alium quoque finem proximum, qui sit natura rationalis habeat; hujus vero Deus ultimus simul et proximus ideoque unicus finis est.

320. Scholion. Quaeri solet, utrum mundus iste, quo divina gloria extrinseca comparatur, optimus dici possit et debeat. Certum est mundum esse *valde bonum* Gen. 1, 31 et a Deo fuisse approbatum, adeoque perfectionem eamque excellentem continere; certum est, etiam mundum multiplici ratione *optimum* dici posse, scilicet *a)* ratione *finis* praestituti saltem in genere spectati, quo nullus praestantior; *b)* ratione *operantis,* et *c)* ratione *operationis,* quae est creatio ex nihilo, qua nulla perfectior; *d)* ratione *dispositionis* et *ordinationis* in finem, quae aptissima ad obtinendum eum gloriae gradum, quem libere eidem praestituit; *e)* ratione *conspirationis* cum causa exemplari, cui adamussim respondet.

Non tamen optimus est absolute in sua entitate ita nempe ut eo melius Deus nihil facere possit. Hujusmodi *optimismus,* quem defendit Leibnitius aliique, est negandus, quia adversatur *a)* indoli ipsius mundi *finitae,* finitum enim semper est augmenti capax, maximumque inter finita repugnat; *b) imitabilitati* essentiae divinae, cujus mundus hic supremum gradum attigisset, quae tamen numquam rebus creatis sic repraesentari potest, ut nequeat perfectius repraesentari; *c) omnipotentiae divinae,* quae exhausta esset, si mundum praestantiorem condere non posset, *d) libertati divinae,* cum Deus in hac sententia ad optimum seligendum necessario teneatur.

---

collatam, cui reverentia et honor debetur. Defectus vero qui in hominibus occurrunt, eo quod indebitam gloriam vel indebito modo quaerant, in Deo cedere non possunt. Imo vitiosum esset si Deus contra ageret, neque ejus voluntas esset sancta, quippe quae contra rectum et sanctum rerum ordinem ageret.

ARTICULUS IV.

De Creationis historia a Moyse relata.

321. Praecipua creationis dogmata innituntur magna saltem ex parte Moysis narratione, quae Gen. 1 et 2. continetur; hinc aliquid de ea dicendum est, praesertim quum increduli coacto velut agmine in eam tela convertant.

Ea complectitur *exordium*, *descriptionem* et *epilogum*. — *Exordium* duo commata comprehendit, in quorum primo rerum universitatis ex nihilo creationem refert Moyses; in altero a productione materiae ad formam progrediens, nostram, cujus historia incolis facilior et utilior est, tellurem considerandam sumit, cujus statum primitivum ornatu et incolis vacuum atque caligine circumfusum exhibet, unde addit demissam esse vim divinam, ut illum statum in ordinem redigeret. — Sequitur *descriptio* ordinis atque modi, quo Deus terram expolivit et ornavit. Ad absolvendum hujus mundi opificium sex dierum spatio Deus usus esse narratur, quidque quovis die produxerit vel disposuerit, indicatur. — In *epilogo* tria continentur memoratu digna. Primum quidem dicitur, perfectos esse coelum et terram et omnem ornatum eorum, et opus divinum creationis die septimo completum esse. Tum vero additur, Deum requievisse die septimo ab omni opere quod perfecerat; i. e. ipsum cessasse a novis creaturarum speciebus condendis, non autem a rerum creaturarum cura, conservatione et gubernatione. Denique asseritur, Deum benedixisse diei septimo, et sanctificasse illum, ut edoceremur diem septimum postea sanctum esse et cultui divino specialiter destinatum.

322. Hujus, ut ajunt, *cosmogoniae mosaicae* triplex datur interpretatio: *allegorica* seu *mystica*, *litteralis communis antiqua*, *litteralis recentior*.

I. *Expositio allegorica.* Hujus sectatores putant omnia uno eodemque momento creata esse, ac propterea sex dies a Moyse recensitos vel allegorice exponendos esse, vel Moysen nonnisi claritatis gratia, ut creationis opus melius ob oculos poneret, per partes descripsisse quae simul sunt facta. Suam sententiam duobus argumentis confirmant: 1.° quod ipsa Scriptura haud ob-

scure id innuit: *Istae sunt generationes coeli et terrae, quando creata sunt, in die quo fecit Deus coelum et terram* (Gen. 2, 4), et: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul* (Eccli. 18, 1); 2.° quod ex interpretatione litterali multae difficultates oriuntur, quae vix solvi possunt. — Inter allegoricas eminet celebris illa, quam Augustinus proposuit (1). Is per sex dies intelligit cognitionem angelorum, quatenus illa terminatur ad sex rerum genera, quae sex diebus dicuntur esse creata, ita ut cognitio angelorum, quatenus terminata est ad res, quae primo die narrantur creatae, dicatur prima dies: et eadem cognitio, quatenus fuit earum rerum, quae secunda die narrantur creatae, appelletur dies secunda, et sic deinceps. Porro, quia unaquaeque dies, juxta narrationem mosaicam, habet *mane* et *vespere*, ideo distinguit cognitionem angelorum in *matutinam* et *vespertinam*. Illa est qua angeli res creatas in Verbo, in cujus luce incommutabili sunt aeternae rerum faciendarum rationes, vident; haec, qua eas in se ipsis considerant, ita tamen ut pulchritudini earum non inhaerentes eam in laudem Dei referant, et sic a rerum in seipsis consideratione ad Veritatem et ipsam Sapientiam Dei sese convertentes angeli, eorum cognitio *illucescit* et recurrit in *mane*. Et quia in mente angelorum cognitioni vespertinae sine ignorantiae et errorum tenebris statim cognitio succedit matutina, ideo, observat Augustinus, in narratione mosaica solummodo dies, non autem nox commemoratur.

323. II. *Expositio litteralis et quidem communis antiqua.* Quamquam expositio allegorica inter Patres et theologos suos habet patronos, plerique tamen nostra aetate ab ea recedunt, et narrationem mosaicam *sensu litterali* accipiendam esse censent his innixi argumentis. 1.° Est regula hermeneutica, non esse a sensu litterali recedendum, nisi, eo retento, aliquid absurdi vel falsi sequatur, vel ipsa Scriptura sensum mysticum insinuet. Atqui nil absurdi falsive sequitur ex sensu litterali; difficultates enim, quae opponuntur, solvi possunt; nec Scriptura sensum allegoricum indigitat; nam si in Gen. 2, 4 dicitur Deus coelum et terram fecisse *in die*, dies sumitur simpliciter pro tempore sive pro diebus, adhibito singulari pro plurali, quod non est infrequens in Scriptura; et si in Eccli. 18, 1 dicitur creasse *omnia simul* (*κοινῇ*),

(1) *De gen. ad. litt.* l. 4. c. 24; *de civ. Dei* l. 11. c. 6 sq. et alibi.

hoc nihil aliud sibi vult, nisi Deum omnia, nulla re excepta, creasse; non enim est insuetum Scripturae, ut per aequivalentes terminos eadem res significetur, ut v. g. (Ps. 13, 3): *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt;* (Jo. 1, 3): *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* — 2.° Scopus Moysis erat, ut Israëlitas clarius doceat doctrinam de Deo uno, creatore omnium rerum, atque populum in cultu ipsius confirmet, et sabbati sanctificationem inculcet, dum rationem cur haec dies electa sit, proponit. Jam vero ad hunc finem obtinendum aptum medium non videtur allegorias illas, quin explicentur, proponere. — 3.° Ipsa scriptoris indoles hoc suadet. Omnes enim fatentur, Moysem scriptorem *historicum* esse, qui simplici calamo narrat facta sensu litterali accipienda; cur exceptio pro initio sui operis facienda? — 4.° Scriptura ipsa hunc sensum indigitare videtur. Ad historiam creationis procul dubio refertur creatio hominis et formatio Evae, quae certe litteraliter intelligenda sunt, praeeunte Paulo (1. Cor. 11, 8): *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro.* Praeterea Scriptura sanctificandi sabbatum legem repetit ab exemplo Dei: *Sex enim diebus fecit Dominus.... et requievit die septimo; idcirco benedixit diei septimo et sanctificavit eum* (Exod. 20, 11). Nullius momenti haec ratio esse videtur, si mundi opificium uno momento perfectum est. Accedit, quod major Patrum pars hanc amplexi sunt explicationem.

Porro qui *rigidae litterae inhaerent* nomine dierum intelligunt temporis spatia nostris diebus similia, et proinde saltem a quarto die tales, qui solis ortu et occasu determinantur, quique 24 horis constant. Praecedentes dies pariter lucis ac tenebrarum vicissitudine constituuntur; et quamvis aestimare non possimus, qualis earum fuerit duratio, tamen analogiam quandam cum ordinariis diebus habuisse videntur. Hujus explicationis modum legas apud s. Thomam, (1) Petavium, (2) Knoll (3). Haec dici potest *communis* usque ad saec. XVIII.

324. III. *Recentior.* Ex quo, saeculo praeterlapso, disciplinae naturales diligentius coli coeptae sunt, increduli multa ex illis congesserunt, quibus probare intendebant, narrationem mosaicam

---

(1) 1. q. 66 et sq. — (2) *De opere sex dierum* l. 1. — (3) P. II. s. II. c. II. §. 131.

de creatione longe a veritate aberrare. Hinc haud pauci e recentioribus catholicis, ii praesertim, qui naturalibus disciplinis delectantur, aliam ad cosmogoniam mosaicam vindicandam ineuntes viam, eam protulerunt explicationem, quae in oppositione ad allegoricam *litteralis* quidem dici potest, sed quae multum differt ab interpretatione communi antiquorum. Caput systematis eorum eo continetur, quod statuant, dies illos, qui in narratione Genesis commemorantur, non dies vulgares durationis exiguae, sed diuturnas fuisse temporis periodos, quibus mundi molitio secundum leges physicas a Deo statutas completa fuerit. Hinc exceptis quibusdam creaturis, uti sunt e. g. animantia perfecta et praesertim homo, in quarum formatione immediata divinae actionis interventio agnoscenda est, mundi molitionem dicunt post creatam a Deo materiam ipsius materiae viribus commissam et longis istis periodis successive perfectam fuisse. Argumenta, quibus fulcitur haec sententia, haec potissimum sunt. 1.° Vox *dies* quamvis communiter designet 24 horarum intervallum, tamen saepe in Scriptura translate (1) quoque adhibetur de indefinita et diuturna duratione. Ut nihil dicam de significatione diei ante solem conditum, in ipso 2, 4. Gen. certe sumitur pro toto tempore creationis. Cum de eventibus futuris est sermo, in *illa die*, in *novissimo die* idem est ac in illo tempore, in novissimo tempore. Unde Augustinus: « Scripturarum more sanctarum, *diem* poni solere pro *tempore*, nemo qui illas litteras quamlibet negligenter legerit, nescit » (2). 2.° Quoniam haec vox per se hanc patitur significationem, haec ut praeferatur graves adsunt rationes ex scientiis naturalibus petitae. *Astronomia* enim nos docet, lucem omnium fere stellarum annorum plurium spatio, ut ad nos pertingat, indigere; illas autem omnes vel fere omnes Adamum die jam sexta vidisse, dubium esse nequit (Cf. Gen. 2, 1). *Geologia* clare docere videtur, strata superficiei terrae secundum statas leges fuisse efformata, ideoque gradatim et successive longo annorum intervallo; plurimum temporis requiri ad efformandum secundum leges, quibus praesens regitur rerum ordo, illum *statum fossilem* tot plantarum et ani-

(1) Imo et penes scriptores profanos dies indefinite pro tempore accipitur: « Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmant » Tullius.
(2) *De civ. Dei* l. 20 c. 1.

malium, quorum ingens multitudo in visceribus terrae reperitur. Si igitur licuit Augustino sensum deserere litteralem, cur non licebit a sensu stricte litterali tantisper discedere, cum ad hoc rationes nostra aetate adsint multo graviores, quam Augustini tempore? (1).

325. Roges de his *judicium?* accipe. Qaedam sunt in historia mosaica de creatione, quae fere communia sunt tribus expositionibus, quaeque ab omnibus tenenda sunt. Et 1.° quidem, Moysen etiam in iis, quae in enarranda rerum origine non directe spectant ad ejus scopum, ut inspiratum scriptorem habendum esse, ideoque nullam esse neque esse posse inter *librum* genesis et *librum naturae* a Deo quoque conscriptum pugnam, quae in Deum ipsum refunderetur (n. 13). 2.° Moysis scopum non fuisse, tradere *praelectiones doctas* de astronomia, geologia, zoologia seu generatim de disciplinis naturalibus; sed *institutionem* tradere voluisse *religiosam* vulgi captui accomodatam, nominatim vero de hac spectabili rerum universitate; atque haec praesertim alte illius menti et cordi impressa voluit: omnia esse a Deo; hinc tam accurate praecipua creaturarum genera percurrit omnium productionem diserte Deo adscribens; omnia esse bona, nihilque a Deo esse mali; omnia esse propter hominem ad excitandam gratitudinem in Deum; septimum diem peculiari Dei cultui esse consecrandum. Porro ex his, quae nemo inficias ibit, haec, quae ad difficultatum solutionem et ad historiae mosaicae intelligentiam maxime conferunt, prono alveo consequuntur. *a)* Moyses prae tali scopo de his loqui-

(1) Hanc sententiam nonnulli recentiores ita proponunt, ut hanc saeculorum indefinitam seriem ponant inter *primam creationem*, quae narratur primo Genesis versiculo et inter ejus *restaurationem*, quae post primaevae terrae ruinam (de qua v. 2) facta fuit. Hujus terrae *anterioris* (de qua v. 1) incolae fuerunt *angeli* ante eorum lapsum. Horum lapsu prior terrae conditio periit, non secus ac postea diluvio propter hominum peccata mutatus fuit terrae status, et terrae ruina illa successit, qui v. 2. describitur, in quam per angelorum peccatum redacta est terra. V. 3. terrae devastatae narrat restaurationem Moyses, qui prioris illius mundi idcirco nullam facit mentionem, quod scopus ejus fuerit, de terra eatenus tantum loqui, quatenus modo est hominis domicilium. Hac theoria, quam fatentur *citra* Scripturam et traditionem, quamquam non *contra*, aiunt plura revelatae doctrinae capita alioquin obscura mirifice illustrari atque explicari, ut propterea rationi se admodum commendet: ita e. g. bene explicari singularem angelorum lapsorum ad hanc terram humanumque genus relationem, dignitatem, momentum et habitum hujus terrae ad universum.

tur et loqui debet non more physicorum et doctorum, sed concipiendi loquendique morem sequitur populi; quam praxim, si intelligi volunt, sequuntur vel ipsi astronomi, cum et ipsi in sermone vulgari dicere soleant, solem ascendere, moveri, loquantur de stellis majoribus minoribusque non secundum rei veritatem vel secundum suam scientiam, sed secundum externam visibilemque speciem. Unde iniuria exigitur a Moyse, ut more geologorum vel physicorum scribat eorumque satisfaciat curiositati. Quare *b)* nil mirum, si Moyses de sole stellisque atque aliis eatenus tantum loquitur, quatenus relationem habent ad hanc terram et secundum apparentiam ceteris praetermissis. Inde vero sequitur *c)* longe pauciora esse themata seu argumenta communia cosmogoniae mosaicae et disciplinis naturalibus, ac plures contendere solent. Moyses enim *praefationem* veluti scripsit ad disciplinas naturales exponens rerum exordia; quae haec consecuta sunt, relinquit indaganda physicis peritis, secundum illud Eccle. 3, 11: « *Mundum* (utique prout modo existit a parte rei) *tradidit disputationi eorum* » (1).

326. Omnibus in id conspirantibus, licet eam ex tribus allatis amplecti expositionem, quae opportunior cuique ad defendenda dogmata catholica videbitur, quum nulla extet authentica de hac re explicatio, et unaquaeque Patrum, vel theologorum patrocinio fulciatur. In hac re, sicut in aliis hujus generis sapientissimum Augustini monitum prae oculis habendum est: « Quidquid ipsi (sapientes hujus mundi) de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris libris non esse contrarium » (2); et illud s. Thomae: « Sicut Augustinus docet, in hujusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primo quidem, ut veritas Scripturae inconcusse teneatur. Secundo, cum Scriptura divina *multipliciter* exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, quod si certa ratione constiterit, hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse credebat, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praecludatur » (3).

Juxta haec principia, est sane admittendum, Deum potuisse mundum, uti nunc est, sex diebus ordinariis, imo et uno oculi

---

(1) Hurter n. 198. — (2) *De Gen. ad litt.* l. l. c. 21. — (3) 1 q. 68 a. 1.

ictu eumque herbis, arboribus et fructibus virentem condere; et si de hac re certissimis argumentis constaret, non major esset difficultas, quam in admittenda successiva illius per longa intervalla molitione. Ast, cum haec certitudo desideretur, cumque aliunde naturae vires ad effectus explicandos sufficiant, dummodo necessarium concedatur temporis intervallum, iis subscribimus, qui non esse pro lubitu recurrendum ad miracula censent. Haec est enim divina providentiae consueta agendi ratio tum in corporeo mundo tum in spiritali, nec in naturali solum ordine, sed etiam in eo, qui est supra naturam, perpetua notata lex, ut quaecumque creatae res acceptis a creatore viribus agere in alicujus operis executione possunt, ea omnino illis efficienda committantur; ac tum solum divinae providentiae immediata adsit actio, quum vel creata agentia nulla sunt, vel, si quae sunt, viribus ad opus idoneis destituuntur. Jam vero in rerum exordio putandum est, Deum usitatum sibi agendi modum servasse, cum praesertim tunc et providentiae futurae ordo statueretur et inciperet, et ad mundi finem hic agendi modus maxime conduceret, atque adeo, inditis materiae viribus et legibus, his rerum explicationem permisisse. Hac vero agendi ratione, quae a priori, ut ita dicam, arridet, reipsa Deum usum esse, haud levia a posteriori suadent indicia. Montium, qui continuo in maris profundo aedificantur eorumque qui recentiori aetate constituti apparuerunt, molitionem cum iis, qui pluribus ab hinc saeculis extant, comparantes, eundem ordinem, eadem strata, easdem leges (1) videmus in utrisque servatas; nonne ergo ex inductione arguere licebit, hos quoque sicuti illos iisdem fuisse naturae viribus formatos? Quomodo diluvium et aliae telluris commotiones et perturbationes ita agere potuerunt, ut terrae et montium molitio quoad strata, conchas marinas et animalium cadavera, herbas et arbores in saxum conversas, quibus referta sunt, adamussim et semper *fortuito* responderet ordini et legibus, quibus nunc naturae viribus ex

---

(1) Has leges magistraliter expositas cf. cum in ceteris A. Stoppani operibus tum praecipue in praeclaro illo, *Aria ed Acqua, ossia la purezza dei mari fino dai primordii della creazione.* — De hac quaestione generatim cf. Wiseman *Conferenze sopra la connessione della scienza colla religione rivelata;* Pianciani *Cosmogonia naturale comparata col Genesi;* Reusch *Bibel und Natur;* Stoppani *Sulla cosmogonia Mosaica, triplice saggio etc.*

terrae et montium existentium destructione nova tellus et montes conduntur? His aliisque moti rationibus postremam sequimur sententiam; cui si valedicere difficultas aliqua insolubilis sive theologica sive physica jusserit, integrum tunc nobis erit ex reliquis duabus unam aut alteram capessere.

Sectio II.

DE HOMINE.

327. Universo constituto et exornato incolam et regem praefecit Deus hominem «ingenii divini curam, manuum Dei operam, molitionis suae regem, liberalitatis suae haeredem» (1). De hoc, qui totius mundi visibilis est centrum, vicarius naturalis relate ad Deum, illius interpres, lingua, sacerdos, per quem jugis illa laus, quam sine fine rerum universitas Deo exhibet, est offerenda, quatuor quaeremus: 1.° de ejus origine, 2.° de ejus natura, 3.° de ejus statu originali seu de elevatione, 4.° de ejus lapsu seu de peccato originali.

CAPUT I.

De hominis origine.

Caput hoc quatuor comprehendit articulos: 1.° de erroribus, 2.° de hominis creatione, 3.° de unitate generis humani, 4.° de animae origine.

ARTICULUS I.

Errores.

328. Errantes sunt 1.° de hominis origine in genere: *a)* Transformistae seu Evolutionistae, qui veterem errorem reno-

---

(1) Tertullianus *de resur. carnis*, c. 9.

vantes et expolientes (1), dicunt hominem non immediate a Deo creatum sed a quibusdam inferioris ordinis formis lento quodam progressu et evolutione prognatum fuisse. — *b)* Gnostici qui a Demiurgo; — *c)* Manichaei qui a principio malo hominem derivant. — *d)* Praeadamitae qui, duce saec. 17. Isaaco Peyrerio natione Gallo et religione calvinista, ex ipsis Scripturis probare tentarunt, Gen. 1, 56 etc. narrari creationem primorum hominum, ex quibus ethnici prodierunt quique igitur ante Adamum et Evam exstiterunt; et Gen. 2, 7 etc. exhiberi Adami et Evae, Hebraeorum protoparentum, formationem, a priori creatione longo saeculorum intervallo distantem. Peyrerius tamen a multis solide confutatus falsam suam opinionem una cum Calvinismo Romae coram Pontifice ejuravit. — Parum ab hoc errore distat alter recentiorum, qui commenti sunt, plura hominum paria in diversis regionibus vel a Deo condita esse, vel exstitisse, qui Coadamitae audiunt.

2.° Speciatim vero quoad animam: *a)* Pantheistae, qui animas ex ipsa Dei substantia emanare asserunt. — *b)* Traducianismus, qui animam de substantia parentum repetit, quique iterum duplex distinguitur. Nonnulli animam ex semine *corporali* parentum generari dicunt, alii ab anima parentum, ipsi animae quoddam *spirituale* semen tribuentes. Hunc traducianismum spiritualem aliqui vocant Generatianismum, ut illum distinguant a materiali, cui nomen Traducianismi relinquunt. — *c)* Praeexistentianismus, quem inter gentiles tenuit Plato, inter Judaeos Philo cum secta Essaenorum, inter Christianos Origenes et Priscillianus, docet, saltem ut exponitur a Christianis, omnes animas e nihilo creatas esse tempore, quo creati sunt angeli, atque ob peccata, in hoc statu commissa, a Deo in corpora ut carceres detrudi. Quam sententiam alii deinde ita mitigarunt, ut animas initio conditas in corpora nascentium divinitus mitti statuerent.

Contra hos errores doctrinam catholicam de hominis origine sequentibus vindicabimus propositionibus.

---

(1) Aristoteles (*de Generat. Anim.* l. 3) haec habet: « Quare et de hominum ac quadrupedum ortu non absurde quis coniiciat, si olim ex terra editi sunt, id duorum modorum altero evenisse, aut ut ex verme primum existerent, aut ex ovis ederentur. Quare si quid initium existendi animantibus fuit, id altero de duobus modis contigisse, compertum est. »

ARTICULUS II.

De hominis creatione.

329. Prop. 39. **Primi parentes etiam quoad corpus a Deo immediate conditi sunt.**

Hac propositione excluditur progressiva hominis ex brutis, a quibus proinde homo non differret specie, sed gradu perfectionis, explicatio.

I. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... et creavit eum* (Gen. 1, 26. 27); deinde fusius modus hujus formationis describitur (Gen. 1, 7): *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Sensus vero naturalis horum textuum est, Deum limum, quem antea creaverat, disposuisse in organismum, cui infudit animam rationalem. Et re quidem vera cum dicitur: Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, illud *inspiravit* juxta omnes intelligitur de actione Dei *immediata,* qua animae auctor fuit; ergo et verbum *formavit* in priori inciso ita intelligendum est, ut *immediatam* Dei actionem quoad corpus significet. Insuper omnes, si unum excipias Cajetanum, admittunt 2, 21. sq. *immediatam* Evae productionem describi. Atqui sicut ipsa dicitur de *viro sumpta* Gen. 2, 23, ita Adam dicitur de *limo terrae formatus* 2, 7, et *de terra sumptus* 3, 19: ergo *immediata* Dei actione de terra et limo productus est; quod innuere videtur et ipsum nomen *Adami,* qui ex Adamah, terra, dictus est, quod ex ipsa sit productus, sicut Eva dicta est *virago, quoniam de viro sumpta est.* (Gen. 2, 23.)

Ad hanc immediatam hominis formationem saepe alludit Scriptura etiam in aliis locis. *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu..... memento quaeso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me* (Iob. 10, 8. 9); et: *Sum quidem et ego mortalis homo.... et ex genere terreni illius, qui prior factus est* (Sap. 7, 1).

Haec interpretatio sive quoad Adami sive quoad Evae formationem totius antiquitatis christianae consensu confirmatur.

330. II. Remanet ut judicium de Transformistarum theoria ex rationis principiis feratur. Iuxta alios materia vi quadam sua

prius in organicam ex inorganica transiit; tum in organismum coaluit, ac primum imperfectiora animalia extiterunt, quae successivis mutationibus diversas formas induerunt, quibus continetur series animalium, donec tandem ex ultima minusque imperfecta forma gradus factus est ad formam humanam, quae idcirco originem suam repetit a materia inorganica transformata per vim naturae. Alii quasdam admittunt formas primitivas, quas *prototypa* vel *protorganismos* vocant, quorum vitae originem se penitus ignorare fatentur, ex quibus progressiva evolutione cetera animalia ipseque homo formatus est. Causam vero hujus successivae transformationis unius speciei in aliam referunt omnes primario in novas necessitates ac nova desideria, quae experiatur animal, a quibus determinatur exercitium suorum organorum suarumque facultatum tale, ut tandem aliquando organa mutentur, et una mutentur facultates, atque ita novum existat animal (1).

At *a)* necessitates et appetitus quae in brutis esse solent, determinantur ab ipsa natura, ipsisque facultatibus, quibus idem constituitur; nequit proinde brutum experiri necessitates et desideria quae non sint conformia suae naturae, quaeque in ipsa rationem sui ultimam non habeant.

b) Non solum constanti edocemur experientia plantam nonnisi a planta, sed etiam pisces nonnisi a piscibus, ab avibus aves, ab equo equum oriri; nempe generatim animalia non aliter nisi ex individuis ejusdem speciei propagari, seu species esse constantes et immutabiles.

c) Historia constat, animalia eandem formam, eosdem mores retinuisse, uti patet ex sculpturis antiquissimis Aegyptiorum, ex iis quae in Scripturis sacris occurrunt de quibusdam animalibus, ex historia animalium Aristotelis, ex similitudinibus Homeri, etc. Cur haec transformatio a tot saeculis desiit? Adiuncta non sunt mutata, non est mutatus ordo physicus: si est ergo lex naturae vel saltem secundum naturam ut hae transformationes in certis adiunctis fiant, nulla ratio afferri potest, cur aliquando imo saepe non contingant.

---

(1) Praeter hoc medium, alia excogitaverunt Darwinistae ut e. g. *illud selectionis naturalis, luctae propter vitam, selectionis sexualis* etc. Cf. Mazzella *de Deo Creante* n. 500 et sq. ubi haec inania esse demonstrat, et Monsabré op. cit. *Confer.* XIII et XVI.

d) In stratis telluris multae reliquiae plantarum et animalium inveniuntur, quin tamen ullum sit vestigium sive formarum primitivarum, sive transitionum intermediarum a formis imperfectis ad perfectiores; imo fossilia definitos characteres exhibent.

e) Speciatim vero quod spectat ad transformationem scimiae in hominem, animadvertunt philosophi naturales ea intercedere discrimina scimiam inter et hominem, etiam solius corporis habita ratione, quae transformationi hujusmodi repugnent.

f) Tandem data et non concessa possibilitate hujus transformationis sequeretur ne inde, omnium animalium species ex una vel pluribus formis primitivis imperfectissimis provenire? Nonne saltem *potuisset* Deus ipse ab initio varias species constituere? Nonne praesertim potuisset ipse hominem in statu perfecto sine ullo evolutionis processu *immediate* condere? Id autem factum esse supra ostendimus.

ARTICULUS III.

De unitate generis humani.

331. Prop. 40. **Universum genus humanum ab Adam et Eva omnium protoparentibus propagatum est.**

Est contra Praeadamitas et Coadamitas.

I. Facta descriptione omnium, quae sex diebus fecerat Deus, dicitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.* (Gen. 1, 27). Capite vero 2. Moyses manifeste redit ad ea quae cap. 1. enarraverat, et enucleatius exponit hominis creationem, quam cap. 1. breviter tantum attigerat. Ergo ejusdem hominis describitur formatio tum 1, 27. tum 2, 7. Et sane, antequam incipiat accuratiorem descriptionem *modi* quo Adam et Eva formati sunt, dicit: *Et homo non erat qui operaretur terram* 2, 5: hoc porro falsum esset, si jam ante Adamum alii homines extitissent. Deinde formato Adamo Deus dixit: *Non est bonum esse hominem solum*: *faciamus ei adiutorium simile sibi* 2, 18, et ib. 20. dicitur: *Adae vero non inveniebatur adiutor similis ejus.* Ergo nullus antea existebat homo. Insuper Eva vocatur *mater cunctorum viventium* 3, 20: ergo. Ex his omnibus patet, eundem esse hominem, de quo sermo est 1, 27 et 2, 7, et ante hunc nullum alium

extitisse. — In libro Sap. (10, 1) dicitur de Adamo: *Haec* (sapientia) *illum, qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit.* — Hanc veritatem supponit Paulus (Rom. 5, 12), ubi agit de propagatione peccati originalis, diserteque docet in Areopago (Act. 17, 26): *Fecit* (Deus) *ex uno genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum.*

332. II. De Patrum et scholasticorum mente testis est ipse Peyrerius, qui in epist. ad *Philotimum* scribit: « Fateor me non latuisse hypothesim, quae mihi venit in mentem de primis hominibus ante Adamum conditis, diversam poenitus abiisse ab opinione ss. Patrum, nec non aberravisse a toto orthodoxorum canone; totamque doctrinae fabricam de homine lapso et redempto fundatam fuisse a Patribus et Conciliis super hypothesi de Adamo, primo omnium hominum formato. »

333. III. Scientiarum naturalium testimonio eadem veritas confirmatur. *a)* Omnes antiquae anthropogoniae et traditiones omnium populorum, quamvis fabulis defiguratae, anthropogoniam Mosaicam referunt.

b) Historiae omnes, quae coloniarum transmigrationes ex Asia Chaldea, Phoenicia, Aegypto, Graecia, etc., narrant, testes saltem sunt populos omnes, ex tenui principio exortos, paulatim excrevisse, et originem communem habuisse. Neque obstat, quod aliqui populi *aborigenes* vel *authocthones* dicti sint, quia constat hanc fabulam ortam esse ex quadam gloriolae cupidine, qua ducti decertare inter se de antiquitate coeperunt, et quia cum hac fabula simul retinebant iidem populi signa et traditiones quasdam de communi omnium origine.

c) Philologia docet, linguas, de quibus hucusque studium comparativum institui potuit, ita esse affines, ut ex uno fonte fluxerint, quod praejudicium est maximum, studiis quoque, quae de aliis linguarum familiis suscipientur, unitatem generis humani veritatemque confirmatum iri verborum Scripturae: *Erat tunc terra labii unius.*

d) Tandem experientia et testimonio naturalistarum constat, *characterem speciei unius* (1) esse filiationem perennem et simi-

(1) Species est collectio individuorum similium ab uno stipite descendentium

litudinem. Atqui ex unione cujuscumque stirpis (razza) hominum habetur propagatio sine fine, dum e contra coniunctiones inter individua diversae speciei vel sunt omnino steriles, vel steriles fiunt post unam aut alteram generationem. — Similitudo vero, quae jam in filiatione continetur, constituitur characteribus *specificis,* qui penes omnia individua ejusdem speciei iidem reperiuntur, cujusmodi sunt eadem structura corporis anatomica, idem vitae terminus, eadem ad aegrotandum dispositio morborumque communitas, idem inter certos limites corporis color, medius pulsuum venarum numerus, eaedem partus leges, eaedem animi facultates. Ista vero similitudo specifica non tollitur quibusdam varietatibus seu differentiis accidentalibus, quae imo majores obtinent in aliis quoque speciebus brutorum et plantarum, quaeque explicari commode possunt causis physicis et adiunctis diversis, in quibus versantur homines.

334. Ad solvendas Peyrerii cavillationes, haec advertantur. 1.° Quamvis filii Adae nominentur expresse soli tres Cain, Abel et Seth; alios tamen filios certe habuit Adam, cum (Gen. 5, 4) de eo dicatur quod genuit filios et filias et vixit annos nongentos et triginta. 2.° Cum Cainus occiderit Abelem circa annum mundi centesimum et trigesimum, credibile est eo tempore multos fuisse Cain fratres, filios et nepotes. 3.° Non certe ante annum mundi 400 Cain Henochiam condidit. Vel his animadversionibus evanescit difficultas petita ex eo quod Abel dicatur pastor, Cain agricola, quod Dominus posuerit Cain signum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniret eum, quod ex nomine filii sui aedificaverit Henochiam etc.

335. Scholion. Ex dictis sequitur, originem humani generis antiquiorem non esse epocha a Moyse assignata. Etsi enim sacra et traditionalis humani generis chronologia non ita sit determinata, ut libere juxta quosdam limites vagari prohibeat (1): haud

---

per successionem non interruptam familiarum. Jam vero inter individua cujuscumque speciei sive plantarum, sive animalium, sive speciei humanae, datur quaedam diversitas; si haec diversitas sit notabilis, constans, transfusa per generationem, habetur *stirps.*

(1) Juxta textum Hebraicum, quem sequitur *Vulgata,* a creatione hominis usque ad Christi nativitatem 4004 effluxissent anni; juxta versionem septuaginta 5386. Cf. etiam Monsabré, *op. cit. Conf.* XIII.

tamen licet, juxta recentiorum quorundam placita, limites illos omnino praetergredi. Quae ex historia Aegyptiorum, Sinensium, Chaldeorum, Indorum opponebantur, communiter nunc ut falsa repudiantur; quae ex Astronomia et Geologia, ex inventis in stratis terrae ossibus humanis etc., obiici solent, partim *mundi* tantum et non hominis antiquitatem ostendunt, partim hypotheses sunt, quae certo fundamento carent (1).

ARTICULUS IV.

De animae origine.

336. Prop. 41. **Rejecta pantheistarum et traducianorum opinione, tuemur animas humanas a Deo creari, et tunc creari, cum juxta praestitutum naturae tempus corporibus infunduntur.**

Demonstr. i. p. Quod anima humana ab ipsa Dei substantia non sit educta, ita demonstrat Augustinus: « Non est pars Dei anima.... Quod si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius; nec aliquid in semetipsa inciperet habere quod non habebat, vel desineret habere quod habebat, quantum ad ejus ipsius affectiones pertinet. Quam vero aliter se habeat, non est opus extrinseco testimonio: quisquis semetipsum advertit, cognoscit » (2).

337. Demonstr. ii. p. De ea traducianismi forma, quae tenet animas ex semine corporali produci, ita statuit s. Thomas: « Impossibile est virtutem activam quae est in materia, extendere suam actionem ad producendum immaterialem effectum. Manifestum est autem quod principium intellectivum in homine est principium transcendens materiam; habet enim operationem in qua non communicat corpus. Et ideo impossibile est quod virtus quae est in semine, sit productiva intellectivi principii, » et: « Ponere animam intellectivam a generante causari, nihil est aliud quam ponere eam non subsistentem, et per consequens corrumpi eam cum corpore. Et ideo haereticum est dicere, quod anima intellectiva tra-

---

(1) Cf. Mazzella n. 567 sq. — (2) *Epist.* 166. §. 4. Alia argumenta legas apud s. Thomam c. g. l. 2. c. 85.

ducatur cum semine » (1). Ceterum hic error iis refutatur argumentis, quibus simplicitas animae et spiritualitas vindicatur.

338. Altera vero Traducianismi forma subtilior (Generatianismus), qua animae filiorum ab *animabus* parentum propagari dicuntur, contradicit simplicitati animae, quae importat indivisibilitatem. Repugnat enim ut anima parentum utpote partibus carens in partes disecetur et discerpatur. Insuper declarari nullo modo potest, an anima ex solo patre, vel ex sola matre, vel ex ambobus traducatur. — Neque admitti potest, animas uti corpus a parentibus per vim peculiarem sibi a Creatore inditam, generari. Nam per vim illam assignatur causa *efficiens* animae, non vero causa materialis: haec si nulla sit, vere habetur *creatio*. Porro omnium esse solum Deum creatorem, ipsique soli vim competere creandi, alibi demonstratum est (2).

Quomodo vero doctrina traditionis sese habeat ad hanc sententiam, ex dicendis in 3.ª parte thesis apparebit, quae omnia huc etiam spectant.

339. DEMONSTR. III. P. *a)* ex Patribus. Concedimus nullum ex Scriptura afferri posse ad rem conficiendam testimonium disertum; concedimus pariter inter Patres plures dubios circa han cquaestionem haesisse (3); attamen his sepositis, qui utpote dubii neutri favent

---

(1) 1. q. 118. a 2.

(2) Nonnulli eam Generatianismi opinionem restituerunt, cujus meminit s. Thomas, juxta quam anima filiorum sensitiva derivatur a parentibus, at postea ea evadit intellectiva *per virtutem Dei de foris illustrantem.* Contra quam ita argumentatur s. Doctor: « Aut id quod causatur ex actione Dei (illustrantis animam sensitivam ut fiat intelligens) est aliquid subsistens; et ita oportet, quod sit aliud per essentiam a forma praeexistente (nempe ab anima sensitiva derivata etiam juxta s. Thomam a parentibus), quae non erat subsistens; et sic redibit opinio ponentium plures animas in corpore. Aut non est aliquid subsistens, sed quaedam perfectio animae praeexistentis: et sic ex necessitate sequitur, quod anima intellectiva corrumpatur corrupto corpore, quod est impossibile. » 1. q. 118. a. 2. Cf. prop. 20 et 21 Rosmini.

(3) Augustinus modeste fatetur se evidenter non cognoscere hujus quaestionis solutionem: « De origine animarum, quae post primum hominem datae sunt vel dantur hominibus, non sum ausus aliquid definire, quia fateor me nescire. » *De orig. animae* l. 4. c. 2. Ratio dubitandi Augustino erat difficultas inde orta quoad propagationem peccati originalis, unde scribit: « Illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam non oppugnat, sit et mea; si oppugnat, non sit et tua. » Epist. 166 *ad Hier.* Gregorius vero M. epist. l. 9. ep. 52 *ad Secundinum* scribit: « Dulcissima mihi tua charitas sciat, quia de origine animae inter ss. Patres requisitio non parva

opinioni, vix unus alterve est, qui tuetur animam ex *traduce* gigni, cum contra *innumeri primique subsellii* doctores, uti Cyprianus, Clemens Alex., Gregorius Naz., Caesarius, Cyrillus Alex., Ambrosius, Leo Magnus, Hieronymus *diserte* tradunt, animas ex nihilo creari. Si itaque ex Patrum auctoritate sententia ferenda est, animarum origo creationi adscribenda est (1).

b) Ex sensu Ecclesiae. In simbolo a Leone IX. († 1054) proposito Petro Ep. habetur: « Animam non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam et absque baptismate originali peccato obnoxiam credo et praedico. » Benedictus XII exegit ab Armenis, qui cum Ecclesia catholica conciliari cupiebant, ut inter alios damnarent errorem « quod anima humana filii propagatur ab anima patris, sicut corpus a corpore, et angelus etiam unus ab alio; » qui error in synodo Armenorum damnatus fuit, « quia Ecclesia Armenorum sicut semper credidit, ita idem credit, quoniam animae creantur noviter a Deo, et in tempore animandi simul fit creatio de novo a Deo et positio in corpore. » In conc. Later. V. anima declaratur « immortalis et pro corporum, quibus *infunditur*, multitudine singulariter multiplicabilis. » Alexander VII in const. *sollicitudo omnium ecclesiarum* eorum tuetur pietatem fidelium, qui sentiunt bb. Matris V. « animam in primo instanti *creationis* et infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio intuitu meritorum J. Christi a macula peccati originalis praeservatam immunem. »

---

versata est, sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit: eamque in hac vita indissolubilem fassi sunt quaestionem. Gravis enim est quaestio, nec valet ab homine comprehendi, quia si de Adami substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne, quae de Adam prolata est, obligata peccatis tenetur? Sed cum sit hoc incertum, illud incertum non est, quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta. »

(1) Horum testimonia legas apud Hurter in ss. PP. *Opusc. Select.* vol. 25. *Annot.* 5, vel in *Comp. Theol. Dogm.* th. CXV. Hieronymus e. g. lib. *cont. Joan. Hierosolym.* n. 22 dicit: « Deus quotidie fabricatur animas; » et hanc sententiam vocat « ecclesiasticum (scil. dictum) secundum eloquia Salvatoris. » Leo M. ep. *ad Turrib.* scribit: « catholica fides a corpore suae unitatis abscidit Priscillianistas, constanter praedicans, atque veraciter, quod animae hominum, priusquam suis inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur nisi ab opifice Deo, qui ipsarum est creator et corporum. »

c) Ex consensu theologorum. Sententia haec a tempore scholae evasit vere *communis* in Ecclesia. S. Thomas docet eam *esse judicio Ecclesiae approbatam;* s. Bonaventura censet *eam esse catholicam et veram;* Canus asserit ad *fidem pertinere;* theologi generatim contrariae doctrinae notam erroris vel temerarietatis inurunt.

d) Ex ratione. Substantia simplex quoad quantitatem et essentiam nequit fieri nisi per creationem. Non enim fieri potest ex subiecto aliquo, esset enim tunc ejus modus, substantia vero non est modus; neque fieri potest per compositionem plurium ex quorum unione resultet; simplex enim quoad quantitatem et essentiam nullo modo ex partibus exurgit. Restat ergo ut fiat ex nihilo h. e. ea actione producatur quae totam ejus realitatem prius non existentem totaliter efficiat, quae est actio creativa. Ergo anima quae talis substantia est, creatione producitur.

340. Demonstr. iv. p. Asserta creatione animae, etiam quaestio de tempore solvitur, si rejicitur Praeexistentianismus sub duplici forma, qua proponitur.

Jam vero 1.° Praeexistentianismus prout defenditur ab Origene, contradicit *a)* Scripturae, quae docet omnia, quae Deus initio creavit, ergo etiam protoparentes, fuisse valde bona; infantes nullo peccato actuali inquinatos esse (Rom. 5, 14); et homines, antequam nascantur, nil boni vel mali fecisse (Rom. 9, 11).

b) Traditioni, et quidem *α)* Patribus qui sententiam illam ut *absurdissimam, stultam, vesanam* explodunt, *β)* Conciliis, quae illam damnarunt. Ita decretum primum Synodi V. ita habet: « Si quis fabulosam animarum praeexistentiam, et quae ex illa consequitur, monstruosam restitutionem asseruerit, a. s.; » et Bracarense II (an. 563) contra Priscillianistas statuit: « Si quis animas humanas dicit prius in coelesti habitatione peccasse et pro hoc in corpora humana in terram dejectas, sicut Priscillianus dicit, a. s. »

c) Sensui intimo, qui hujus vitae praeteritae et culpae in ea commissae non est conscius, cum tamen conscius esse deberet, si praesens vita esset emendationis stadium pro vita anteacta.

2.° Praeexistentianismus vero mitigatus, absque nempe errore praecedentis peccati generatim rejicitur argumentis allatis in 3.ª parte; Patres enim, quos adduximus, Scholastici et theologi

non utcumque docent animarum creationem, sed eas tunc creari cum corporibus infunduntur. Ad hunc etiam excludendum hoc affert argumentum s. Thomas; « Si enim animae naturale est corpori uniri, esse sine corpore est sibi contra naturam, et sine corpore existens non habet suae naturae perfectionem. Non fuit autem conveniens ut Deus ab imperfectis suum opus inchoaret, et ab his quae sunt praeter naturam; non enim fecit hominem sine manu, aut sine pede, quae sunt partes naturales hominis; multo igitur minus fecit animam sine corpore. Si vero aliquis dicat, quod non est naturale animae corpori uniri, oportet inquirere causam quare sit corpori unita. Oportet autem dicere quod aut hoc sit factum ex ejus voluntate, aut ex alia causa. Si ejus voluntate, videtur hoc esse inconveniens. Primo quidem quia haec voluntas irrationalis esset, si non indigeret corpore, et vellet ei uniri; si enim eo indigeret, naturale esset ei quod corpori uniretur, quia natura non deficit in necessariis. Secundo quia nulla ratio esset quare animae a principio mundi creatae, post tot tempora voluntas accesserit ut nunc corpori uniatur: est enim substantia spiritualis supra tempus, utpote revolutiones coeli excedens. Tertio quia videretur e casu esse quod haec anima huic corpori uniretur; cum ad hoc requiratur concursus duarum voluntatum, scilicet animae advenientis et hominis generantis. Si autem praeter voluntatem ipsius corpori unitur, et praeter ejus naturam, oportet quod hoc sit ex causa violentiam inferente: et sic erit poenale et triste; quod est secundum errorem Origenis, qui posuit animas incorporari propter poenam peccati » (1).

CAPUT II.

De hominis natura.

341. Natura humana duplici constat elemento, anima spirituali et corpore organico. Quae de utroque scitu digna sunt, praesertim de animae humanae simplicitate, spiritualitate, liber-

---

(1) 1. q. 118. a. 3.

tate et immortalitate, ex philosophicis disciplinis supponimus, et quatenus argumentis etiam theologicis evincuntur, sparsim hinc inde in aliis tractatibus attinguntur. Unam tantum hoc capite quaestionem agitamus, utrum scilicet una sit hominis anima, an plures. Licet vetus sententia platonica, Manichaeorum, Apollinaristarum de triplici anima in homine, vegetativa, sensitiva et intellectuali, post definitiones conciliorum Constantinopolitani IV (a. 869) et Viennensis, pene obsoleverit; recentiori tamen tempore ea rursus sub varia forma proposita est, ac si de quaestione mere philosophica ageretur. Alii errorem plane obliteratum, qui *trichotomia* dici solet, renovarunt; alii cum Antonio Günther distinxerunt inter animam *(ψυχή)* vegetativae simul et sensitivae vitae principium, et spiritum *(πνεῦμα)*, qui sit rationalis vitae principium: qua doctrina verbo tenus dualismus quidem hominis asseritur, implicite tamen trichotomismus statuitur.

Doctrina catholica de natura humana continetur sequenti

342. Prop. 42. **Homo duplici constat elemento, anima et corpore, quae ita substantialiter uniuntur ad efformandam unam personam et unam naturam, ut anima eaque rationalis sit vera, per se, atque immediata corporis forma.**

Demonstr. I. p. I. *a) Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem* (Gen. 2, 7). Duo hic enumerantur elementa, quibus homo constat, limus terrae et spiraculum vitae seu anima vivens. Hoc autem spiraculum vitae, quod corpori vita omni carenti est ratio vivendi, est ipsa anima rationalis; nam homo in animam viventem factus, nullo alio elemento commemorato, est homo factus ad imaginem et similitudinem Dei, est homo qui praeest et dominatur cunctis animantibus, ut illic narratur. Ergo duobus elementis, corpore et anima rationali eaque unico vitae principio, absolvitur homo. — *b)* Idem colligitur ex resolutione hominis, quae describitur apud Ecclesiastem illis verbis: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum* (12, 7). Etiam hic duo tantum elementa memorantur, pulvis et spiritus; spiritus autem, qui ad Deum redit, est immortalis ac proinde intelligentia praeditus. Ergo. — *c)* Ex aliis locis: *Nolite timere eos, qui occi-*

dunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (Matth. 10, 28); (cf. etiam ibid. 27, 50; Luc. 8, 55). In quibus omnibus duo solum ponuntur, corpus et *anima*, quam homines non possunt occidere, seu immortalis, vel *spiritus:* si autem principium vivificans corpus est anima immortalis, spiritus; nulla alia, praeter illam, anima agnoscitur in homine.

343. II. *a)* Idem jam ante *exortam haeresim Apollinaris* tradunt Patres. Ita Irenaeus: « Mortale corpus est, nam non potest esse mortalis anima, quia est flatus vitae. Hic flatus vitae est anima immortalis, quemadmodum ait David: et anima mea vivet ei » (1). – *b)* Post *exortam haeresim Apollinaris,* quae statuebat in Christo esse quidem animam sensitivam sed non rationalem, ejus vices supplente Verbo, clarius et disertius tuentur *dichotomiam* Patres. Gennadius: « Neque duas animas credimus esse in homine.... unam animalem, qua animatur corpus et quae immixta sit sanguini, et alteram spiritualem; sed dicimus, unam eandemque esse animam in homine, quae et corpus sua societate vivificat et semetipsam sua ratione disponet » (2). S. Leo in ep. *ad Flavianum:* « Verbum caro factum est et habitavit in nobis: h. e. in ea carne, quam assumpsit ex homine et quam *spiritu vitae rationalis animavit.* » – *c)* Concilium oecum. VIII. (Constpn. IV) statuit « unam animam rationalem habere hominem, » eosque reprobat « qui in tantum impietatis devenerunt, ut duas habere animas impudenter dogmatizzare pertentent. »

344. III. Sensus intimus testatur identitatem ejus qui sentit, qui cogitat, qui vult, eundemque esse qui videt, qui de visione ratiocinatur, qui vult videre. Atqui id fieri non posset, si duo essent principia distincta, alterum sentiendi, alterum intelligendi, quia tunc actus sensationis et cogitationis manerent in duobus distinctis subiectis, quorum unum non est aliud. Ergo. — Neque obstat lucta inter hominem animalem et spiritualem, quam Günteriani maxime urgent; nam illa potius nobis favet quam ipsis, quippe quae facile explicatur ex diversis inclinationibus ejusdem animae, intelligi vero non potest inter duas diversas animas.

345. Demonstr. ii. p. Haec duo elementa corpus et anima non

---

(1) *Adv. haer.* l. 5. c. 8. — (2) *De Eccl. Dogm.* c. 15.

unione accidentali sed substantiali coniunguntur. Substantialis enim est unio, cum duae substantiae copulantur ita, ut una nova exsurgat substantia composita. Atqui ex unione animae cum corpore una nova exsurgit composita substantia, et quidem juxta duplicem significationem vocis substantia pro *natura* nempe et pro supposito seu *hypostasi.* Ergo.

Resultat *una persona.* Ibi est una persona, ubi uni eidemque subiecto tribuuntur tum quae ad animam tum quae ad corpus pertinent; primum enim subiectum attributionis est suppositum. Atqui sive ex Scriptura sive ex communi loquendi usu *unum idemque est* subiectum, quod *secundum corpus* dicitur nasci, nutriri, mori, resurgere, etc., et illud, quod secundum animam dicitur intelligere, credere, amare Deum, etc.; Ergo.

Resultat *una natura.* Ibi est una natura, ubi est unum principium operationum, cum ea nihil aliud sit nisi essentia accepta ut primum operandi principium. Atqui operationum vitae sensitivae unum est principium, quod neque sola anima est neque solum corpus, sed esse resultans ex utroque. Ergo ex horum unione unum fit operandi principium, seu una natura, quod ceteroquin passim tradunt Patres.

346. Demonstr. III. p. In hac unione, qua corpus et anima ad *unum esse substantiale* constituendum concurrunt, anima rationalis perficit corpus illudque ad speciem *esse humani* determinat. Atqui juxta modum loquendi scholae ab ipsa Ecclesia receptum, id quod est imperfectum et in potentia ad recipiendum in se aliquam perfectionem dicitur *materia,* et principium perficiens determinans et actuans materiam ad certum esse alicujus speciei aut ad certam perfectionem, dicitur *forma.* Ergo. Porro *forma* alia est *substantialis,* alia *accidentalis.* Substantialis est, quae dat esse naturae compositae, accidentalis vero, quae supervenit rei jam constitutae, eique tribuit aliquam qualitatem, e. g. velocitatem equo. Patet, animam esse formam *substantialem,* cum det simpliciter *esse homo,* non ut sit talis homo sive bonus sive malus, communicando corpori vitam, qua nihil intimius et magis substantiale viventibus. Anima est *vera* forma *corporis,* i. e. forma est sensu proprio, non metaphorico, quae coniuncta corpori illud determinat ad constituendam cum ipsa novam naturam. Est *per se, immediate et essentialiter* forma corporis, non per acci-

dens aut per aliam animam mediam, sed per essentiam suam et *naturaliter* habet hanc aptitudinem ut sui communicatione, nullo mediante, corpus informet.

347. Merito igitur conc. Viennense (a. 1311) sub Clemente V. definivit: « Doctrinam omnem seu positionem temere asserentem aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae, vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicae inimicam fidei, sacro approbante concilio, reprobamus: definientes, ut cunctis sit nota fidei sincerae veritas ac praecludatur universis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisque deinceps asserere, defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod *anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter*, tanquam haereticus sit censendus. » Idem docetur in conc. Later. V. sub Leone X. et a Pio IX. (lit. *ad Card. Geissel* 15 Jun. 1857), in qua anima rationalis dicitur *vere per se atque immediate corporis forma;* et iterum in ep. ad *Ep. Wratislav.* 30 Apr. 1860.

348. Scholion. Quae hucusque disputavimus pertinent *ad fidem catholicam.* Iuxta s. Thomam vero anima est ita forma corporis ut coniuncta cum materia prima det corpori ipsum esse corporis, adeoque sit etiam forma corporeitatis. Scotus cum sua schola aliique non pauci scholastici aliter censent; licet et hi concedant corporeas substantias constare materia prima et forma substantiali, et quoad substantias inorganicas cum ceteris consentiant, cum tamen ad viventia ventum est, volunt subiectum, quod anima informatur, esse corpus jam sua materia et forma corporeitatis constitutum; ideoque animam dare quidem esse vivens, non vero esse corpus. Inter recentiores sententiam s. Thomae tuetur Zigliara (1) oppositam Palmieri (2), apud quos conferas argumenta pro utraque.

---

(1) *De mente Concilii Viennensis.*
(2) Inst. phil. *Anthrop.* th. 12 cum append., et *de Deo creante* th. 33.

CAPUT III.

De statu originali protoparentum, seu de elevatione naturae humanae ad ordinem supernaturalem.

349. Naturalem hominis excellentiam Deus inexhausta bonitate donis supernaturalibus cumulavit, et ita genus humanum in primo parente supra creaturae conditionem ad statum quendam evexit, in quo divinae ipsius consors efficeretur naturae. De huiusmodi elevatione, a cuius genuina notione intelligentia status naturae lapsae et status naturae per redemptorem reparatae errorumque circa utrumque pendet, tractaturi, agemus: 1.° de quibusdam praenotionibus, 2.° de erroribus, 3.° de donis protoparentibus collatis ac de eorundem supernaturalitate.

ARTICULUS I.

Notiones praeviae.

350. In hoc articulo quaeritur 1.° quid sit *natura, naturale, supernaturale* et quotuplex; 2.° quid sit *finis* et *status* et quotuplex.

351. I. Cum supernaturale, iuxta vim vocis, significet quod est supra naturam; ad illius intelligentiam inquirendum est quid sit natura et naturale.

Natura significat *a)* a *nascendo* originem, nativitatem; *b)* essentiam alicuius rei, et pressius ipsam rei substantiam prout est principium actionis et subiectum capax passionis; *c)* totum complexum substantiarum creatarum, accidentium et virium, quae illas consequuntur, aut ab illis exiguntur.

A natura, *naturale* dicitur *a)* id quod nativitatem vel originem comitatur, et idem est ac *originale*, quo sensu dicimur (Eph. 2, 3) natura filii irae, et iustitia originalis dici potest naturalis; *b)* id quod est naturae *consentaneum*, eam ornat atque perficit, et opponitur ei quod est *contra naturam*, quo sensu dona collata

Adamo certe naturalia sunt; *c)* id quod naturam iuxta duplicem aliam eius significationem vel *constituit*, vel quod ad essentiam constitutam *consequitur*, vel quod natura suis viribus assequi aut *efficere* potest, vel quod ab eadem *exigitur*, ne frustra sit, ut proprium finem assequatur. Huic acceptioni potissimum opponitur *supernaturale*.

352. *Supernaturale* itaque est id quod est supra naturam, altera et tertia acceptione sumptam, quod proinde neque ad naturam pertinet *constitutive*, neque *consecutive*, neque *dynamice*, neque *exigitive*, sed est *naturae superadditum et indebitum* (1).

Nihilominus quod ita indebitum est et supernaturale, potest tripliciter se habere:

a) Potest aliquod bonum universam creaturarum collectionem earumque capacitatem et vires praetergredi, naturamque perficere ultra ordinem suum, et hoc dicitur *simpliciter* seu *absolute* seu quoad *substantiam supernaturale*, quod quidem huiusmodi potest esse in se, ut Deus, vel per *participationem*, ut visio beatifica, gratia sanctificans etc.

b) Potest aliquod bonum intra sphaeram quidem naturae contineri, sed modo excedente naturam eiusque vires conferri, ut subita caeco visus restitutio, et hoc dici solet *supernaturale quoad modum*.

c) Potest aliquod bonum non deberi *determinatae* naturae, quin tamen excedat capacitatem *totius* naturae, ut immortalitas et immunitas a concupiscentia, quae indebita quidem sunt naturae humanae, non autem angelicae; et hoc dicitur *praeternaturale*.

353. Si itaque quod universam naturam non superat, sed aliquam tantum singularem, aut cuius modus tantum est indebitus, appellare lubet nomine praeternaturalis: adaequata omnis entis partitio erit in *naturale*, *praeternaturale* et *supernaturale*. Vel enim aliquid

---

(1) « Potest intelligi duplex debitum. Unum quidem *ex merito* proveniens, quod refertur *ad personam* (hinc personale), cujus est agere meritoria opera, secundum illud (Rom. 4, 4): *Ei qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam*. Aliud est debitum *secundum conditionem naturae* (hinc naturale), puta si dicamus debitum esse homini, quod habeat rationem et alia, quae ad humanam naturam pertinent.... Dona naturalia carent primo debito, non autem carent secundo; sed dona supernaturalia *utroque debito carent* et ideo specialius sibi nomen *gratiae* vindicant. » S. Thomas 1. 2. q. 3. a. 1.

est naturae debitum, vel est ei indebitum; si indebitum, vel tale est ratione modi aut subiecti, vel ratione sui et quoad substantiam; si primum habetur id quod dicitur *naturale;* si alterum habetur *praeternaturale;* si tertium denique, habetur id quod proprie dicitur *supernaturale,* quodque solum hominem supra ordinem totius naturae ad statum superiorem et divinum elevat.

354. Si praeternaturale cum naturali et supernaturali conferatur, pro diversa considerandi ratione, poterit modo naturalibus, modo supernaturalibus bonis accenseri, uti a theologis nonnunquam factum est. Si enim tamquam normam adhibeas quod est *debitum naturae,* praeternaturale referendum est ad supernaturalia; si vero normae instar habeas *perfectionem* quam affert, cum perfectio praeternaturalis ordine naturae tandem contineatur, et hominem ad ordinem superiorem non evehat, inter naturalia computandum erit. Proprium enim est medii de utroque extremo aliquid partecipare.

355. Denique commemoranda divisio in *intrinsece* et *extrinsece* supernaturale; illud est supernaturale in se, aliquo ex tribus modis indicatis; hoc licet in se naturale supernaturale dici potest, quatenus per extrinsecam deputationem ad finem supernaturalem ordinatur, ut v. g. passiones hujus temporis, quae in praesenti ordine ad finem ultimum a Deo diriguntur.

356. **Corollarium.** Ex dictis sequitur, supernaturalis notionem pervertere:

1.° Tum Bajum statuentem, ea non esse supernaturalia sed naturalia, quae *originem comitantur,* et *indignitatem* positivam postulari, ut gratiae dona censeri possint supernaturalia; nam supernaturale dicitur independenter a tempore, quo confertur, et est de natura *in se* spectata, non ratione peccati, quo forte inquinetur; tum Jansenium contendentem, rationem boni supernaturalis pugnare quidem cum debito ex *operibus* profecto, apte vero conciliari posse cum debito, quod ex *insita naturae conditione* dimanat; major enim est exigentia physica naturae, quam moralis operum: si igitur quod huic debetur non est supernaturale quia debetur, multo magis non erit supernaturale quod illi debetur. Insuper opera non sunt nisi ipsa natura operans: quare quod est operibus indebitum est quoque naturae indebitum, et quod naturae est debitum, nequit esse indebitum operibus ejusdem.

2.° Omnes illos, qui supernaturale confundunt *a)* cum *gratuito*, nam omne supernaturale est quidem gratuitum, sed non vicissim; *β)* cum *supersensibili*, sacramenta enim sensibilia sunt et tamen supernaturalia, et multae veritates religiosae sunt supersensibiles, non vero supernaturales; *γ)* cum *effectu immediate* a Deo producto, nam anima, quae immediate a Deo creatur, non est supernaturalis; *δ)* cum *miraculoso*, nam omne miraculosum est quidem supernaturale saltem quoad modum, non vero omne supernaturale est semper miraculosum, cum non sit insolitum, imo juxta leges constantes a Deo fieri soleat.

357. II. *Finis* ultimus hominis dicitur summus ille perfectionis gradus, qui naturae nostrae vota ita cumulate expleat, ut in ea conquiescamus tamquam in summo bono, ultra quod nihil jam appetamus (1). Hic ultimus finis, ex confessione omnium, qui a norma recte rationis non aberrant, constitutus esse non potest nisi in cognitione Dei supremae veritatis et amore Dei summi boni ita, ut destinatione intellectus et voluntatis ad verum et ad bonum plene satisfiat, atque hoc ipso creatura suam ultimam perfectionem consequatur et fruitione Dei plene beata sit.

358. Assecutio autem finis duplici modo fieri potest: 1.° vel cognitione Dei abstractiva et amore consequente talem cognitionem Dei mediatam, vel 2.° cognitione Dei intuitiva et amore consequente talem cognitionem immediatam. Ex primo modo oritur societas cum Deo *mediata*, quae nos religet Deo mediantibus rebus creatis, in quibus quasi in speculo contemplamur et gustamus imaginem perfectionum divinarum (2); et finis ultimus tali modo

---

(1) Hinc vides, beatitudinem et ultimum finem secundum rem idem esse. Nam beatitudo est summum bonum, quo obtento, quiescit appetitus: ergo non ordinatur ad aliud bonum, sed omnia ad ipsum: ergo est finis ultimus. Dixi *secundum rem*, quia beatitudo et ultimus finis differunt ratione. Nam beatitudo nihil aliud dicit quam complementum seu perfectionem totius boni; finis vero importat rationem causae, a qua abstrahit beatitudo.

(2) Ne suspiceris, haud sufficientem esse fruitionem consequentem societatem hanc cum Deo mediatam ad explendum felicitatis desiderium, fac duo advertas: 1.° cognitionem abstractivam Dei summi veri, et consequenter amorem Dei summi boni posse in statu termini perfectiorem esse, quatenus perfectiori modo determinata est, nempe ex cognitione intuitiva tum sui ipsius, tum ceterarum naturarum, quae eodem cognoscentis ordine ac inferiore contineantur; 2.° in beatitudine spectanda esse cetera quoque bona naturae convenientia eorumque omnium simul cum cognitione et amore Dei securam et perfectam

assequendus est finis *naturalis,* quia exigentiam creaturae rationalis non excedit, sed ejus viribus est accomodatus, et, supposita creatione, consequitur non ex libera Dei destinatione distincta et diversa a voluntate creante, sed ex necessariis Dei perfectionibus quatenus in operibus creationis se manifestat, et ex perfectione creaturae rationalis quatenus lumine rationis cognosci potest.

Ex altero oritur societas *immediata,* qua per donum superadditum et singularem partecipationem luminis, quo Deus videt seipsum, intellectus creatus elevatur ad divinam essentiam, infinitam veritatem, intuitive (non ideis aliunde depromptis) videndam, et consequenter voluntas supernaturaliter elevata Deum, infinitum bonum, amat amore respondente intuitivae visioni; atque ita creatura fruitione supernaturali Dei beata sit. Hoc posteriori modo finis spectatus est *supernaturalis,* quia omnem naturae creatae exigentiam excedit, ad quem proinde, supposita creatione, potuit natura non destinari, et nonnisi libera Dei benignitate elevata est; adeoque hic finis nonnisi ex revelatione Dei per fidem cognosci potest.

359. Duplici modo potest generatim homo sese habere in ordine ad finem ultimum: vel eo jam acquisito fruitur, vel ad eundem nondum acquisitum tendit. Cum modus iste sese habendi hominis in ordine ad finem, dicatur *status,* hinc divisio status in statum *termini* et statum *viae.*

Iam vero si homo constituitur in via ad illum terminum, necesse est ut status viae aliqua proportione respondeat statui termini; ut media, quibus dirigitur ad finem, apta sint fini ad quem ordinantur, ut inchoatio in hac vita pertineat ad illum ordinem, in quo est consummatio finalis in altera vita. Hinc duplici fini naturali et supernaturali duplex respondet series mediorum, quibus finis obtinetur: altera continetur virtutibus naturalibus scilicet amore viribus naturae elicito in Deum lumine rationis ex sui in creaturis manifestatione cognitum; altera continetur virtutibus et dispositionibus supernaturalibus tum *subiective* ratione principii elicientis, tum *obiective* ratione manifestationis Dei

possessionem, quae postulat in natura existente in statu termini et jus habente ad felicitatem, remotionem omnium malorum, quae impedire possunt quietam boni possessionem.

immediatae, quae fit non jam per creaturas, sed per ipsius Dei testimonium, quo veritas tamquam nota in scientia Dei nobis innotescit, cui proinde revelationi respondet *fides* tamquam praeparatio ad finalem manifestationem facie ad faciem, in qua videbimus Deum sicuti est.

360. Hinc jam facile intelligitur quid sit status *naturalis* et *supernaturalis*.

Status *naturalis* est ille in quo homo ad fruendum Deo cognitione abstractiva destinatus instruitur mediis ad illum consequendum opportunis.

Status *supernaturalis* est ille, in quo homo ad fruendum Deo cognitione intuitiva destinatus, mediis opportunis gratia scilicet sanctificante ad illum consequendum instruitur.

Quoniam vero media, quibus homo juvari potest ad finem sive naturalem sive supernaturalem consequendum, et obstacula, quibus ab ejusdem assecutione impediri potest, alia atque alia juxta Dei ordinationem esse possunt, hinc varii humanae naturae distinguuntur status. Status naturae *purae* ille est, in quo natura humana habet quidquid ei debetur, et nihil aliud sive boni sive mali. Status naturae *integrae* superaddit statui purae naturae carentiam fomitis, mortis, morborum., qui naturam sponte sua consequuntur; quae carentia seu integritas est per se separabilis tum a fine tum ab aliis donis supernaturalibus Adamo collatis. Status naturae *elevatae* est ille, in quo homo ad beatitudinem destinatus supernaturalem omnia dona ad illam consequendam necessaria haberet, quin tamen cetera dona propria justitiae originalis i. e. immortalitatem, immunitatem a concupiscentia, haberet. Isti tres vocantur status naturae *possibiles*, quia in his numquam fuit homo, sed esse potuisset. — Status *justitiae originalis et sanctitatis*, qui donis supernaturalibus status naturae elevatae superaddit dona praeternaturalia; et in hoc statu constitutus fuit Adam. Status naturae *lapsae* ille est, qui Adami peccatum immediate consecutus privationem gratiae et integritatis importat, qui tamen non duravit cum mox promiserit Deus reparatorem ac proinde inceperit status naturae *reparatae*, in quo modo sumus, quique finem et gratiam supernaturalem sine integritate tamen importat. Hi tres status dicuntur *reales*, quia in his humana natura vere fuit, vel actu est.

ARTICULUS II.

Errores.

361. Duplex in hoc capite adversariorum genus impetimus: 1.° Pelagianos, Socinianos, Arminianos, Rationalistas, qui nullum hominibus agnoscunt donum supernaturale, sed tantum facultates naturales. Existimant nempe eiusdem fuisse conditionis hominem primum sicut illi, qui nunc in dies nascuntur homines. Ex quo inferunt, nullum esse peccatum originale, nullam proprie dictam redemptionem, nullam gratiae necessitatem.

2.° Novatores et Jansenistas. Lutherus concedit Adamum donis gratiae et integritatis ornatum fuisse, sed statuit dona illa fuisse aliquid ad ipsa elementa constitutiva essentiae humanae pertinens, ita ut, his donis amissis, essentia humana intrinsecus plane corrupta fuerit, extincto quoque libero arbitrio.

Jansenistae non eo usque progressi sunt, sententiam tamen affinem proposuerunt. Docuerunt videlicet illa dona naturae *insonti* debita fuisse, ut bona et salva esse posset, esse vero indebita naturae peccato obnoxiae.

362. Doctrina catholica veluti media incedit inter oppositos hos errores. *Factum* collationis horum donorum contra Pelagianos defendit simulque contra Novatores et Jansenistas eorundem *supernaturalitatem* vindicat, quod utrumque et nos praestabimus.

ARTICULUS III.

De donis primo parenti collatis deque eorundem supernaturalitate.

363. Prop. 43. **Visio Dei intuitiva est finis ultimus, ad quem destinatus est homo; isque finis est supernaturalis.**

Declar. *Visio*, significatione a sensu visus desumpta, translata est ad *claram, distinctam*, et *immediatam* obiecti praesentis intellectionem denotandam. Ut haec significatio visionis et eius distinctio a cognitione mediata sive rationis sive fidei pressius

determinetur, additur appositum *intuitiva* et, quatenus in hac visione intuitiva Dei continetur, tamquam resultans formalis effectus, vitae aeternae beatitudo, dicitur etiam *visio beatifica.*

364. Demonstr. i. p. *a)* In Scripturis passim iustis in altera vita promittitur Deus ipse ut obiectum, cuius participatione et communione et fruitione omnes sancti vivent vitam beatam, et regnabunt, et glorificabuntur, et gaudebunt gaudio Domini, et replebuntur ubertate bonorum, et saturabuntur in perpetuas aeternitates. Atqui eadem revelatio, in qua nobis manifestatur et promittitur illa vita aeterna, etiam nos docet modum possessionis et fruitionis esse per intuitivam visionem Dei, ut in se est: ergo. *Prob. minor.* Angelis tribuitur intuitiva Dei visio: (Matt. 18, 10): *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est;* sed de hominibus dicitur: (ib. 22, 30): *Erunt sicut Angeli Dei in coelo;* et (Luc. 20, 36): *Aequales Angelis sunt.* (1. Cor. 13, 12): *Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc cognoscam sicut et cognitus sum.* (1. Jo. 3, 2): *Nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit, quid erimus: scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* — *b)* Scriptura docet in visione Dei consistere sanctorum beatitudinem. (Matth. 5, 8): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt;* (Ps. 35, 9): *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen;* (ib. 16, 15): *Satiabor cum apparuerit gloria tua;* (Jo. 17, 3): *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti J. Christum.*

365. II. Augustinus: «Illa visio Dei, qua contemplabimur incommutabilem atque humanis oculis invisibilem Dei substantiam, quae solis sanctis promittitur.... sola est summum bonum nostrum, cuius adipiscendi causa praecipimur agere quidquid recte agimus» (1). — In conc. Viennensi haec veritas supponitur, et paulo post Benedictus XII (a. 1336) in Constitutione Dogmatica: « Definimus, inquit,... quod (omnes beati) post Domini N. J. C. passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali.... quodque sic videntes eadem divinâ essentiâ perfruuntur....

(1) *De Trin.* l. 1. c. 13.

sunt vere beatae et habent vitam et requiem aeternam. » Idem Pontifex inter alios errores etiam hunc ejurare jussit Armenos: « quod Armeni dicunt, quod animae baptizatorum et animae multum perfectorum hominum.... non videbunt Dei essentiam, quia nulla creatura eam videre potest; sed videbunt claritatem Dei, quae ab ejus essentia manat... » — Conc. Florent. definivit: « Illorum animas, qui nullam peccati maculam post baptismum incurrunt et animas perfecte purgatas in coelum mox recipi et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. »

366. III. Beatitudo nihil aliud est, quam summi boni apprehensio et possessio. Atqui visio Dei est apprehensio et possessio summi boni. Nam visione velut manus complexu apprehendimus, firmiter tenemus et possidemus ipsum Deum tamquam bonum nostrum nobis ad fruendum datum, ita ut in nostra potestate sit ejus dulcedine frui, et omnes voluptates, quae ex ipso hauriri possunt, sine fine percipere. Ergo.

367. Demonstr. II. p. Hanc fuse demonstratam recolas n. 72 sq.

368. Prop. 44. **Ad hunc finem nobilissimum assequendum protoparentes instructi sunt gratia sanctificante seu justitia et sanctitate, cum quibus coniuncta erat integritas, immortalitas, praeclara scientia: quae omnia super vel praeternaturalia sunt.**

Declar. Ad thesis declarationem haec praenotanda sunt:

1.° De unoquoque dono utrumque probatur, nempe *collatio* et *supernaturalitas*, et quidem in prima parte thesis de gratia sanctificante, in secunda de ceteris donis.

2.° Quoad valorem dogmaticum *collatio* gratiae et immortalitatis est de *fide*, ut constat ex conc. Tridentino (sess. 5. c. 1): « Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat (1), amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo

---

(1) Ne controversiam dirimeret, quae agitabatur inter catholicos de tempore, quo Adam hoc dono ornatus fuit, voci *creatus*, quae erat in canone, substituta est vox *constitutus*. Nunc est sententia communis et Scripturis consona, Adamum in ipsa creatione haec dona accepisse.

mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, A. S. »; ex can. 2 ejusdem sess. et ex conc. Arausicano II. can. 19. — *Supernaturalitas* vero omnium illorum donorum non est quidem *fidei dogma* expresse definitum, sed continet doctrinam, quae vere *catholica fideique proxima* est, ut apparet ex pluribus damnatis propositionibus Baji, quas deinceps dabimus.

3.° Gratia sanctificans, sicut et visio beatifica, cum creaturam perficiant et elevent ultra totum naturae creatae ordinem, dona simpliciter et *absolute supernaturalia* dicuntur; integritas vero, immortalitas et reliqua bona connexa, quamquam indebita et ultra exigentiam naturae cui conferuntur, cum tamen naturam non elevent ad superiorem divinumque ordinem, supernaturalia *secundum quid*, seu *praeternaturalia* appellari solent.

4.° Denique dona haec *praeternaturalia* etsi per se sine gratia sanctificante esse possint et vicissim; attamen in protoparentibus ex *ordinatione divina* cum illa tamquam cum suo fundamento ita connexa erant, ut eorum conservatio vel amissio a gratiae sanctificantis conservatione vel amissione penderet.

Demonstr. i. p. *De gratia sanctificante.*

I. Collatio. — a) Constat generatim ex fine redemptionis, quae eo tendit ut hominem restituat in statum illum, ex quo per peccatum excidit. Atqui praecipuum bonum, quod per redemptionem nobis restituitur, est gratia sanctificans: ergo hoc dono ornati erant proto parentes. — *b) Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. 1, 26). Patres multi imaginem referunt ad bona naturalia, similitudinem ad bona supernaturalia; alii nulla facta distinctione inter imaginem et similitudinem utramque simul de natura et gratia intelligunt. Ergo illa verba saltem juxta traditionem exegeticam continent veritatem in thesi enunciatam (1). — *c) Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus* (Eccl. 7, 30). Vox *rectus* ex usu scripturarum significat justum justitia supernaturali: *Generatio rectorum benedicetur* (Ps. 111, 2); *Recti diligunt Deum*

---

(1) Cf. Bellarminum *de gratia primi Hom.* c. 2. 3.

(Cantic. 1, 3); *Exultate justi in Domino; rectos decet collaudatio* (Ps. 32, 1); *Videbunt recti et laetabuntur: et omnis iniquitas oppilabit os suum* (Ps. 106, 42). Pro iisdem ergo Scriptura habet *rectos* et *justos*, imo ipsum Deum et sanctos ejus rectos dicit. — *d) Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (Eph. 4, 23, 24). Si illa verba *hominem qui secundum Deum creatus est* immediate de Adam intelliguntur, tunc Adam constitutus fuit ante peccatum in justitia et sanctitate, seu ornatus fuit gratia sanctificante. Si vero directe referuntur ad Christum, idem sensus habetur; nam tunc hortatur nos Apostolus ad induendam justitiam Christi per quandam *renovationem:* renovatio autem fit induendo quod depositum fuit; ergo jam aliquando erat sanctus et justus. In quem locum Augustinus: « Vide ergo quid sequatur: induite novum hominem qui... creatus est in justitia et sanctitate veritatis: ecce quod perdidit Adam per peccatum » (1). — Augustino, qui in hoc dogma contra Pelagianos tuendo primas fert, consentiunt, ut supra innuimus, alii Patres.

309. *II. Supernaturalitas.* — 1. *a)* Gratiam cum aliis donis peccando Adam amisit; atqui principii instar assumunt theologi Adam et angelos nullum per peccatum amisisse bonum naturale: ergo. Hoc argumentum valet etiam ad probandam supernaturalitatem aliorum donorum, de quibus infra. — *b)* Gratia sanctificante efficimur *filii Dei adoptivi, haeredes Dei* et *cohaeredes Christi, divinae consortes naturae, transformamur in eandem imaginem* Atqui haec omnia sunt dona simpliciter supernaturalia; ergo et horum effectuum causa formalis. *Prob. minor.* Homo utpote creatura est *servus* Dei, absoluto domino subiectus. Servus autem, utut innocens, non habet jus ad *adoptionem,* ad *bona propria filiorum,* ad *haereditatem regni* multoque minus ad partecipationem eorum bonorum, quae *Dei sunt propria,* quae idcirco nulli creaturae naturalia esse possunt. Ergo cum gratia sanctificans ipsa sua inhaesione effectus producat omni creaturae indebitos, et ipsa certe supernaturalis est. — *c)* Justificatio, quae fit per gratiae sanctificantis infusionem, dicitur in Scripturis singulariter donum et gratis donata: ergo non est debita.

---

(1) *De Gen. ad litt.* l. 6. c. 26.

370. 2. Athanasius: « Praecepti transgressio illos ad *propriae naturae conditionem* revocavit » (1). Cyrillus Hieros: « Ut filius sis, non per naturam habes, sed per adoptionem » (2). Augustinus: « Si filii Dei sumus, deificati sumus; sed hoc est *gratiae* adoptantis non naturae *generantis* » (3). Generatim frequens est et commune Patribus considerare bona ab origine accepta tamquam vestem, qua natura a Deo ornatur, quae a Deo gratuito confertur, qua exui potest homo, quaque revera spoliatus fuit, incolumi manente natura: ergo ut aliquid extrinsecum, superadditum, indebitum naturae exhibentur ab ipsis illa dona. — Damnata fuit propositio 21 Baji: « Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis. »

Demonstr. ii. p. *De ceteris donis.*

A) De integritate (4).

I. Collatio. — a) (Gen. 2, 25): *Erat uterque nudus et non erubescebant;* peccato vero commisso erubuerunt: atqui erubescentia est effectus concupiscentiae; ergo ante peccatum a concupiscentia erant immunes. — *b)* Paulus (Rom. 7, 7.) concupiscentiam vocat *peccatum,* quia, ut ait conc. Tridentinum (sess. 5 can. 5): « ex peccato est et ad peccatum inclinat. » Ergo si ex peccato est, ante peccatum non erat. — *c)* Augustinus: « Erant ambo nudi... Nec pudebat eos. Quid enim puderet, quando nullam legem senserant

---

(1) *De Incarn.* n. 4. — (2) *Catech.* 3. — (3) *In Ps.* 49. n. 2.

(4) *Integritas* sensu *stricto* est rectitudo inferioris hominis, qua in Adamo appetitus sensitivus subdebatur voluntati. Haec integritas quasi complementum erat justitiae, et cum ea constituebat rectitudinem illam adaequatam, seu harmoniam, secundum quam « ratio subdebatur Deo, rationi vero vires inferiores, et animae corpus. Prima autem subiectio, erat causa secundae, et secunda tertiae. » S. Th. 1. q. 82. Sicut justitia excludebat a voluntate *peccatum,* ita integritas a sensualitate *concupiscentiam,* seu motus rationi rebelles. Admisso vero peccato soluta est haec obedientia et subsecuta *concupiscentia.* — *Concupiscentia* itaque sumitur hic non prout dicit *tendentiam in bonum sensibile,* quo sensu est perfectio compositae naturae hominis, sed prout dicit *tendentiam in sensibile reluctando rationi,* eaque dicitur *habitualis,* si accipitur tamquam *dispositio* appetendi sensibile contra rationem, dicitur *actualis,* si accipitur pro ipsis motibus in bonum sensibile reluctante ratione. Concupiscentia sic sumpta est quidem *malum* quoddam, sed potius *phisicum,* quam morale, consequens nempe limitationem nostrae naturae.

in membris suis repugnantem legi mentis suae? » (1). Chrysostomus: « Usque ad praevaricationem quasi angeli versabantur in paradiso, non concupiscentiis flagrantes, non ab aliis affectionibus infestati, non naturae necessitatibus obnoxii, sed prorsus incorruptibiles et immortales neque indigebant amicto vestimento. Peccato enim nondum praesente, gratia, quae superne venerat, vestiti erant, et ideo non erubescebant » (2). Catech. Rom.: « omnes praeterea motus in eo ita temperavit, ut rationis imperio numquam non parerent » (3).

371. *II. Praeternaturalitas.* — *a)* Inordinatio concupiscentiae ad duo revocari potest: 1.° quod appetitus sensitivus praevertat rationis judicium, et 2.° quod motus illius appetitus rationis imperio aliquando resistant. Hinc pugna quaedam existit inter appetitum inferiorem et voluntatem rationalem. Atqui utrumque consequitur naturalem hominis conditionem. Ex eo enim quod homo non est purus spiritus, sed ex corpore et anima constat, duplex illi inest appetitus, sensitivus quidem, qui sensu regitur et imaginatione, et nobilior ille, qui ratione regitur et proprie voluntas appellatur. Cum vero non semper sit in potestate hominis, quid in sensus incurrat, et impedire non possit, quominus obiectorum sensibilium species illibantur animo et imaginatio excitetur; hinc fit, ut saepe appetitus sensitivus et interdum vehementer ad bonum, quod ipsi sensus et imaginatio repraesentant, moveatur, antequam ratio de obiecti bonitate vel pravitate judicium tulerit. Cum etiam appetitus et imaginatio haud parum dependeant a corporis dispositionibus adiunctisque internis et externis, quae rationis imperio non semper subsunt; hinc fit, ut hi motus etiam contra rationis et voluntatis imperium perseverare possint. Cum igitur haec duo ex principiis deriventur naturae, sequitur concupiscentiam per se esse homini naturalem, et nonnisi dono gratiae immunitatem, qua protoparentes gaudebant, esse adscribendam.

b) Augustinus: « Si (anima) talis esse coepit non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde conditori suo gratias agat... Non enim mediocria bona sunt, non solum quod

---

(1) *De Gen. ad litt.* l. 11. c. 1. — (2) *In Gen. hom.* 15. n. 4. — (3) P. 1. c. 2. q. 19.

anima est, qua natura jam omne corpus praecedit, sed etiam quod facultatem habet, ut adiuvante Creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate excruciante et ab ignorantia coecante liberetur » (1). Et alio loco: « Quam miseriam Pelagiani nolunt ex juxta damnatione descendere, negantes originale peccatum: quamvis ignorantia et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset » (2). — Damnata fuit prop. 26 Baji: « Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio » (3).

B) De immortalitate.

I. Collatio. — Duplex distinguitur ab Augustino immortalitas: « aliud est enim *non posse mori,* sicut quasdam naturas immortales creavit Deus, aliud est *posse non mori;* secundum quem modum primus homo creatus est immortalis, quod ei praestabatur de ligno vitae, non de constitutione naturae » (4).

Haec altera immortalitas de primo homine affirmatur. (Gen. 2, 17): *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris,* i. e. morti obnoxius eris: ergo. (Sap. 2, 23. sq.): *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem* (immortalem)... *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Paulus (Rom. 5, 12) exhibet *mortem* ut effectum peccati. — Hoc dogma definitum fuit contra Pelagianos in conc. Milevitano II. (a. 416): « Placuit constituere: — ut, quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret moreretur in corpore, h. e. de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae,

---

(1) *De lib. arbitr.* l. 3. c. 20. — (2) *Retract.* l. 1. c. 9. n. 6.

(3) Ex his omnibus sequitur, concupiscentiam in praesenti statu esse poenam peccati, quae in statu purae naturae fuisset naturalis hominis conditio. Non tamen sequitur necessario, eandem futuram in illo statu ejus vehementiam, qualis est in praesenti. Hinc patet, quid tenendum sit de illo argumento, quo ex miseriis vitae et ex pugna interna deducere apologetae solent existentiam peccati cujusdam communis seu originalis. Vel arguunt historice supposito nempe dono integritatis, quo ornatos fuisse protoparentes docet revelatio et traditio populorum aliquo modo insinuat, et tunc argumentum est *efficax;* vel revelatione seposita, spectant tantum bonitatem divinam omne debitum excedentem erga genus humanum, et tunc illatio est admodum *probabilis;* vel denique spectant tantum exigentiam rerum et juris divini, et tunc est *inefficax.* Cf. Hurter v. II. n. 256.

(4) *De Gen. ad litt.* l. 6. c. 20.

a. s. »; et in con. Arausicano II. can. 2, Tridentino (sess. 5, can. 1 et 2) (n. 368).

372. II. *Praeternaturalitas.* — (Gen. 3, 19): *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es et in pulverem reverteris;* quibus verbis innuitur, mortem hominis naturalem esse conditionem, cui ob peccatum, dempto immortalitatis gratuito privilegio, iterum subiicitur. Hinc damnata fuit Baji prop. 78: « Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio, » et prop. 17 synodi Pistoriensis: « Edocti ab Apostolo, spectamus mortem non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut justam poenam culpae originalis quatenus sub nomine Apostoli subdole adlegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut justa poena peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio » declaratur a Pio VI. *captiosa, temeraria, Apostolo iniuriosa, alias damnata.*

Ratio autem, cur homini non debeatur haec immunitas a necessitate moriendi, eo continetur, quod natura ejus ex anima et corpore per se corruptibili composita est. Inde enim fit, ut non solum aut illata extrinsecus vi, aut intestino malo corrumpi possit, sed etiam ferente lege naturae corrumpatur.

Ex hoc sequitur etiam immunitatem a doloribus et morbis aliisque malis corporeis non esse homini naturalem.

373. *C) Praeclara rerum scientia.*

I. Collatio. — Gen. 2, 19, 20 legitur, imposuisse Adam nomina cunctis animantibus convenienter ad eorum naturam: atqui hoc certe requirit magnam rerum naturalium scientiam: ergo. (Eccli. 17, 1. 5 sq.): *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Creavit ex ipso adiutorium simile sibi: consilium et linguam et oculos et aures et cor dedit illis excogitandi: et disciplina intellectus replevit illos. Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum: et mala et bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.* — Rationem vero hanc reddit s. Thomas (1), quod res primitus conditae sunt, non solum ut essent in se ipsis, sed

---

(1) 1. q. 94. a. 3.

etiam ut essent aliorum principia, adeoque in statu perfecto. Homo vero est aliorum principium non solum per generationem, sed etiam per instructionem et gubernationem. Ergo sicut quoad corpus conditus est in statu perfecto, ita etiam quoad animam, ut statim posset instruere et gubernare, ad quod requiritur scientia, quae tanta fuit, quanta muneri principis capitis et patris totius generis humani responderet.

374. II. *Praeternaturalitas.* — (Sap. 9. 14. sq.): *Cogitationes mortalium timidae et incertae providentiae nostrae. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile aestimamus quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt invenimus cum labore;* ergo ex ipsa natura provenit difficultas et imperfectio nostrae cognitionis. — Cyrillus Alex.: « Adamus ex dato sibi divinitus lumine, non tempore quemadmodum nos, prudentiam didicit, sed statim » (1). — Naturae humanae insitum est, ut paulatim, studio et labore scientiam sibi acquirat; atque ex concupiscentiis multiplicibusque curis et aerumnis cum vita humana connexis etiam difficultas oritur magna, in acquirenda veritatum cognitione. Ergo multiplex Adami scientia non fuit ipsi naturalis.

Cum his donis coniuncta erat *singularis prorsus felicitas externa* (2), fides, dona ac virtutes Spiritus sancti, et gratia actualis.

375. **Corollarium** 1. Omnia haec dona non fuerunt collata Adamo ut erat singularis persona, sed ut erat totius generis humani caput et naturae humanae principium, adeoque toti humanae naturae. Constat ex Tridentino (sess. 5. can. 2): « Si quis Adae prae-

---

(1) L. 1. *in Jo.* c. 9.

(2) Hanc felicitatem ita describit Augustinus *de civ. Dei* l. 14. c. 26: « Vivebat itaque homo in paradiso, sicut volebat, quamdiu hoc volebat, quod Deus jusserat: vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret; potus ne sitiret; lignum vitae, ne illum senecta dissolveret. Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore ullas molestias ullis ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiso nullus aestus aut frigus, ita in ejus habitatore nulla ex cupiditate vel timore accidebat bonae voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta; atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, et mandati sine labore custodia. »

varicationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse... a. s.» Si Adam generi humano perdidit, ergo et ad hoc illa pertinebant. Totum itaque genus humanum in Adamo ad ordinem evectum est supernaturalem.

376. **Corollarium** 2. Ex dictis sequitur, *possibilem esse statum naturae purae*, seu potuisse Deum creare hominem sine gratia sanctificante, concupiscentiae, morti, doloribus et ignorantiae obnoxium. Et re quidem vera si tam gratia quam immunitas ab aliis omnibus supra recensitis non est naturae debita sed *super* vel *praeternaturalis*, poterat Deus sine his condere hominem. Quod constat ex damnata 55. prop. Baji: «Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.»

Fuerunt nonnulli theologi ut Norisius, Berti, Bellelius, Serry etc., qui, distinctione facta inter potentiam Dei absolutam et ordinatam, contenderunt statum purae naturae esse quidem possibilem secundum potentiam Dei *absolutam*, minime vero secundum potentiam Dei *ordinatam*. Verum, quamquam horum theologorum sententia non eadem omnino est ac illa Baji nec ideo aliqua censura affecta, nihilominus, cum in Deo potentia identificetur cum omnibus suis attributis et proinde nihil in ipso sit possibile, quod cum aliquo ex illis pugnat, tenendum est, statum purae naturae simpliciter esse possibilem.

Ad praecavendas difficultates, quae contra talem possibilitatem fieri solent, haec, quae sapienter scribit Cardinalis Franzelin, prae oculis habenda sunt: « Deus creans ad hunc finem (pure naturalem) infinite sapiens et infinite bonus, qui nihil odit eorum quae fecit (Sap. 11, 25), voluntate antecedente vellet omnes homines pervenire ad suum finem; eoque ipso praeparasset media sufficientia, quibus assecutio finis redderetur *moraliter possibilis.* Quia finis longe alius esset quam in praesenti ordine supernaturali, etiam media ad finem aliter se haberent, ac proinde alius esset ordo providentiae. Media responderent omnia indoli ipsius finis formalis (cognitionis et amoris naturalis) et intrinsecae indoli naturae humanae compositae (animalis rationalis). Adiutoria extrinseca multiplicia ad aptam obiectorum propositionem, ad insuperabilium difficultatum remotionem; adiutoria interna per honestas cogitationes et affectiones excitatas ab ipsis obiectis pro

positis sufficientem Dei et legis naturalis cognitionem et legis adimpletionem redderent moraliter possibilem, ut homines finem suum naturalem assequi possent. Neque esset supernaturale donum, si Deus in hominibus pro specialibus adiunctis operatione immediata excitaret bonas cogitationes et affectiones naturales et ejusdem rationis, cujus sunt affectiones excitatae per repraesentationem obiectorum; imo nec supernaturale donum esset, si Deus sub conditione contritionis naturalis in illo statu vellet remittere peccata commissa.... Sine dubio igitur falluntur, qui praesentem ordinem providentiae cum statu *purae naturae* ita comparant, ut statum praesentem considerent detractis omnibus auxiliis supernaturalibus et nullis substitutis aliis, quam quae nunc sunt, adiutoriis naturalibus; tum vero talem fore statum *purae naturae* sibi persuadent » (1).

CAPUT IV.

De naturae humanae lapsu, seu de peccato originali.

377. Praeclara dona Adamo ut totius generis humani capiti indebite collata ad posteros transmittenda erant, si mandato, quod Deus dederat, obediret. Verum protoparentes legem a Deo latam transgressi peccarunt, suoque peccato, quod in omnes posteros transit, ea tum sibi tum nobis amiserunt, et omne genus humanum in cumulum miseriarum dejecerunt. Hoc est illud *ineffabiliter grave peccatum* (2), quod *originale* dicitur. Prout fuit in Adamo appellari solet *originale originans*, quatenus transfunditur in posteros *originale originatum:* illud est *causa*, istud *effectus*. Quae tamen non sunt duo peccata, sed unum peccatum sub diverso respectu consideratum, quodque idcirco tum in Adam tum in nobis simpliciter *peccatum originale* plerumque appellatur. Agemus itaque 1.° de Adami peccato, 2.° de peccato originali in posteris.

---

(1) *De divina Traditione* p. 556 et 559. — (2) *Op. Imperf. c. Julian.* l. l. c. 105.

ARTICULUS I.

De protoparentum peccato.

378. Prop. 45. **Protoparentes mandatum divinum violando, graviter peccarunt.**

Demonstr. i. p. Ut Adam suam erga Deum subiectionem et Dei in omnia absolutum dominium agnosceret, facta ei copia arborum ceterarum, *praecepit* ei Deus, ne de ligno scientiae boni et mali comederet, adiecta sanctione, quod secus *morte morietur* (Gen. 2. 16. 17). Serpens vero mulierem decepit, mulier virum, uterque transgressi sunt legem Dei, adeoque peccarunt, ut narratur toto c. 3.

379. Rationalistae narrationem Mosaicam mythis accensent, et etiam inter catholicos nonnulli, admisso peccato, cetera omnia de arbore vetita, de serpente seductore, de comestione pomi allegorice sumenda esse putarunt. Verum generatim adiuncta peccati Adami sensu litterali esse accipienda docet cum sensus totius antiquitatis tum Scriptura ipsa, ut (2. Cor. 11, 3): *Serpens Evam seduxit astutia sua*, et (Sap. 2, 24): *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.*

Speciatim vero quae c. 3 continentur ita juxta Patres intelligenda sunt:

a) Arbor scientiae boni et mali hoc nomine appellatur non quod ejus fructus per se cognitionem quandam speculativam boni et mali praestaret, sed quod protoparentes ejus esu *tristi experimento* discrimen inter bonum et malum cognoverunt. — *b) Serpens* erat verus serpens, quo tamquam instrumento usus est diabolus, uti constat clare ex ss. Litteris: quare diabolus in Scriptura etiam serpens vocatur. — *c) Maledictio* serpentis symbolica est, et dirigitur ad diabolum, poena etiam in naturalibus serpentum proprietatibus mulctandum. « Quod serpenti dicitur, ait Augustinus, et ad eum, qui per serpentem operatus est, utique refertur, procul dubio figuratum est; nam in his verbis tentator ille describitur, qualis generi humano futurus esset » (1). — *d) Deambulatio Dei* pariter tropica est, deque speciali sub aliqua

---

(1) *De Gen. ad litt.* l. 11. c. 36. n. 49.

sensibili forma praesentiae Dei manifestatione est intelligenda, sicuti dicitur Deus descendere, volare etc.

380. Demonstr. ii. p. Gravitas peccati protoparentum colligitur ex his, quae expendit Augustinus, adiunctis: « Adam et terrente nullo, et insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio non stetit in tanta felicitate et tanta non peccandi facilitate » (1), quibus addi potest et *solemnitas*, qua praeceptum impositum est et *granditas supplicii* (2), quo revera in ipsis protoparentibus et in omnibus posteris punitum fuit. Hujusmodi funesti effectus, quoad protoparentes, hi enumerantur a conc. Tridentino (sess. 5. can. 1): « Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse; incurrisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque adeo mortem, quam antea illi comminatus fuerat, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, h. e., diaboli; totumque Adam per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse a. s. »

381. Si de qualitate peccati protoparentum quaeras, respondent communiter peccatum complete consummatum fuisse *inobedientiam*, quam praecessit superbia, quaque alia plura peccata continentur. « In occulto, ait Augustinus, mali esse coeperunt, ut in apertam inobedientiam laberentur: non enim ad malum opus perveniretur, nisi praecessisset mala voluntas: porro malae voluntatis initium quid potuit esse, nisi superbia? Initium omnis peccati superbia. Quid est autem superbia, nisi perversae celsitudinis appetitus? Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhaerere principio, sibi quodam modo fieri et esse principium » (3); et s. Thomas: « Sic ejus (Evae) peccatum multiplex fuit. Primo quidem superbiae, qua inordinate excellentiam appetivit. Secundo curiositatis, qua scientiam ultra terminos sibi praefixos concupi-

(1) *L. de corrept. et grat.* c. 12; idem *de Civ. Dei* l. 14. c. 15 ita enuntiat: « Contemptus est Deus jubens, qui creaverat, qui ad imaginem suam fecerat, qui ceteris animalibus praeposuerat, qui in paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam salutisque praestiterat, qui praeceptis nec pluribus, nec gravibus, nec difficilibus oneraverat. »

(2) Augustinus l. 6. *operis imperfecti.* — (3) *De Civ. Dei* l. 14. c. 13.

vit. Tertio gulae, qua suavitate cibi permota est ad edendum. Quarto infidelitatis per falsam aestimationem de Deo, dum credidit verbis diaboli contra Deum loquentis. Quinto inobedientiae, praeceptum Dei transgrediendo » (1).

Nota. Est communis et certa sententia, Adam et Evam per poenitentiam salutem esse consecutos. (Sap. 10, 1): « *Haec* (sapientia) *illum qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit et eduxit illum a delicto suo.* » Augustinus: « Post peccatum juste vivendo, merito creduntur per Domini sanguinem ab aeterno supplicio liberati » (2).

ARTICULUS II.

De peccati originalis existentia.

382. Prop. 46. **Peccatum Adae in omnes ejus posteros ita transfunditur, ut insit unicuique proprium, seu verum datur peccatum originale.**

Hoc *dogma* religionis christianae *fundamentale* definitum fuit in conc. Milevitano II, saec. V, contra Pelagianos dicentes, Adam posteris nonnisi pravo exemplo nocuisse; — et iterum in Trid. (sess. 5. can. 2): « Si quis Adae praevaricationem sibi soli et non ejus propagini asserit, nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli et non nobis etiam perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem, et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem peccatum, quod est mors animae, a. s.; cum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt; » et can. 5: « Si quis per Jesu Christi D. N. gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet... a. s. » Alii de hac re errantes sunt Albigenses, Arminiani, Sociniani, Rationalistae.

Declar. Peccatum originale est verum peccatum, quod ab ortu

(1) *Comp. theol.* c. 189. sq. — (2) *De peccat. merit.* l. 2. c. 34.

suo omnes homines contrahunt a protoparentum culpa derivatum, quodque peccatum naturae dicitur, a culpis actualibus diversum. In hoc articulo agitur de *existentia* hujus peccati, non vero de *essentia* ejus et *modo* propagationis.

383. DEMONSTR. I. 1. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu qui solus es?* (Iob. 14, 4). Sermo est de immunditia quae a solo Deo tolli potest, de immunditia ergo spirituali, cujus causa affertur semen immundum, i. e. de immunditia ex ipsa origine contracta. Quare Septuaginta interpretes sic hoc expresserunt: *Nemo mundus erit a sorde; nec infans, cujus est unius diei vita.*

2. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum et in peccatis concepit me mater mea* (Ps. 50, 7), in textu hebraico pro numero plurali legitur *in iniquitate et peccato.* In hunc locum Augustinus: « Suscepit personam generis humani David, et attendit omnium vincula: propaginem mortis consideravit, originem mortis advertit, et ait: Ecce enim etc. Numquid David de adulterio natus erat, de Iesse viro justo et coniuge ejus? Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur ex Adam » (1).

3. Textus classicus est ille Pauli (Rom. 5, 12 sq.): 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum (ἡ ἁμαρτία) in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo (ἐφ' ᾧ) omnes peccaverunt:*

13. *usque ad legem enim peccatum (ἁμαρτία) erat in mundo, peccatum (ἁμαρτία) autem non imputabatur, cum lex non esset:*

14. *sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri...*

18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.*

19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita per unius obeditionem, justi constituentur multi.*

Ut argumentationis vis percipiatur, quaedam praenotanda sunt:

a) Contextus cum antecedentibus hic est: Judaei aeque ac

---

(1) *Enar. in Ps.* 50. n. 10.

Gentiles nonnisi per Christum justificationem, spem et salutem accipere possunt; *proinde* (propterea) reconciliationis negotium se habet sicut peccatum ejusque effectus. Videlicet, sicut per unum hominem Adamum, peccatum, condemnatio et mors in omnes homines, ita etiam per unum hominem Christum, justitia, reconciliatio et vita ad omnes homines fluit.

b) Quod formam attinet grammaticam (1), prothasis quidem explicite habetur v. 12: « Propterea sicut per unum hominem peccatum » etc.; sed abreptus abundantia et gravitate sermonis apodosin explicite non ponit, sed innuit illis verbis « qui (Adam) est forma (typus) futuri » (hominis Christi); ac si diceret: ita per unum futurum hominem, qui Christus est, intravit justitia et vita in omnes.

c) Verba ἐφ᾽ ᾧ *in quo* reddi possunt *eo quod* (2).

d) Diversum est peccatum, de quo sermo est v. 12 ab illo de quo sermo est v. 13, uti apparet etiam ex articulo illic adiecto, hic omisso.

e) Verba illa *per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum* non significant solum peccatum actuale Adami, quod ab ipso patratum est et in ipso solo mansit, ac si diceretur, per unum hominem factum est, ut peccatum inciperet esse in mundo, quod *imitatione* propagatur, nam tunc primo non per Adam sed per Angelos, et deinde per Evam peccatum intrasset in mundum, illosque et hanc non Adam homines peccando imitarentur, et secundo non perveniret cum morte ad infantes, qui hujus imitationis sunt incapaces. *Mundi* itaque nomine intelliguntur *omnes homines;* ut patet ex inciso mox sequenti: quo sensu nomen *mundus* saepe in Scriptura accipitur.

f) Juxta doctrinam Pauli tam in hoc loco quam in aliis expositam (Rom. 6, 23: *Stipendia peccati mors)* mors exhibitur ut effectus et sequela peccati, quae idcirco tamquam medium argumentationis ab ipso adhibetur.

Quibus praemissis multiplex deducitur argumentum. *a)* Ex v. 12 hoc modo: Tam late patet peccatum illud primi hominis, quam late patet mors; sed mors regnat in omnes: ergo et peccatum illud omnes inficit et pervadit.

---

(1) Diversas de hac re expositiones videsis apud Mazzella n. 932. sq.
(2) Cf. Palmieri th. 69.

β) Ex v. 13 et 14. Paulus v. 13 tacitae occurrit obiectioni: non sequi universalitatem peccati originalis ex universalitate mortis, quia mors repeti potest ex peccatis hominum actualibus, quibus numquam caruit mundus. Ex iis quae v. 14 respondet, ita argumentari licet: mors in omnes homines regnat, ut sequela peccati (per peccatum mors); atqui ea non regnat ut sequela peccati *actualis;* quia regnavit etiam ante Moysen, *cum lex non esset* (quae solum per Moysen lata est decernens poenam mortis peccatis saltem pluribus actualibus), quà peccatum imputaretur ad hanc determinatam poenam mortis, et quia regnavit *etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae* (actualiter), i. e. in infantes. Ergo mors regnavit ut sequela et poena peccati omnibus *communis,* quod Adam tamquam radix et caput generis humani et quondam *omnis homo* commisit, et quo commisso infecit ipsam naturam humanam in se recollectam, atque adeo omnes homines, qui ita in ipso peccarunt.

γ) Ex v. 18 et 19, ex quibus confirmatur etiam peccatum hoc, ab Adamo in omnes transfusum, esse veri nominis et formaliter peccatum, hoc modo: Teste Apostolo ita homines constituuntur Adami inobedientia peccatores, sicut Christi obedientia justi. Atqui homines vere et intrinsecus formali justitia unicuique propriâ justi constituuntur obedientia Christi per *regenerationem.* Ergo et ipsa *nativitate* ex Adamo constituentur per ejus inobedientiam vere et intrinsecus formali peccato, unicuique proprio, peccatores. Praeterea omnes dicuntur Adami delicto condemnari, et quidem *condemnatione,* cui opponitur *justificatio.* Ergo eo ipso exhibentur participes culpae.

4. Ex universalitate redemptionis. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt* (2 Cor. 5, 14); in quem locum Augustinus: « Nega Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eos eximas de numero mortuorum, hoc est de contagio peccatorum. Si autem et pro iis mortuus est, ergo et ipsi mortui sunt » (1). Huc spectant omnia effata, quibus Christus exhibetur *omnium* redemptor, reconciliator, mediator, *agnus qui tollit peccatum mundi* etc.

(1) *Contra Julian.* l. 6. c. 4.

5. Ex necessitate baptismi. Augustinus: « Parvuli in Christo baptizantur; peccato ergo moriuntur. Cui peccato, quaeso te, nisi quod originale traxerunt? » (1).

384. II. Doctrina *traditionis* colligitur *α)* ex Patrum testimoniis, quorum pluribus recitatis, Augustinus ita disserit: « Propter quam catholicam veritatem sancti ac beati et in divinorum eloquiorum pertractatione clarissimi sacerdotes, Irenaeus, Cyprianus, Reticius, Olympius, Hilarius, Ambrosius, Gregorius (Naz.), Innocentius, Joannes (Chrys.), Basilius, quibus addo presbyterum, nolis velis, Hieronymum, ut omittam eos, qui nondum dormierunt, adversus vos proferunt *de omnium hominum peccato originali obnoxia successione sententiam* » (2). Et alibi: « Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credit *antiquitus:* sed tu qui hoc negas, sine dubio es *novus* haereticus » (3). — *β)* Ex ipsa hujus haeresis historia. Cum enim Pelagius et Coelestius probe noscerent Catholicos eorum haeresim exhorrere, usi sunt verbis ambiguis, ita ut in Synodo Diospolitana catholici habiti sint. Unde s. Hieronymus inducit Critobolum partes Pelagianorum sustinentem, qui ita loquitur: « Cogis me, ut ad invidiosum illud veniam et dicam tibi: Quid enim peccaverunt (infantes)? ut statim in me populorum lapides conjicias, et quem viribus non potes, voluntate interficias (4).

γ) Ex conciliorum definitionibus. Statim enim ac haeresis Pelagiana apparuit, non solum Augustinus, Hieronymus aliique celeberrimi viri, sed concilia quoque et Romani Pontifices eam impugnarunt. Ab anno 412 ad annum 431 viginti quatuor concilia habita sunt adversus haeresim Pelagianam. — Inter haec Milev. II et Carthaginense (a. 416) ab Innocentio I in concilio Romae coacto, confirmata sunt. Synodus dein plenaria 314 Episcoporum Carthagine habita est (a. 418): ibi summo omnium consensu anathema dictum est in eos, qui affirmarent « parvulos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod lavacro regenerationis expietur; » et ratio additur: « Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: Per unum hominem etc., nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa sem-

(1) *Contra Julian.* l. 6. c. 3. — (2) *Contra Julian.* l. 2. c. 10. — (3) *De nuptiis et concup.* l. 2. c. 12. — (4) *Dial. cont. Pelag.* l. 3. n. 17.

per intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. » — Pelagii et Coelestii errores condemnavit Zosimus R. P. et conc. oecum. Ephesinum. — Cum nihilominus saec. VI catholicam veritatem iterum corrumpere tentarent, conc. Arausicanum II (an. 529.) sequentem canonem confecit: « Si quis soli Adae praevaricationem suam, et non etiam ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem, in omne genus humanum transiisse testatur, iniustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: Per unum hominem etc. ». Denique Trident. eundem errorem denuo suscitatum, denuo iisdem fere verbis, ut vidimus, condemnavit.

385. Quoad aliqua, quae obiici solent, obscura nonnullorum Patrum praesertim graecorum testimonia, id meminisse sufficiat quod Augustinus respondit Juliano provocanti ad Chrysostomum dicentem: « Ideo et infantes baptizamus, quamvis *peccata non habentes.* » S. Doctor respondit: « Intellige *propria*, et nulla contentio est. At inquies, cur non ipse addidit *propria?* Cur putamus, nisi quia disputans in catholica ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur? Tali quaestione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur » (1). — Erat insuper aliqua ratio, quare *rarius* vel *minus diserte* de peccato originali loquerentur, quod plus minusve in *Oriente* grassarentur errores, qui per excessum a sana deficiunt doctrina, ut Manichaeorum, Origenistarum et Platonicorum.

336. *Obi.* 1. V. 19 *multi* dicuntur constituti per inobedientiam Adae peccatores: ergo universalitas peccati non est completa.

Resp. Dist. antec. Dicuntur multi comparati cum universalitate hominum, ac si sint multi ex illis, *neg.;* multi comparati cum eo uno per quem peccatores constituti sunt, *conc.* Oppositio nempe

(1) *Contra Julian.* l. 1. c. 6. Ceterum aliis in locis ipse Chrysostomus clare tradit doctrinam de peccato originali: « Cum tibi Judaeus dixerit, quo pacto, uno recte agente Christo, universus orbis salvus factus est? possis illi respondere, quo pacto, uno non obediente Adam, universus orbis condamnatus est? » Hom. 10 *in Ep. ad Rom.*

est inter *multos* et unum *(τοῦ ἑνός, οἱ πολλοί)*, per quem sive lapsi sive reparati sunt. Quos autem hic dicit *multos*, supra pluries dixerat *omnes; multi* enim et *omnes* non sibi opponuntur. Unde Augustinus: « Dixit *omnes* et *multos*, ut ostenderet omnes esse multos; non enim semper omnes sunt multi, seu magno numero: sic omnes Evangelistae non sunt multi » (1).

Obi. 2. V. 15 Dicitur gratia Christi abundasse in *plures* quam delictum Adae: ergo hoc non in omnes.

Resp. Dist. antec. Gratia magis abundavit i. e. quoad majorem numerum, *neg.;* quoad copiam donorum seu majora attulit bona, quam mala delictum, *conc.* Graecus textus habet *εἰς τοὺς πολλούς* in *multos*, quae intelligenda sunt sensu positivo supra explicato. Comparatio non instituitur inter numerum et numerum, sed inter donum et donum, et excessus Christi prae Adamo indicatur quoad ea quae ab utroque profecta sunt; gratia enim Redemptoris non solum peccatum originale sed etiam peccata actualia remittit, virtutes infundit etc.

Obi. 3. Antithesis instituitur a Paulo inter Adamum et Christum; atqui non *omnes* justificantur per Christum; ergo neque per Adam omnes perierunt.

Resp. Dist. Antithesis est inter Adam causam damnationis, et Christum causam vivificationis, *conc.;* antithesis est inter damnatos et justificatos, *subdist.* si ratio habetur conditionis in utroque membro, *nativitatis* et *regenerationis, conc.;* secus, *neg.* Dicuntur homines justificari per Christum *quoad sufficientiam*, vel *quoad efficaciam.* Quoad sufficientiam vere *omnes* justificantur in Christo; nam ad Rom. 8, 32 dicitur: *Pro nobis omnibus tradidit illum.* Quoad efficaciam omnes actu justificantur, qui in Christo regenerantur, sicut omnes actu constituuntur peccatores qui ab Adamo generantur.

Obi. 4. Ezech. 18, 20 legitur: *Anima, quae peccaverit, morietur: filius non portabit iniquitatem patris.*

Resp. Cum homines ob peccatum originale puniuntur portant peccata propria; inest enim peccatum originale unicuique proprium. — Ezechiel agit de privilegio novi Foederis. Nam in V. T. Deus visitabat iniquitatem patrum in filios usque ad quartam

---

(1) *Contra Julian.* l. 6. c. 26.

generationem, unde in Israel invaluerat proverbium (Ezech. 18, 2.): *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt.* Deus igitur promittit hanc parabolam non amplius futuram esse in proverbium in lege nova, in qua filii ob peccata propria puniendi sunt.

ARTICULUS III.

De essentia peccati originalis.

387. « Antiquo peccato nihil est ad *praedicandum notius*, nihil ad *intelligendum secretius* » (1). Hac etiam in re igitur, sicuti in multis aliis, a quaestione *existentiae* apprime distinguenda quaestio *essentiae* seu in quo proprie hoc peccatum consistat, quemadmodum quaestio *facti* propagationis non est confundenda cum quaestione *modi* propagationis. De illa, quae est *dogma* definitum, actum est; de hac sunt sententiae quaedam aperte repugnantes definitionibus Tridentini, quaedam minus convenientes, et has refellemus; sunt et opiniones, quae libere defenduntur a catholicis, et de his quid sit tenendum indicabimus. Itaque

388. Prop. 47. **Peccatum originale non est forma quaedam substantialis mala, neque concupiscentia, neque peccatum Adami posteris externe tantum imputatum.**

Demonstr. i. p. Est contra Mathiam Flaccium Illyricum, theologum lutheranum asserentem, peccatum originale non esse accidens animam deturpans, sed esse ipsam animae substantiam ex bona in malam et ex imagine Dei in imaginem diaboli transformatam, sicuti vinum in acetum mutatur. Sed:

a) Omnis substantia est a Deo creata, eaque bona est. — *b)* Anima est immortalis et incorruptibilis: ergo non potest transmutari. — *c)* Juxta Tridentinum (sess. 5. can. 5.) per baptismum tollitur omne id, quod veram et propriam rationem habet peccati; sed animae substantia non tollitur: ergo. — *d)* Christus nostram

---

(1) Augustinus *de Mor. Eccles.* L. 1. c. 22. n. 40.

assumpsit naturam; atqui certe non assumpsit naturam substantialiter malam: ergo. (1)

389. Demonstr. II. p. Est contra Lutherum, Calvinum, Jansenistas, Hermesium asserentes, peccatum originale esse concupiscentiam seu haereditariam quandam pravitatem et ad omnia peccata pronitatem in omnes hominis partes diffusam, quae licet in regeneratis maneat ut peccatum, credentibus tamen non imputatur. Verum:

a) Teste Scriptura (1. Jac. 1, 14), *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem:* ergo concupiscentia per se non est peccatum generans mortem, nisi accedat consensus voluntatis. — *b)* Juxta Paulum (Rom. 8, 1), Tridentinum, Augustinum, baptismo peccatum originis tollitur, deletur, lavatur; sed concupiscentia manet: ergo.

390. Demonstr. III. p. Est contra nonnullos catholicos saec. XVI (Albertum Pighium, Ambrosium Catherinum). Haec sententia non apte cohaeret cum doctrina Pauli et definitionibus Tridentini, secundum quas peccatum originale non *imitatione* sed *propagatione* transfunditur, unicuique inest *proprium,* et in parvulis remittitur omne id quod habet *veram et propriam rationem peccati.*

391. Prop. 48. **Communis sententia tenet, formalem rationem peccati originalis sitam esse in privatione gratiae sanctificantis, qua ex divina ordinatione ornati nasci debuissemus, sed ob actum peccati a primo parente libere commissum, omnes destituti nascimur.**

Demonstr. *a) Ex natura generatim cujusque peccati.* Peccans actualiter se libere avertit a Deo et convertit ad creaturas. Actu peccati physice transacto, manet *status perseverans aversionis a Deo ultimo fine sub displicentia et improbatione Dei,* qui status utpote culpa actuali inductus, est peccatum *habituale.* Porro huiusmodi aversio a Deo non alio constituitur quam *gra-*

(1) Iisdem fere argumentis refellitur etiam error illorum, qui essentiam peccati originalis in *qualitate quadam morbida* collocant.

tiae sanctificantis privatione; nam homo ordinatur et convertitur ad Deum ut finem suum supernaturalem per gratiam sanctificantem, quia per hanc tantum, supposita elevatione, habet debitam rectitudinem moralem: ergo ejus *privatione* constituitur aversio a Deo, et *ejus permanente privatione in sua connexione cum culpa actuali* constituitur status aversionis a Deo fine supernaturali, seu peccatum habituale.

Iam vero ex actuali Adami peccato inductus est in ipso status ille perseverans aversionis a Deo fine supernaturali, seu privatio illa permanens gratiae sanctificantis, quae tamquam effectus in connexione cum sua causa est ipsum peccatum habituale. Et hoc est quod ad nos transit, quodque idcirco, sicut in Adam, ita et in posteris ejus, formaliter consistit in privatione permanente gratiae sanctificantis a culpa actuali Adami inducta. Discrimen tantum est, quod in Adamo status ille relationem habet ad actum personalem liberum, in nobis ad actum capitis naturae. — *b) Ex effectu baptismi,* qui institutus est ad delendum peccatum originale: delet autem per gratiam, quam confert. — *c) Ex Tridentini doctrina,* juxta quam peccatum originale est *mors animae:* animae autem mors est privatio gratiae sanctificantis, sicut mors corporalis est privatio vitae. — *d) Ex communi* theologorum *consensu* in sententiam s. Anselmi: « Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem » (1); et s. Thomae: « Privatio originalis justitiae, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originis: omnis autem alia inordinatio virium animae se habet in peccato originali ut quid materiale » (2).

---

(1) *De conc. virg.* c. 29.

(2) 1. 2. q. 82. a. 3. Haec doctrina s. Thomae de *formali* et *materiali* peccati originalis est communis toti Scholae, quam ut intelligas, adverte, justitiam originalem duas habere partes: alteram, qua mens subiicebatur Deo, alteram, qua caro spiritui. Privatio primae partis dici solet *formale* peccati originalis, privatio posterioris et consequenter *concupiscentia* solet appellari *materiale.* Sic in omicidio, formale elementum est prava voluntas, motus autem brachii ab ea imperatus est elementum materiale: malitia residet primo et per se in actu libero; reliqui actus externi habent se ut materia, quae integrat tale peccatum, et ex ordine ad ipsum actum voluntatis denominationem peccati suscipiunt. Eodem modo primaria et formalis ratio peccati originalis est in deordinatione

392. Scholion I. *De ratione voluntarii in peccato originali.* — « Usque adeo, ait Augustinus, peccatum voluntarium est malum ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium » (1): ergo et peccatum originale aliquo modo voluntarium esse debet. Porro diverso modo voluntarium adest in peccati actu ac in habituali peccato; in actu adest *ratione sui*, in habituali *ratione actus* peccati, cujus est effectus. Hinc peccatum habituale personale erit voluntarium per relationem ad actum illicitum liberum personae, peccatum habituale originale seu naturae per relationem ad liberam transgressionem Adami, qui illud causavit. Non est itaque peccatum originale voluntarium voluntate personali physica sive actuali sive habituali infantium; illud enim contrahunt ante quemcumque actum proprium, sed est liberum *mediate* et *relative* prae voluntate Adami, cujus est effectus. Nam Adam caput erat juridicum familiae seu naturae humanae, cui in ipso tamquam in suo principio collata fuerant dona supernaturalia cum eadem natura communicanda: peccante vero Adamo, tota humana natura in ipso recapitulata peccavit, omnesque, qui eandem naturam participant, ejusdem infectionis participes sunt. Unde dici solet etiam *peccatum naturae.* « Omnes homines, ait s. Thomas, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt.... Sic igitur multi homines ex Adam derivati sunt, tamquam multa membra unius corporis: actus autem unius mem-

---

partis superioris (privatione gratiae); deordinationes vero aliarum partium seu potentiarum, quae a prima illa moventur aut oriuntur, habent se ut integrantes et componentes totam materiam talis peccati, et hac via suscipiunt denominationem peccati a deordinatione primaria et formali, quae in anima existit. Porro sicut remisso vel retractato actu voluntatis libero, a quo ceteri dependent, et hi non amplius imputabiles sunt; ita deleto per baptismum peccato originali, concupiscentia non amplius imputatur ad peccatum, neque rationem peccati habet. Quamvis igitur post baptismum remaneat id, quod fuit pars materialis peccati originalis, tamen dici debet, quod non remanet pars materialis peccati originalis, quia remaneat concupiscentia actu, non tamen remanet reatu, seu non remanet in ratione partis materialis peccati originalis. — Est tamen et alia sententia, juxta quam peccatum originale est *ipsum peccatum Adami actuale, prout* in reatu, seu in debito sustinendi odium Dei, *moraliter perseverat* in ejus posteris. Privatio vero justitiae in hac sententia esset constitutivum *materiale*, cui addendum esset et alterum *materiale* elementum, nempe concupiscentia.

(1) *De vera relig.* c. 14. Cf. prop. Baji 47. damn.

bri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animae, quae primo movet membrum.... Sic igitur inordinatio, quae est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animae movet omnia membra ad actum. Unde peccatum, quod sic a primo parente in posteros derivatur, dicitur originale; sicut peccatum quod ab anima derivatur ad membra corporis, dicitur actuale. Et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi in quantum illud membrum est aliquid ipsius hominis, propter quod vocatur peccatum humanum; ita peccatum originale non est peccatum hujus personae, nisi in quantum haec persona recipit naturam a primo parente, unde et vocatur *peccatum naturae,* secundum illud Eph. 2, 3: *Eramus natura filii irae* (1).

393. Scholion II. *De modo transfusionis peccati originalis* — Medium est *generatio* nam juxta conc. Araus. II et Tridentinum (sess. 5. can. 4) infantes baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod *generatione traxerunt.* Quamvis anima a Deo sit, a generante tamen *efficienter* est *tale corpus,* quod animam exigit, unde *terminus* generationis non est corpus, sed *homo.* In statu justitiae originalis, quoniam lex erat positiva Dei, ut bona supernaturalia simul cum natura propagarentur et sub hoc respectu ad instar essent naturalium, generans produxisset immediate *corpus* cum *dispositione* ad animam sanctam; per peccatum vero natura destituta est illis donis et cum hac privatione natura communicatur. « Spoliavit, ait s. Anselmus, persona naturam bono justitiae in Adam, et natura egens facta, omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate peccatrices et iniustas facit » (2).

---

(1) 1. 2. q. 81. a. 1. Lege etiam *de malo* q. 4. a. 1.

(2) De *conc. virg.* c. 23. — S. Thomas ad obiectionem, animam *immediate* creari a Deo, respondet: « Sic peccatum originale est ina nima, in quantum pertinet ad naturam humanam. Humana autem natura traducitur a parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur, et ex hoc infectionem incurrit, quod fit cum carne traducta una natura. Si enim non uniretur ei ad constituendam naturam, sicut angelus unitur corpori assumpto, infectionem non reciperet. » *De potentia* q. 3. a. 9. ad 3.

Hinc intelligitur 1.° cur *justus* non *gignat justum;* justitia enim et sanctitas in statu naturae reparatae sunt bona propria et personalia, non bona communia et naturae, ideoque non transeunt ad filios, sicut nec doctus generat doctum. 2.° Quomodo propagatio peccati originalis divinae bonitati nullatenus repugnet. Peccato enim originali homines privantur bonis *indebitis*, non vero bonis naturalibus; in hoc autem nihil invenitur benignitati Dei repugnans; sicut nulla fit a rege iniustitia subdito et ejus posteris, quos honoribus omnibus gratuito ei collatis privaret ob grave aliquod crimen, quod ipse in principem commisisset.

ARTICULUS IV.

De peccati originalis sequelis.

394. *Poenae* peccati originalis in posteris sunt:

A) In hac vita:

1. Amissio justitiae originalis (1), gratiae nempe sanctificantis cum omnibus ejusdem effectibus formalibus, et donorum praeternaturalium.

2. Ex hac amissione justitiae originalis est alius effectus in potentiis animae, ut ignorantia in intellectu, infirmitas in voluntate, concupiscentia in appetitu sensitivo.

3. Ex eadem subtractione tertius effectus secutus est in corpore, ut mortalitas, morbi, mors, et alii, quibus subiicimus, corporis defectus.

4. Praeter hos effectus, qui sunt in nobis, sunt etiam alii extra nos, ut ira Dei, captivitas sub diabolo, crudelitas hominum in alios homines, inimicitia et rebellio bestiarum; denique omnia mala, quae a coelo, terra, mari, ceterisque elementis patimur. Centro enim perturbato dejectoque capite, nil mirum, si et ordo *cosmicus* sit turbatus, rerum visibilis universitas vanitati fuerit subiecta (Rom. 8, 20.) et a primordiali conditione sua prope dimota censeatur. (Cf. Gen. 3, 18.)

---

(1) Privatio gratiae sanctificantis potest *active* et *passive* spectari: *active* quatenus ex parte Dei est *subtractio* gratiae sanctificantis, habet rationem poenae a Deo inflictae: *passive* vero quatenus est *status animae*, habet rationem peccati.

Merito igitur praeeunte Araus. II. conc. Trident. definivit (sess. 5. can. 1): « Totum Adam per illam praevaricationis offensam, secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse ».

In his consentiunt nobiscum Jansenistae et Lutherani; sed cum hi praeterea exagerando effectus peccati originalis dicant, per illud extinctum omnino fuisse liberum arbitrium, tenendum est quod definivit idem conc. Trident. (sess. 6. cap. 1): « Liberum arbitrium minime extinctum esse (in nobis), viribus licet attenuatum et inclinatum ».

395. Quae hucusque exposita sunt, pertinent ad *doctrinam catholicam*. Sequitur nunc quaestio, quae in scholis catholicis agitatur, magnae auctoritatis theologis in utramque partem disputantibus. Plures enim contendunt, hominem per peccatum originale nullam passum esse laesionem in naturalibus, adeoque hominem lapsum, quoad naturam, non differre ab homine in statu purae naturae, nisi sicut *spoliatus* differt a *nudo*, et commutationem in *deterius* atque *attenuationem* liberi arbitrii, de quibus Tridentinum, intelligendas esse *comparate* ad illum statum historicum, in quo fuerat ante peccatum, non vero relate ad solam naturam, quam miseriae illae per se consequuntur. — Alii vero asserunt, hominem non solum donis supernaturalibus spoliatum fuisse, sed etiam ipsas ejus naturales facultates in se attenuatas, inclinatas seu vulneratas fuisse, et hoc sensu intelligenda esse citata verba Tridentini et axioma in scholis receptum: « hominem per Adae peccatum spoliatum esse gratuitis, et vulneratum in naturalibus; » ideoque hominem in statu naturae lapsae differre ab homine in statu naturae purae, sicut *aegrotus* a *sano*.

Non potest tamen negari, discrimen adesse inter statum naturae purae et statum naturae lapsae (non reparatae); nam ut alia omittamus, in illo defectus justitiae originalis fuisset simplex *carentia*, in hoc est *privatio;* in illo vulnera fuissent *naturalia*, in hoc sunt *poenae;* in illo non egeret homo gratia medicinali, eget in hoc.

B). In altera vita:

396. 1. *De fide est*, infantes sine baptismo decedentes excludi a vita aeterna, quae in beatifica Dei visione consistit; et ita pati poenam *damni*. Constat ex necessitate baptismi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum*

Dei (Jo. 3, 5). Et ratio est, quia qui caret gratia, non habet jus ad gloriam: parvuli in peccato originali carent gratia: ergo.

2. Disputatur, utrum infantes patiantur poenam *sensus*. Plures Patres latini cum Augustino affirmant, licet mitissimam illam dicant; inter Patres graecos communis fuit opinio contraria, quam nunc fere omnes amplectuntur. Sed de hoc alibi.

Sectio III.

DE ANGELIS.

397. Praestantissimae inter opera Dei sunt creaturae, quas *Angelos* vocamus, qui definiri solent: substantiae spirituales, completae, finitae. Per praedicatum « spirituales completae » distinguuntur ab anima humana, per alterum « finitae » a Deo; mediumque occupant locum inter Deum et homines. Nomen angeli *(ἄγγελος)* ab officio desumptum est et significat nuntium. Ideo Augustinus: « Spiritus autem Angeli sunt, et cum spiritus sunt, non sunt angeli; cum mittuntur, fiunt angeli; angelus enim officii nomen est, non naturae » (1). Hinc licet angeli vocabulum latius per se pateat et aliquando etiam hominibus applicetur, usu tamen ecclesiastico hujusmodi spiritualibus substantiis significandis proprium jam factum est.

398. De angelis agentes, eos 1.° in se; 2.° in eorum ad nos relatione considerabimus.

CAPUT I.

De angelis in se ipsis.

De angelis in se ipsis consideratis disserentes, perpendemus 1.° eorum existentiam, naturam et dotes; 2.° elevationem et lapsum.

---

(1) Enar. in Ps. 103, *Serm.* 1. n. 15.

ARTICULUS I.

De angelorum existentia, natura et dotibus.

A) De angelorum existentia.

399. Prop. 49. **Revelatum est, innumeros existere angelos, a Deo creatos.**

De fide ex conc. Later. IV et Vatic.: « Simul ab initio temporis (Deus) condidit utramque creaturam angelicam et mundanam », contra Sadduceos et Protestantes rationalistas.

Demonstr. i. p. Existentia angelorum probatur: *a)* ex tot *apparitionibus*, quae in periodo patriarchali, mosaica et christiana factae sunt; *b)* ex iis quae in Scriptura enarrantur de Gabriele, Michaele, Raphaele, et generatim de Angelis, qui Deo adstant, eum laudant, eique obediunt, et ab eo in ministerium mittuntur; *c)* ex omnibus quae hac sectione dicentur (1).

Demonstr. ii. p. *De numero* etsi determinate nihil statuere possimus, generatim tamen tenendum est, illum praegrandem esse. (Dan. 7, 10): *Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei.* In Scriptura vocantur *castra, multitudo, militia, exercitus, legiones,* etc. — Patres ita de hac re loquuntur, ut videantur admittere, angelos longe superare homines.

Distinguuntur communiter novem ordines, seu chori angelorum: *Seraphim, Cherubim, Throni, Dominationes, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, Angeli.* Diversa haec nomina cum diversis, quibus funguntur ministeriis connexa sunt. Ex s. Gregorio (2) *Angeli* nuntii, *Archangeli* summi nuntii vocantur; hi ergo,

---

(1) Rationem quod attinet ea, cum agatur de facto, quod a libera Dei voluntate dependet, per se nihil definire potest; attamen angelorum existentiam probabilem demonstrat. Cum enim in hac rerum universitate substantiae existant corporeae completae, existat quoque substantia partim corporea partim spiritualis, nempe homo; convenire admodum videtur universi perfectioni, ut substantia quoque existat pure spiritualis completa, nempe angelus. In eandem sententiam conspirat persuasio generis humani. Cf. s. Thomam 1. q. 50. a. 1.

(2) Hom. 34 *in Evang.* n. 8. sq.

qui minima nuntiant, Angeli; qui vero summa annuntiant, Archangeli vocantur. *Virtutes* autem sunt, per quos signa et miracula frequentius fiunt; *Potestates,* quorum virtute daemones refrenantur; *Principatus* ipsis bonis angelis praesunt; *Dominationes* inter illos quoddam dominium exercent; *Throni* judiciis divinis assistunt; *Cherubim* plenitudine scientiae excellunt; *Seraphim* ardentes vel incendentes vocantur propter flammam amoris. Quam doctrinam utpote in Scriptura (1. Tess. 4, 15; Coloss. 1, 16; Eph. 1, 21; Gen. 3, 24; Ex. 15, 28; Is. 6, 2.) et in pluribus Patribus fundatam citra *temeritatis* notam non licet universim atque infinite aspernari.

Hos novem choros in tres hierarchias seu sacros principatus distribuunt passim theologi. In hierarchia suprema sunt Seraphim, Cherubim et Throni; in media, Dominationes, Virtutes et Potestates; in infima, Principatus, Archangeli et Angeli.

400. Demonstr. iii. p. *Creatos* ipsos esse, est *de fide* contra Manichaeos, Priscillianistas et, posita eorum existentia, in superius demonstratis jam continetur. Praeterea Paulus (Coloss. 1, 16); *In ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates;* et Daniel (3, 57) eos inter opera Dei recenset: *Benedicite omnia opera Domini Domino.... benedicite Angeli Domini Domino.*

401. De tempore autem creationis non una est sententia. De *fide* est, eos non esse ab aeterno productos; hoc enim constat ex Later. IV, et ex eo quod juxta Scripturas et traditionem nulla creatura sit aeterna. Conveniunt etiam omnes, ipsos non post absolutam totius universi creationem, seu post sex dies, esse conditos. — Antiqui aliquot Patres praesertim Graeci opinati sunt, angelos ante primam omnium materiam factos esse. Quamvis haec opinio dici non possit damnata verbis conc. Later. supra allegatis, quia concilium non tempus sed ipsam omnium rerum creationem contra Priscillianistas definire intendebat, et illud verbum *simul* non est necessario intelligendum de *simultaneitate temporis,* sed commode reddi potest vel *sine exceptione* vel *pariter;* non potest tamen negari, ex *obvio* illorum verborum *sensu* haud leve pondus accedere sententiae *neganti creationem angelorum diu praecessisse primam mundanae materiae*

creationem; et in hoc conveniunt omnes theologi (1). Plures putant angelorum creationem indiceri *coeli* vocabulo 1 v. Genesis: *In principio creavit Deus coelum et terram,* vel etiam nomine *lucis* in illo: *Fiat lux.*

B). De natura eorum et dotibus.

402. Prop. 50. **Angeli sunt puri spiritus cujusvis materiae expertes; intelligendi, volendi, agendique facultate hominibus praestantiores, quae tamen suis circumscribitur limitibus.**

Declar. Spiritus vocatur substantia vivens vita intellectiva, quae ideo, quatenus intellectualis, corpus et materiam prorsus excedit. Ita spiritus est etiam anima humana. Spiritus *purus* est spiritus nulli corpori naturaliter unitus neque ordinatus ad unionem cum corpore, sed qui per se est natura completa, a materia independens omnino et quoad esse et quoad suas operationes.

403. Demonstr. i. p. I. Scriptura angelos constanter appellat *spiritus.* (Ps. 103, 4): *Qui facis angelos tuos spiritus;* (Hebr. 1, 4): *Nonne omnes sunt administratorii spiritus;* (Apoc. 1. 4): *Et a septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Eodem nomine etiam angeli mali designantur. Nomen vero *spiritus* quamvis tribuatur etiam rebus corporeis, ut vento et aeri, quando

---

(1) S. Thomas in suo Opusculo XIX (al. XXIII) cui titulus: *In Decretalem I expositio ad Archidiaconum Tridentinum,* sic explicat verba Concilii: « Alius fuit error Origenis ponentis, quod Deus a principio creavit solas spirituales creaturas, et postea, quibusdam earum peccantibus, creavit corpora, quibus quasi quibusdam vinculis spirituales substantiae alligarentur; ac si corporales creaturae non fuerint ex principali Dei intentione productae, quia bonum esset eas esse, sed solum ad puniendum peccatum spiritualium creaturarum.... Unde ad hoc excludendum dixit: « Simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam » Alius error fuit Aristotelis ponentis quidem omnia a Deo producta esse, sed ab aeterno, et nullum fuisse principium temporis.... Et ad hoc excludendum addit: « Ab initio temporis. » Alius error fuit Anaxagorae, qui posuit quidem, mundum a Deo factum ex aliquo principio temporis, sed tamen materiam mundi ab aeterno praeextitisse, et non esse eam factam a Deo. Et ad hoc excludendum addit: « De nihilo. » Fuit autem alius error Tertulliani ponentis animam hominis corpoream esse.... Et ad hoc excludendum subdit: « *Deinde,* scilicet condidit Deus, *humanam,* scilicet naturam, quasi communem, scilicet ex spiritu et corpore constitutam: componitur enim homo ex spirituali natura et corporali. »

tamen tribuitur rei intelligenti semper significat rem incorpoream, ut (Jo. 4, 24): *Spiritus est Deus*, (Galat. 5, 17): *Caro concupiscit adversus spiritum.* Porro substantia resultans ex spiritu et corpore neque appellatur *simpliciter* spiritus, neque appellari potest. Ita homo non dicitur simpliciter spiritus, licet spiritu constet. Spiritus quidem dicitur anima humana, attamen ita ut significetur, eam esse partem humanae naturae; dicitur enim *spiritus hominis, spiritus noster, spiritus qui in homine est, spiritus concupiscens adversus carnem.* Contra angeli appellantur simpliciter *spiritus*, nulla habitudine significata ad illud, cujus sint pars. Imo Paulus (Eph. 6, 12) eos *spiritus* vocat in oppositione ad materiam: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem,.... sed contra spiritualia nequitiae in coelestibus.*

404. II. Nonnulli Patres angelis praeter naturam spiritualem corpus quoddam subtile et aereum adscripserunt, alii dubii haeserunt, ut adhuc saec. XII s. Bernardus (s. 5 *in Cant.).* Major tamen pars tradit, angelos esse puros spiritus. Sic e. g. s. Gregorius Nazianz. angelos dicit *incorporeos, simplicesque* et *intelligentes* (1); s. Gregorius Niss. angelos *incorpoream naturam* nominat, et de hac re dicit: « mundo illa superior et expers materiae natura, quae ab omni septo corporeo libera est et soluta » (2). s. Gregorius M. interrogat: « Quis sanum sapiens esse spiritus corporeos dixerit? » (3). Damascenus definit angelos « substantiam intelligentem materiae atque corporis expertem » (4). — Conc. Later. IV docet, Deum utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam quasi communem, ex corpore et spiritu constitutam. Iuxta concilium igitur Deus triplicem condidit naturam, corpoream scilicet, quae est mundana; spiritualem, quae est angelica; et mixtam ex corpore et spiritu, quae est humana; et manifeste naturam angelicam opponit naturae corporali seu mundanae, et humanae ex spiritu et corpore constitutae, adeoque illam hoc ipso absolute spiritualem nihilque admixtum corporei habentem dicit. — Hinc factum est, ut post hoc concilium, theo-

(1) *Or.* 38 a. 43. — (2) *Lib.* 12. c. *Eunom.* et *Catech.* c. 6. — (3) *Dial.* l. 4. c. 29. — (4) *De fide orth.* l. 2. c. 3.

logi, paucis exceptis, in eam sententiam concesserint, qua angeli puros esse spiritus statuitur, quaeque nunc communis est in scholis.

405. **Corollarium.** Ex his sequitur, angelos in aliquo sensu esse *naturaliter* immortales et incorruptibiles, quippe qui nullum habent corruptionis principium, nec ab ullo agente creato corrumpi possint, cum partibus careant ideoque partium dissolubilitate, nec pendeant a subiecto sustentante. — In aliquo tamen vero sensu non sunt *naturaliter* immortales, quia cum sint creaturae, per se et ex natura sua non exigunt infrustrabiliter existere, sed possunt annihilari a Deo, secluso scilicet praesenti libero decreto eos in aeternum conservandi.

406. Demonstr. ii. p. Angelos intellectu et voluntate praeditos esse, praeterquam quod ex eorum natura spirituali, aperte ex Scriptura colligitur. (Matth. 16, 10): *Angeli eorum in coelis semper vident (intuentur) faciem Patris;* (Jac. 2, 19): *Demones credunt et contremiscunt;* fides vero sine intellectu non potest concipi. (1. Petr. 1, 12): *In quem desiderant angeli prospicere;* desiderium importat voluntatem, quae praeterea, et quidem libera, ex eorum quoque peccato eruitur. — In his eos praestare hominibus, apparet ex comparatione, quam instituit Paulus cum Filio Dei ad demonstrandam hujus prae illis excellentiam (Hebr. 1, 4 sq.), et ex iis quae (2. Reg. 14, 20) leguntur: *Tu rex.... Rex sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.* Et generatim de homine dicitur: *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (Ps. 8, 6).

Eorum tamen virtus intellectiva ita communiter limitatur, ut *a)* angeli *certo non cognoscant secreta cordium,* quia Scriptura talem cognitionem solius Dei asserit esse propriam: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum* (3. Reg. 8, 39); *Pravum est cor omnium et inscrutabile, quis cognoscet illud?... Ego Dominus scrutans cor, et probans renes* (Jer. 7, 9). Hujus limitationis ea videtur esse ratio, quod creatura intellectualis, utpote nata, constituere cum aliis societatem, atque ob dignitatem et excellentiam propriam naturaliter exigit et jus habet, ut cogitationes et volitiones suae alteri non innotescant sine proprio consensu. — *b) Vi proprii intellectus nequeunt praescire futura libera,* quia horum cognitio uni adscribitur Deo, et ut nota exhibetur divinitatis: *Annuntiate quae*

ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos (Is. 41, 23); *Ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei. Annuntians ab exordio novissima, et ab initio, quae necdum facta sunt* (ibid. 46, 9. 10). — *c) Viribus naturalibus* ea mysteria gratiae *certo* et *evidenter* cognoscere non possunt, quae non solum quoad modum sed etiam entitative supernaturalia sunt, ut mysterium ss. Trinitatis, incarnatio, gratia, habitus fidei, spei et caritatis; quia excedunt capacitatem, et quia nullus est effectus seu signum naturaliter cognitum ab angelo, quod habeat naturalem connexionem cum hoc aut illo effectu supernaturali.

407. Demonstr. iii. p. Angelos *agendi potentia homines antecellere* sufficienter ex adlegatis (n. 406) testimoniis constat. Sed insuper extant in Scriptura de hac re luculenta exempla. *Angelus percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia* (Is. 37, 36); *excussit flammam ignis de fornace* (Dan. 3, 49); *portavit* (Habacuc) *capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum* (ibid. 14, 35); *accedens revolvit lapidem* (Matth. 28, 2) etc. Praeterea etiam ex miris, quae e. g. magi Aegyptiorum ope daemonum fecerunt, satis patet, quanta sit potentia angelicae naturae. Ex his deducunt passim theologi, angelos posse movere corpora et alios spiritus, posse sibi assumere corpora vel ex aëre et vaporibus formata, vel etiam realia, non tamen ea posse formaliter vivificare, sed tantum gerere ut motores; posse apparere, sive vere in his adaptatis sibi corporibus, sive tantum speciebus in phantasiam immissis; posse in hominis phantasiam ejusque corporales humores et organa agere et ita indirecte movere intellectum et inclinare voluntatem, quin eam tamen ad unum determinent. Possunt etiam, applicando activa passivis quaedam mira supra ordinem naturae nobis notae efficere; *vera* tamen *miracula* propria virtute patrare, vel aliquid *creare* non possunt: imo nec quae de se possunt, ea omnia facere permittuntur.

408. Scholion. i. *De natura cognitionis angelicae.* — Quoad *medium, modum, obiectum,* cognitionis angelicae, haec statuunt theologi: 1.° Angeli utpote in potentia indigent determinatione ad intelligendum. Concedit s. Thomas, angelum intelligere seipsum per suam *essentiam,* quae speciei intelligibilis munere fungitur, sed pro reliquis obiectis requirit *species intelligibiles*

quae eis cum intellectuali natura infusae sunt; alii harum necessitatem negantes praeter facultatem intellectivam obiectumque eidem proportionatum nihil aliud requirunt. — 2.° Modus cognoscendi angelorum relate ad eas res, quorum evidentiam habet, est mere intellectualis, non, sicut noster, rationalis seu discursivus; relate vero ad res supernaturales et ea omnia quae evidenter non cognoscit, vel per coniecturam tantum, ut sunt secreta cordium, est aliquo modo discursivus, licet sine successione aut mora temporis peragatur. — 3.° Quoad obiectum angelus *naturaliter* cognoscit intuitive propriam substantiam, omnes alias substantias tum materiales tum spirituales, quibus est praesens vel quae sunt intra spheram suae cognoscibilitatis; abstractive sed evidenter Deum.

409. Scholion. ii. *De locutione Angelorum.* — Angelos Deo et inter se colloqui constat ex Scriptura. Alteri loqui est ei suam intellectionem et volitionem manifestare. Hinc angelorum *lingua* est virtus manifestativa mentis, *auditus* est intellectus et *auditio* intellectio, qua angelus percipit actus alterius ad se directos. Sic cum angeli (Is. 6, Apoc. 7) dicuntur *clamare ad invicem,* significatur magnitudo rei de qua loquuntur, vel ardor affectus, quo volunt rem manifestare. Porro quoad modum locutionis, s. Thomas docet angelum alteri intellectionem vel volitionem suam manifestare per solam liberam ordinationem sui conceptus ad hoc, ut illi innotescat (1). Unde fit, ut unus possit alterum alloqui, quin alii illum percipiant, licet simul sint praesentes. Et sane, intellectui angelico actus alterius angeli saltem intra certam distantiam est per se cognoscibilis; nihil, ut reapse cognoscatur, obstare videtur nisi ejus independentia et exigentia ut actus sit naturaliter secretus; atqui haec per consensum cessat, quo libere vult ut uni vel pluribus pateat volitio sua: ergo.

410. Scholion. iii. *De loco et motu angelorum.* — Certum est, angelos non esse ubique sed esse alicubi, seu alicui loco esse substantialiter praesentes. Porro in certo quodam loco sunt non *circumscriptive* sicut corpora, quorum moles a loco correspondente linea mensuratur, sed *definitive,* ita scilicet ut non sit ubique sed totus in toto loco et totus in qualibet parte illius.

---

(1) S. Thomas 1. q. 107. a. 2.

Quaerenti autem *quo* seu per *quid* substantia angeli sit in loco, s. Thomas respondet, *per applicationem suae virtutis.* Hinc intelligitur, utrum angelus possit esse naturaliter *in pluribus* locis. *Materialiter* i. e. secundum substantialem praesentiam nequit angelus naturaliter esse in duobus dissitis locis, quin sit in intermedio; *formaliter* autem, i. e. secundum operationem potest, quia potest operari in duobus inter se dissitis locis, dummodo intra spheram suae virtutis jaceant, quin operetur in spatio intermedio, sicut homo potest movere duos lapides inter se distantes, ad quos ejus brachia sese extendunt, quin moveat intermedios. Nam « totum illud, cui immediate applicatur virtus angeli, reputatur ut unus locus ejus, quamvis non sit continuum » (1).

Ex his sequitur, angelos sese movere localiter; et hoc saepe factum esse, Scriptura commemorat. De modo autem scribit S. Thomas: « Cum angelus sit in loco per contactum virtutis, non subditur loco, ut contentus ab eo, sed magis continet locum sua virtute, supereminens in loco. Unde necesse ei non est, ut sequatur in suo motu conditiones loci, sed voluntati suae subest, quod applicet se per contactum virtutis huic loco et illi, et si vult, absque medio; sicut etiam intellectus potest applicari intelligendo uni extremo, puta albo et postea nigro indifferenter, vel cogitando vel non cogitando de mediis coloribus » (2).

ARTICULUS II.

De elevatione et lapsu angelorum.

411. Prop. 51. **Angeli omnes gratia sanctificante aucti et ad statum supernaturalem evecti sunt.**

Est sententia *communis* et *certa.*

Demonstr. Certum est, angelos bonos nunc Dei visione esse perpetuo beatos. Scriptura enim ea nomina et munia tribuit angelis, quae nonnisi beatis supernaturali beatitudine competi possunt. Vocantur enim *angeli coelorum* (Matth. 24, 36), *filii Dei* (Job. 38, 7), *sancti* (Marc. 8, 38), *cives coelestis Jerusalem*

(1) S. Thomas 1. q. 52. a. 2. — (2) *Quodlib.* 1. q. 3. a. 5.

(Apoc. 4 et 5), *qui adstant ante Dominum* (Tob. 12, 15), *et vident faciem Dei* (Matth. 18, 10). Atqui beatitudinem hanc meritis propriis ex divina gratia consecuti sunt, proinde ad eam olim in via fuerunt: ergo. *Prob. min. a)* Beatitudo haec cum sit supernaturalis, primo non est aliquid naturae, sed naturae finis, et ideo non statim eam a principio debuerunt habere; secundo nulla creatura rationalis potest habere motum voluntatis ordinatum ad illam beatitudinem, nisi mota a supernaturali agente, et hoc dicimus auxilium gratiae: ergo angelus ad illam beatitudinem voluntate converti non potuit, illamque assequi, nisi per auxilium gratiae (1). — *b)* Confirmatur analogia hominis, cujus (Ap. 21, 17) dicitur in coelesti Jerusalem eandem esse mensuram cum angelis. Atqui homines habent beatitudinem commensuratam suis gratiae meritis; ergo et angeli. — *c)* Idem eruitur ex verbis Christi: *Diabolus in veritate non stetit* (Jo. 8, 44), et s. Judae 6: *Non servaverunt suum principatum.* Haec verba magnam quandam et sublimem dignitatem per peccatum amissam denotant; atqui dona naturalia peccando angeli non amiserunt: ergo exprimunt gratiam sanctificantem et dona supernaturalia, quae per peccatum deperdita sunt (2). Atqui Deus ex parte sua uniformiter se gessit cum omnibus angelis quoad statum, donec illi per sua opera inaequales in Dei beneficentia recipienda se fecerunt, ut communiter docent Patres: ergo omnes donis illis supernaturalibus ornati sunt. — *d)* S. Basilius: « Quod angeli sunt, ab opifice Verbo universorum conditore habent; eis vero *sanctitatem* Spiritus sanctus impertivit » (3); s. Jo. Damascenus: « Per Verbum omnes angeli creati sunt, ac per Spiritus sancti sanctificationem omnis perfectionis numeros acceperunt » (4); Augustinus: « Bonam voluntatem quis fecit in angelis, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum casto amore, quo illi adhaeserunt, *creavit, simul in eis condens naturam et largiens gratiam* » (5).

Quoad *tempus* elevationis, nonnulli cum s. Bonaventura arbitrati sunt, angelos per aliquod tempus post creationem fuisse in solis naturalibus, deinde elevatos ornatosque gratia sanctifi-

(1) S. Thomas 1. q. 62. a. 2. — (2) Cf. Catech. Rom. P. 1. c. 2. q. 17. — (3) S. Basilius *in Ps.* 32. n. 4. — (4) *De fide orth.* 1. 11. c. 3. — (5) *De civ. Dei* 1. 12. c. 9.

cante. Alii cum s. Thoma, quae sententia nunc est communis, tenent, eos in ipsa creatione accepisse simul cum natura gratiam elevationemque, quod tradiderat et Augustinus verbis citatis.

412. Prop. 52. **Elapso probationis tempore, qui fideles permanserunt, ad gloriam et visionem Dei sunt evecti; qui vero infideles peccando extiterunt, aeternis poenis addicti sunt; est itaque dogma catholicum quod existunt daemones.**

Declar. Triplex mora seu temporis spatium distinguendum est: in primo creati auctique fuerunt donis supernaturalibus; in secundo in via constituti sunt probationis, in qua magna pars libero arbitrio et gratia bene utentes sese converterunt ad Deum, ei caritate adhaeserunt et meruerunt augmentum gratiae et gloriae; ceteri vero peccarunt; in tertio denique boni praemio et gloria donati, mali aeterno supplicio mulctati sunt. Prima et secunda mora pertinent ad *viam* angelorum, tertia ad terminum. De prima mora in thesi egimus antecedente; de altera et tertia in hac.

413. Demonstr. I. p. *Constituti sunt in stadio probationis.* — Si enim angeli, ut probatum fuit (n. 411), gratia ornati sunt ut beatitudinem mereri possent, profecto in *via* ad illam adeoque in stadio probationis constituti sunt, quod insuper ex multorum lapsu confirmatur. In hoc stadio probationis cognitionem Dei abstractivam et, si vis, per fidem etiam, minime vero intuitivam habuerunt.

Nota. Conveniunt Doctores hoc tempus probationis in angelis fuisse perbreve. Imo juxta s. Thomam (1) post primam electionem jam in termino fuerunt: « Angelus post primum actum caritatis, quo beatitudinem meruit, statim beatus fuit. » Idem de angelis malis docet.

414. Demonstr. II. p. *Qui fideles permanserunt, ad gloriam translati sunt.* — Constat ex testimoniis allegatis (n. 411), praesertim cum de illis dicatur quod *semper vident faciem Patris mei* (Matth. 18, 10). Unde Augustinus: « Cadentibus aliis per liberum arbitrium, steterunt ipsi (angeli sancti), et hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa esse mansuros » (2). Est constans Patrum et theologorum doctrina.

---

(1) 1. q. 62. a. 5. — (2) *De corrept. et grat.* c. 11. n. 32.

415. Demonstr. iii. p. *Multi peccarunt et aeternis poenis addicti sunt.* — Quod multi peccaverint, *dogma* est fidei propositum a conc. Later. IV. c. 1.: « Diabolus et alii daemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali. » (Luc. 10, 18): *Videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem;* (2. Petr. 2, 4): *Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos;* (Jud. v. 6): *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium,* (i. e. meritorie et hinc coacti sunt deserere coelum); *in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservavit;* (Jac. 2, 19): *Angeli credunt et contremiscunt;* (Jo. 8, 44): *Vos ex patre diabolo estis.... in veritate non stetit;* (Matth. 25, 41): *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.*

Conspirant in hanc sententiam omnes Patres docentes, daemonis nomen non naturae esse, sed propriae voluntatis malae, omnes angelos a Deo creatos esse bonos, sed peccato malos esse effectos, non daemones sed angelos a Deo fuisse conditos, seseque daemones fecisse.

Quod *peccantes in aeternum damnati sint,* colligitur ex immediate superius citatis jam Scripturae textibus, quibus accedit unanimis Patrum consensus. Ratio vero est, quia Deus eis denegavit tempus et gratiam ad poenitentiam agendam. Cur autem Deus hominibus non vero angelis peccantibus fecerit reparationis locum, varias afferunt Patres rationes. Prima est, quia homo peccavit alio suadente et decipiente: angelus vero sua sponte. Secunda: homo peccavit ex fragilitate, angelus ex malitia. Tertia: peccante uno homine, periit tota humana natura; peccante angelo non tota periit natura angelica. Ultima tamen ratio est voluntas Dei.

Haec autem eorum damnatio consistit; 1.° in amissione gratiae sanctificantis; 2.° in poena damni posita in privatione visionis et fruitionis Dei; 3.° in inflictione aeternorum suppliciorum, inter quae ignis corporeus communiter recensetur (1).

416. **Corollarium.** *Cum daemones sint angeli lapsi, daemonum existentia est dogma catholicum.*

---

(1) De his fusius in Tractatu *de Novissimis.* — Quamvis aliqui antiqui Patres doceant, daemones omnes in hoc nostro aere degere usque ad ultimi judicii diem,

417. Scholion. Quoad *qualitatem* peccati angelorum fuerunt inter antiquos nonnulli, qui verba (Gen. 6, 2): *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores*, forte propter minus accuratam versionem Alexandrinam: *ἰδόντες δὲ οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ;* intelligentes de angelis, arbitrati sunt peccatum angelorum fuisse peccatum *luxuriae*. Verum nomine *filii Dei* non angeli veniunt sed *filii Seth*, qui ob avitam pietatem dicuntur *filii Dei* in oppositione ad posteros Caini, qui ob morum corruptionem filii hominum vocantur. Non enim possunt intelligi angeli *boni*, quia hi neque nubunt, neque nubentur (Matth. 22, 30); non mali, quia hi non vocantur filii Dei. — Communis sententia est, peccatum angelorum fuisse *superbiam*. Nam (Sap. 10, 15) legitur: *Initium omnis peccati superbia;* et (Tob. 4, 14): *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio;* denique Paulus docens, quis in Episcopum eligendus sit, ait (Tim. 3, 6): *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Praeter superbiam commiserunt etiam peccatum invidiae, ut eruitur ex (Sap. 2, 24): *Invidia diaboli mors intravit in mundum;* verum hoc non fuit primum eorum peccatum, sed per superbiam gratiis supernaturalibus jam perditis, ideo etiam hominem ad imaginem Dei factum indigne tulerunt. — Quodnam vero fuerit obiectum hujus superbiae non clare constat. Suarez cum aliis theologis putat, angelis revelatam fuisse unionem hypostaticam humanae naturae Christi cum Verbo, eamque pro se ambivisse, humanae Christi naturae invidisse, eique noluisse sese subiicere. Juxta alios peccatum angelorum in eo consistere videtur, quod ex inordinato affectu erga naturalem suam perfectionem ac pulchritudinem, atque ex nimia sua complacentia neglexerint beatitudinem supernaturalem ex gratiae auxilio per actus obedientiae suo creatori exhibendae obtinendam, suis naturalibus contenti, domi-

---

quo in inferni carcere detrudentur, in eo in aeternum detinendi et igne torquendi; communior tamen nunc sententia est, omnes daemones jam inde a casu eorum in inferni carcerem detrusos esse, sed permittente Deo, eos posse per aerem et terram vagari ad exercitium et impugnationem hominum. Cf. Ephes. 6, 12, in quem locum Hieronymus: « Haec omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui coelum et terram medius dividens, inanis appellatur, plenus est contrariis fortitudinibus. »

natum in ceteras creaturas ambiverint, subesse noluerunt Deo per actuale imperium eos gubernanti, atque hac ratione affectaverint sibi sufficere, suum finem ultimum in se constituerint, sicque supremam quandam et maxime inordinatam celsitudinem appetiverint, Altissimoque similes esse voluerint. — In hac vero rebellione fuisse principem, qui exemplo et hortatu suo ceteros in ruinam praecipitavit, illumque fuisse in perfectione naturali supremum, communiter tradunt theologi; et ipsa Scriptura illum ducem et caput specialibus insignire solet nominibus: *principis* nempe *hujus mundi* (Jo. 12, 31); *Dei hujus saeculi* (2. Cor. 4, 4); *principis daemoniorum* (Matth. 9, 34); *Beelzebub* (ibid. 12, 24); *Satan, Diaboli, Belial* (Luc. 11, 18; Matth. 25, 41; 2. Cor. 6, 15); *draconis magni, serpentis antiqui* (Apoc. 2, 9); *Luciferi* (Is. 14, 12).

CAPUT II.

De relatione angelorum ad homines.

418. Consideratis angelis in se, considerandum venit eorum cum hominibus commercium, et 1.° quidem bonorum, 2.° malorum.

ARTICULUS I.

De custodia angelorum bonorum.

Bonorum angelorum officia sunt, *Deum laudare,* ejus voluntati *obsequi,* ei in mundi gubernatione *ministrare,* hominumque curam et *custodiam* gerere. De hac postrema, statuimus:

419. Prop. 53. **Dogma est revelatum angelos bonos in hominum generatim deputari custodiam; certum quoque est singulos homines praesertim fideles suos habere angelos custodes; nec improbabile est, regnis, provinciis, ecclesiisque suos praeesse angelos.**

Demonstr. i. p. *a)* (Ps. 90, 11. 12): *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum;* (Hebr. 1, 14):

Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis?; (Matth. 18, 10): *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei.* Confirmatur innumeris Scripturae exemplis, e. g. Abrahae, Agar, Jacob, Danielis, Tobiae, Petri, etc. quibus Deus angelorum ministerio beneficia contulit. — *b)* Idem in apertissima continetur totius Ecclesiae fide, ut apparet tum ex sacris liturgiis cultum angelorum custodum continentibus, tum ex disertis testimoniis Patrum omnis aetatis, qui ex sententia non propria sed fidei angelos appellant *custodes, paedagogos, et puerorum institutores, praeceptores hominum, episcopos, pastores, pastores gregum.* Ita Basilius, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, qui concludit, praeceptum dilectionis etiam ad angelos se extendere, « a quibus tanta nobis impenduntur officia, quanta multis divinarum scripturarum locis animadvertere facile est » (1).

420. Demonstr. ii. p. Sententia est *communis,* et si agitur de fidelibus, *certa,* singulis hominibus ab ortu nativitatis suae suum proprium angelum in custodiam destinatum esse. Hoc insinuare videntur verba Psalmi superius citata, quibus angelorum custodia veluti peculiaris ad singulum hominem describitur, et adhuc apertius Christus Dominus, cum de parvulis dixit (Matth. 18, 10): *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est;* illud enim *eorum* peculiariter pro ipsorum custodia deputatos esse, suadet. — Dari angelos custodes, hominibus peculiariter deputatos, jam aevo apostolico creditum est. Cum enim liberatus e carcere Petrus ad domum, ubi fideles erant congregati, pulsaret, et ancilla nuntiaret, adesse Petrum, fideles *dicebant: angelus ejus est* (Act. 12, 15), quod eis in mentem venire, nisi ex communi fide, non potuit. « Ergo, argumentatur Origenes (2), intelligitur et alius Pauli angelus, sicut et Petri, et alius alterius Apostoli, et singulorum per ordinem, » et alio in loco: « Adest unicuique nostrum, etiam minimis, qui sunt in Ecclesia Dei, angelus bonus, angelus Domini, qui regat, moneat, qui gubernet, qui pro actionibus nostris corrigendis et miserationibus expo-

(1) *De Doctr. chr.* l. 1. c. 30. n. 33. — (2) Hom. 11. *in Num.* n. 4.

scendis quotidie videat faciem Patris, qui in coelis est » (1). Basilius: « Unicuique fidelium affixus est angelus, dignus, qui Patrem, qui in coelis est, videat » (2). Hieronymus: « Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum » (3). Anselmus: « Unaquaeque anima, dum in corpus mittitur, angelo committitur » (4), quibus addi possunt Theophylactus, Justinus, Clemens Alex., Eusebius, Gregorius Nyss., Cyrillus Alex. etc. — Huc facit maxime fidelium de hac veritate communis persuasio.

Quamquam nonnulli Patres de fidelibus sermonem habent, eorum tamen expressiones non sunt exclusivae, et alii generatim et indefinite loquuntur. Hinc communis theologorum sententia ad omnes homines extendit tutelam propriorum angelorum. Accedit et ratio theologica: nemo ex reprobis et infidelibus viatoribus excluditur a mediis salutis generalibus; inter quae est angelorum tutela; nam Deus vult sincere etiam reproborum salutem.

421. Demonstr. iii. p. Hoc colligitur ex Dan. (10, 13. 20. 21), ubi mentio fit Gabrielis principis captivorum in Perside, Michaelis principis populi Dei, Principis Persarum et Principis Graecorum qui duo postremi probabilissime sunt alii angeli, quibus eae nationes commissae sunt, sicut Michaeli natio judaica commendata fuit. Inter Principem Persarum et Gabrielem erat dissensus, an Judaei essent liberandi ex Perside nec ne; et quisquis causam agebat pro gente sibi commissa (5). Citantur pro hac sententia Origenes, Basilius, Ambrosius, Hieronymus, aliique. *Dices:* Haec generatim de angelo custode ex platonicis commentis asserunt Patres. — *Resp.* Nequaquam; Patres enim doctrinam illam proponunt tamquam divinitus revelatam, confirmantque Scripturae effatis, quam ob rem dicendum potius est, gentilium fabulis de geniorum tutela, vestigium contineri revelationis divinae vel generi humano patriarchis factae, vel populo judaico, unde ad alias gentes derivata est; sicuti de aliis doctrinae capitibus contigit.

---

(1) *Hom.* 20 *in Num.* n. 3. — (2) *Hom. in Ps.* 48. — (3) *In Matth.* l. 3. — (4) *Elucidar.* l. 2. c. 28.

(5) De hac pugna inter angelos Cf. s. Thomam 1. q. 113. a. 8. Addi potest, quod angeli diversorum regnorum tutores, dum adhuc divinum eos decretum latet, possunt pro commisso sibi munere velle consulere genti sibi concreditae, ut quae duo angeli velint, pugnantia invicem reperiantur.

422. Scholion. Si angelorum in homines generatim quaeras munera, ea his continentur, ut illorum sospitatis, educationis, vitae totius, ac sempiternae praesertim salutis curam gerant; ut daemonum insidias et imminentia undique pericula propulsent; animos ad virtutem faciant; timidos confirment; moerentes recreent; lapsos erigant; orantibus assistant, et eorum preces offerant Deo; postremo ut perfunctos hujus vitae casibus post obitum excipiant, et ad beatorum societatem transferant.

ARTICULUS II.

De daemonum impugnatione.

423. Sicut angeli boni multis amoris officiis homines prosequuntur, ita angeli mali odio in Deum invidiaque in homines tabescentes, in eorum perniciem conspirant, nec quidquam intermittunt, quo malos eos efficere possint et infideles. Non tamen omnia quae velint, possunt; sed ea tantum, quae ipsis a Deo contra homines agere permittuntur. Hujusmodi impii daemonum conatus, vires suas applicantium ad mala moralia et physica in mundo promovenda, designantur nomine generico *infestationis* seu *impugnationis* daemoniacae. Est autem triplex ejusdem species: *tentatio, obsessio* et *magia*. De singulis breviter.

A) De tentatione.

424. Prop. 54. **Homines ad peccatum a daemonibus tentantur.**

Declar. *Tentatio* est sollicitatio ad peccatum. Haec esse potest a concupiscentia, a mundo, a daemonibus. Hi quidem multiplici modo homines ad peccandum allicere possunt: directe sive visibiliter sub aliqua specie, ut in paradiso terrestri, sive invisibiliter excitando phantasiam et appetitum, obtenebrando rationem; vel indirecte, sive per homines malos, sive per res externas.

425. Demonstr. I. (Petr. 5, 8. 9): *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide;* (Eph. 6. 11): *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* — Protoparentes, David, Judas ad peccandum, teste Scriptura, suasu diaboli inducti sunt. — Tentationibus daemonis expositis

solatio nobis esse debet illud Pauli: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (1. Cor. 10, 13).

B) De Obsessione.

426. Prop. 55. **Admittenda est etiam obsessio daemoniaca.**

Declar. *Obsessio* generatim consistit in physica hominis corporis vexatione, et a veteribus theologis distinguebatur in *circumsessionem*, si diabolus tantum extrinsecus hominem circumobsidet, in *obsessionem* si corpus humanum inhabitat, in *possessionem*, si illud ita inhabitat, ut pene omnes ejus vires physicas sibi vindicet. Eam esse possibilem nemo inficiabitur, qui meminerit, dotes naturales, quas supra commemoravimus, daemones per peccatum non perdidisse. In concipienda vero Dei permissione, ut talia daemones agant, non major est difficultas, quam pro permissione generatim morborum, tentationum, seductionum, persecutionum et peccati. Adsunt enim sanctissimae rationes, ob quas Deus hinc inde tales obsessiones permittat, de quibus s. Bonaventura: « Permittit hoc Dominus sive ad gloriae suae ostensionem, sive ad peccati punitionem, sive ad peccantis correptionem, sive ad nostram eruditionem: sed ex qua istarum causarum determinate permittat, latet hoc humanam industriam, propter hoc, quod occulta sunt judicia Dei: hoc tamen planum est, quod non fiant iniuste, et ideo non permittit talia sine causa » (1).

427. Demonstr. Multi ex recentioribus exegetis rationalismo infectis contendunt per daemoniacos, cujus mentio frequenter occurrit in Evangeliis, nonnisi naturaliter aegrotos, aut insanos intelligendos esse; sed talis interpretatio nullo modo potest admitti. Nam *a)* in Evangelio saepe distinguuntur naturaliter aegroti ab illis qui daemonia habebant: *Afferebant ad eum omnes male habentes et daemonia habentes* (Marc. 1, 32. cf. Matth. 4, 24). — *b)* Phrasis adhibita ad significandam liberationem a daemone a Christo factam, est: *eiicere daemones;* (Marc. 1, 34): *Et curavit multos... et daemonia multa eiiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.* Atqui talis expressio nullum sensum haberet, si ageretur de sanatione morbi naturalis: ergo. — *c)* Ea sunt adiun-

(1) In 2. Dist. 8. P. I. a. 7. q. 7.

cta hujusmodi liberationum a daemone, quae cum interpretatione rationalistarum nullo modo conciliari possunt. Christus enim ex una parte alloquitur daemones, eos interrogat, increpat, daemones vero ex altera parte exhibentur loquentes, clamantes, rogantes Christum etc. (cf. Matth. 8, 28 sq.). — *d)* Christus contulit Apostolis potestatem eiiciendi daemones distinctam a potestate curandi infirmos: *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eiicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem* (Matth. 10, 1). Ergo dantur hujusmodi obsessiones, quas confirmant ea quae in Actibus Apost. leguntur de daemonibus a Petro, Philippo et Paulo eiectis. — Quod vero etiam posterioribus saeculis et nostra aetate extiterint obsessi a daemonibus, testantur Patres et confirmat *ordo exorcistarum*, et decreta conciliorum de energumenis edita.

428. *Nota.* Cum in praxi agitur de obsessione, cum magna prudentia est procedendum, neque ex levi coniectura quisquis pro obsesso est habendus. Signa obsidentis daemonis juxta Ritual. romanum (tit. *de exorcizandis obsessis)* haec sunt: « ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere, vires supra aetatis seu conditionis naturam ostendere et id genus alia, quae cum plurima occurrunt, majora sunt indicia. »

C) De Magia.

Magia generatim est facultas mira patrandi. Si miri eventus producuntur ope virium naturalium, quae aliis sunt occultae, vel ope artis et dexteritatis, magia vocatur *naturalis,* si ope daemonis, *diabolica* seu *nigra.* Implicat igitur haec magia aliquod cum daemonibus superstitiosum commercium.

Ad magiam late sumptam pertinet 1.° *divinatio,* seu inquisitio occultorum ope daemonis (oracula, necromantia, sortilegium, auguria); 2.° *vana observantia,* qua media improportionata et a Deo non instituta adhibentur ad certum effectum obtinendum (ars sanandi variis signis vel rebus sacris, ars notoria etc.); 3.° *Magia stricte* dicta, seu ars faciendi mira ope daemonis, et in hoc differt a vana observantia quod ejus effectus sunt magis miri; sed latiori sensu omne commercii genus cum daemonibus comprehendit; 4.° *Maleficium,* seu ars nocendi ope daemonis; 5.° *daemonolatria* i. e. cultus daemonis.

In magia distingui debet *crimen*, *factum* et *ars*. Crimen magiae est impius conatus ope daemonis mira efficiendi. Factum magicum est quilibet effectus ope daemonis productus. Ars magica est facultas, positis quibusdam signis, daemonis ope miros effectus *certo* et *constanter* producendi. His praemissis, dicimus:

429. Prop. 56. **Existentia artis magicae negata, concedendum est crimen et factum magicum esse possibile ac subinde contigisse vel contingere.**

Demonstr. i. p. Ars magica quominus admittatur, obstare videntur *a)* absolutum Dei in res omnes dominium, quod velut abdicasse dicendus esset, si homines pro lubito, positis quibusdam signis, quaecumque vellent, semper obtinerent; *b)* ipsa daemonum potestas, quae limitata est et semper a Deo dependet; *c)* multa incommoda, quae inde sequerentur.

430. Demonstr. ii. p. Crimen magiae constituitur ipso hominis conatu, efficiendi mira ope daemonis. Atqui profecto est possibilis ex parte hominis voluntas et consequens conatus aliquid ope daemonis consequendi vel efficiendi, sive sequatur effectus sive non sequatur. Imo et contigisse hoc probant leges gravissimae a Deo et ab Ecclesia statutae contra eos, qui hujus sceleris rei fiunt (1).

431. Demonstr. iii. p. Etiam factum magicum in singulis quibusdam casibus admitti debet. Neque horum factorum existentiam defendentes, omnia ea admittimus reapse contigisse, quae per diversa tempora de lamiis et strigis multiplicibusque earum artibus narrata fuere; fatemur, multas illusiones in hac re locum habuisse,

(1) « Quidam dixerunt, inquit s. Thomas in 4. d. 34. q. 1. a. 3., quod maleficium nihil erat in mundo, nisi in aestimatione hominum, qui effectus naturales, quorum causae sunt occultae, maleficiis imputabant. Sed hoc est contra auctoritates sanctorum qui dicunt, quod daemones habent potestatem supra corpora et supra imaginationem hominum, quando a Deo permittantur; unde per eos malefici signa quaedam facere possunt. Procedit autem haec opinio ex radice infidelitatis, sive incredulitatis, quia non credunt esse daemones, nisi in aestimatione vulgi tantum, ut terrores, quos homo sibi ipsi facit ex sua imaginatione, imputet daemoni, et quia etiam ex imaginatione vehementi aliquae figurae apparent in sensu tales quales homo cogitat, et tunc creduntur daemones videri. Sed haec vera fides repudiat, per quam angelos de coelo cecidisse et daemones esse credimus, et ex subtilitate suae naturae multa posse, quae nos non possumus; et ideo illi qui eos ad talia facienda inducunt, malefici vocantur. »

et difficile saepe esse, effectum magicum ab effectu discernere mere naturali (1); ast neque omnia, quae a viris fide dignis de hac re narrantur, ad fabulas esse releganda existimamus. Sane Scriptura hujusmodi factorum saepe mentionem facit. Sic in historia Jobi legimus, Satanam, Deo permittente, latrones evocasse, ventos et tempestates in aere excitasse, ignem de coelo demisisse, atque in ipso ejus corpore varios gravissimosque morbos induxisse. Talia signa, quae Exod. 7, 11 leguntur, Magi aegyptici nonnisi ope daemonis patrare poterant. Hujusmodi facta Christus ipse praenuntiavit dicens: *Surgent Pseudochristi et Pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi* (Matth. 24, 24). Paulus operationi Satanae adscribit prodigia Antichristi, *cujus est adventus secundum operationem Satanae, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus* (2. Thess. 2, 9). — Patrum vero haec est certissima doctrina, perversionem humani generis opus esse Satanae, qui numina invexit, cujus operatio se immiscuit in omnibus gentilium sacris, qui oracula edebat, portenta et mira operabatur, ut homines deciperet, sibi cultum divinitatis arrogaret (2).

432. Scholion. Ad facta magica revocari possunt phaenomena hodierni *magnetismi* et praesertim *spiritismi*. Horum explicanda est *indoles, veritas* et *causa*.

1.° Quoad *indolem,* phaenomena magis singularia *magnetismi* haec sunt: visio in distans; cognitio multarum scientiarum et linguarum penitus ignotarum, nec non occultarum hominum actionum; praevisio futurorum; sensuum commutatio, qua v. g. visus transfertur ad occiput vel epigrastrium, auditus ad pedes etc. — *Spiritismi* autem: corpora circumvagantur per aera; omnis generis sonus audiuntur, percussionibus respondetur ad quaestiones, spiritus evocantur, qui comparent atque personam assumunt sanctorum, B. Mariae V., imo ipsius Christi, interrogationibusque respondent etc.

2.° De *veritate historica* horum factorum dubitare non licet. Sunt enim publica, notoria, frequentia, quae ubique locorum in multorum contingunt conspectu; referuntur a testibus plurimis

---

(1) In praxi haec regula attendi debet: *In dubio factum aliquod tamdiu habendum est pro naturali, quamdiu non probetur contrarium.*

(2) Cf. Palmieri *De Deo creatore* th. XXIX.

cujuscumque conditionis, ex cunctis civilibus nationibus utriusque emispheri, ab insignibus physicis, medicis, ab episcopis; confirmantur vel ab his, quorum maximi intererat falsitatem detegere, qui illa prius negabant atque irridebant.

Si igitur agitur de complexu horum factorum, non vero de singulis quibusdam casibus, in quibus fraudes et praestigiae subrepere potuerint, haec in dubium vocari non possunt, quin argumenta scepticismo suppeditentur, omnisque fere fides historica labefactetur.

3.° Si *causam* rogas horum phaenomenorum, dicimus, si non omnia, plurima tamen in suo complexu daemoni esse adscribenda. Si enim hujusmodi facta cum iis comparantur, quae apud gentiles frequentabantur, quisque facile deprehendit, maximam sive quoad media adhibita, sive quoad effectus productos, sive quoad finem, inter ea intercedere similitudinem. Atque Patres uno ore docent, illa ad daemonis interventum referenda esse (1): ergo et haec. Et sane, causa horum phaenomenorum, quae ex eorum harmonia et unitate una esse cognoscitur, non est ex iis quae necessario agunt caeco modo, sed est causa intelligens et libera; porro non est homo, quia homo non adhibet nisi nutum suae voluntatis, qui solus nequit esse efficax ad extra; ergo est alius agens intelligens sive spiritus, qui materia uti potest, quique imperio alterius voluntatis potest parere: hic vero non est spiritus aliquis bonus, quia nedum ullus finis Deo dignus in his omnibus apparet, sed et plurima occurrunt Deo et quovis bono spiritu indignissima, iisque repugnantia. Ergo est spiritus aliquis malus, qui dicitur Diabolus, qui seducit universum orbem (2).

---

(1) Cf. Palmieri *op. cit.* th. XXX.

(2) Ad interventum hunc diaboli explicandum s. Thomas hanc regulam generalem constituit: « In his quae sunt ad aliquos effectus particulares inducendos, considerandum est, utrum naturaliter non videantur posse tales effectus causare.... Unde si naturaliter non videantur tales effectus causare, consequens est, quod nec adhibentur ad hos effectus causandos tamquam causae, sed solum quasi signa. Et sic pertinent ad pacta significationum cum daemonibus inita » 2. 2. q. 96. a. 2, et ibidem q. 95. a. 3: « Omnis divinatio utitur ad praecognitionem futuri eventus aliquo daemoniorum consilio vel auxilio: quod quidem vel expresse imploratur, vel praeter intentionem hominis se occulte daemon ingerit ad praenuntiandum futura quaedam, quae hominibus sunt ignota. » Cf. Gury, Ballerini ed. 4. t. l. n. 276. sq., et Perrone *Praelect. theol. de virtute religionis etc.*

TRACTATUS IV.

DE VERBO INCARNATO.

433. Humani generis Adae peccato lapsi misertus Deus *misit Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (Gal. 4, 4, 5), *ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam* (Jo. 3, 16). Hoc est illud *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, praedicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (1. Tim. 3, 16). Altissimum hoc Dominicae incarnationis mysterium est principium, fundamentum ac centrum, ex quo promanat, quo innititur et ad quod revocatur tota oeconomia christiana.

434. Haec tractatio apte in duas partes dispescitur, quarum prior de Christo, ut est *in se* agit, et *Incarnatio* seu *Christologia* appellatur; altera quid Christus *sit nobis* seu finem et opus ipsum Incarnationis expendit, et *Redemptio* audit: utramque Patres Graeci *οἰκονομίας*, Latini *dispensationis* vocabulo frequenter significare solent. His intime connexam subnectimus tertiam partem, quae *Mariologiae* nomine venit, in qua de ea disserimus, quae Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, nimirum de B. V. M. Matre Dei, cum appendice de cultu sanctorum.

Sectio I.

DE INCARNATIONE.

435. Incarnatio *active* ut operatio divina, et *passive* ut status inde proveniens considerari potest; sub priori respectu est: assumptio naturae humanae a Verbo facta in unitatem personae ad genus humanum redimendum; sub altero respectu: unio hypostatica naturae divinae simul et humanae in una Verbi persona.

Sive ipsam Incarnationis definitionem, sive haereseon de ea historiam spectes, commode tota haec doctrina in quatuor capita distribuitur: 1.° de *persona assumente;* 2.° de *natura assumpta;* 3.° de *ratione unionis* personae divinae cum natura humana seu de *unione hypostatica;* 4.° de praecipuis hujus unionis *consectariis.*

CAPUT I.

De Persona assumente.

436. Supposita demonstratione in theologia generali contra rationalistas exhibita, Jesum Christum fuisse divinum legatum et Deum, ideoque religionem Christianam divinae esse originis, demonstratio modo contra haereticos christianos, nempe Cerinthianos, Ebionitas aliosque Gnosticos, Paulum Samosatenum, Arianos, Socinianos, plures ex Protestantibus, stricte *theologica* et directa ejusdem divinitatis ex fidei fontibus instituitur.

437. Prop. 57. **Jesus Christus, quem ut Filium hominis in tempore natum et in terris conversatum esse nunc sumimus, est etiam ex Scripturarum doctrina verus Deus.**

De fide ex universa, constanti et publica Ecclesiae professione et ex solemni conc. Nicaeni definitione: « Credimus.... in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, genitum ex Patre unige-

nitum, idest ex substantia Patris; Deum de Deo.... Deum vero de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri. »

Demonstr. Ille est verus Deus, cui vera filiatio divina, nomina divina, attributa divina, operationes divinae, cultus divinus tribuitur; atqui haec omnia vere et proprie Jesu Christo Scripturae adscribunt: ergo.

1. *Vera filiatio divina.* Non solum in psalmis certe messianis 2 et 109 Christus dicitur naturalis Filius Dei ab aeterno genitus (n. 243), sed explicite in N. T. praedicatur *Filius Dei dilectus, verus, Filius proprius, primogenitus, unigenitus.* Atqui haec nomina significant, Christum vocari Filium non improprie sicut Scriptura justos vocat Dei filios, sed proprie, ut cum Isaac Abrahae vocatur filius, proindeque ex substantià Patris genitum esse. Nam *a)* nomine *Filii simpliciter* ille intelligitur *qui generatione existit;* praesertim cum *b)* confessio, Jesum esse Filium Dei, tamquam divinitus inspirata laudatur, eoque tendere exhibetur *ut credentes vitam habeant in nomine ejus,* et a Judaeis pro blasphemia habita fuit; si enim nomen Filii improprie per eam tribueretur, nihil laude vel reprehensione dignum, neque tanta in ea virtus contineretur. Accedit *c)* quod dicatur *Filius proprius et verus* prae illis qui tantum adoptivi sunt filii, quique prae illo exhibentur *servi* (Heb. 3, 5 sq.), quodque *d)* appellatione confirmatur *unigeniti* (Jo. 1, 18; 3, 16); nam si creatus magnis esset auctus gratiae donis, primogenitus quidem, minime vero unigenitus dici posset. Ergo cum substantia divina necessario sit una unitate singularitatis, cui multiplicitas absolute repugnat, Jesus Christus est Filius Dei generatione unius ejusdem numerice cum Patre substantiae h. e. consubstantialis Patri, adeoque verus Deus.

438. 2. *Nomina divina,* et *a)* quidem nomen *tetragrammaton incommunicabile,* quo nonnisi unus solus verus Deus semper designatur. Ps. 96 describitur verbis magnificis apparitio aliqua Dei *Jehovah* in orbe terrarum: *Dominus regnavit, exultet terra, laetentur insulae multae... Adorate eum omnes angeli ejus. Audivit et laetata est Sion... Quoniam tu Dominus* (Jehovah) *altissimus super omnem terram* etc. Atqui Paulus (Heb. 1, 6.) docet, illum cujus apparitio in eo Ps. describitur, esse Filium Dei Jesum Christum (1).

---

(1) *Et cum iterum (πάλιν) introducit primogenitum in orbem terrarum,*

— Secundam partem Psalmi 101, quae est de glorificatione Sionis et conversione gentium (de Ecclesia N. T.) incipit Psaltes appellatione ad illum ipsum, qui est aedificaturus Sion (Ecclesiam): *Tu Domine* (Jehovah) *in aeternum permanens.... Tu exurgens misereberis Sion.... Timebunt gentes nomen tuum Domine* (Jehovah) *et omnes reges terrae gloriam tuam... Aedificavit Dominus* (Jehovah) *Sion... Tu in principio Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, et omnes ut vestimentum veterascent, et veluti amictum mutabis eos et mutabuntur; tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.* Atqui haec dicta esse de Christo Paulus affirmat (Heb. 1, 10-12): ergo non solum Christo nomen tetragrammaton tribuitur, sed ut Deus aeternus, immutabilis, creator coeli et terrae, praeter quem alius non est Deus, exhibetur.

b) Nomen *Deus,* ex quo argumentum deducitur quoad substantiam ab antecedente haud diversum. Ostensurus Paulus Christi super angelos excellentiam, ad hoc quidem, scribit (Heb. 1, 7. 8), pertinere, quae (Ps. 103, 4) leguntur: *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis;* ad Christum autem spectare verba (Ps. 44, 6): *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi, virga aequitatis, virga regni tui.* Deum igitur a regio Psalte appellatum esse Christum significat Paulus, et Deum ipse appellat. — Confessionem Thomae (Jo. 20, 28): *Dominus meus et Deus meus,* non esse exclamationem admirantis qua Patrem resuscitantem collaudet, sed qua Filium resuscitatum Dominum suum et Deum confitetur, ideoque esse ad Christum et de Christo, liquet ex verbis praecedentibus, quibus Thomas Christum compellat: *Respondit Thomas et dixit ei (εἶπεν αὐτῷ).* — (Rom. 9, 5): *Ex quibus* (Israelitis) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula* (1). — (Tit. 2, 13): *Expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Magnum Deum esse Christum evincit omissio

---

dicit: et adorent eum omnes angeli ejus (Heb. 1, 6), h. e., Deus, inquit Paulus, ut auctor princeps Psalmi describit in eo ingressum primogeniti in mundum, et hunc primogenitum, dum ingreditur mundum, angeli ejus adorare jubentur.

(1) Hanc esse genuinam punctorum positionem, verbaque Pauli *Deus super omnia* semper ad Filium retulisse Patres, contra Rationalistas plena et doctissima disputatione demonstrat Franzelin th. IX.

in graeco articuli ante nomen σωτῆρος et analogia Scripturarum, quae quoties de regno Dei saltem ut h. l. de regno Dei consummato agunt, adventum et ἐπιφάνειαν semper enuntiant de Jesu Christo. — (1 Jo. 5, 20): *Et scimus, quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna.* Pronomen *hic* οὗτος referri ad Filium demonstrat *a)* ejus indoles, quod relationem dicat ad id, quod immediate praecedit; *b)* ipsa sententiae connexio; terminus enim deesset, ad quem referri apte possit; *c)* scopus Joannis in epistola et Evangelio scribendo, cujus epistola haec dedicatio quaedam est et introductio, qui is erat ut demonstraret non Patrem esse verum Deum sed quid de Verbo incarnato sentiendum sit. – De testimonio Joannis: *In principio erat Verbum* etc. (cf. n. 228). Praedicatur igitur Christus *Deus, magnus Deus, verus Deus, super omnia Deus benedictus in sæcula.*

439. 3. *Attributa divina.* Inprimis *creatio.* (Jo. 1, 3): *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est;* in filio dilectionis paternae *condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, omnia per ipsum et in ipso creata sunt* (Coloss. 1, 16); Deum aeternum et immutabilem *coeli terraeque factorem,* esse *Dei Filium* diserte docet Paulus (Heb. 1, 10. sq). Atqui vis creatrix semper exhibetur in Scripturis ut nota distinguens et proprius character unius veri Dei (1); ergo. — Pariter *gratiae et supernaturalis vitae efficentia* Christo tribuitur. Christus est *via, veritas et vita* (Jo. 14, 6); *resurrectio et vita* (Jo. 11, 25); *lux mundi* (ibid. 8, 12); *vita aeterna, quae erat apud Patrem et apparuit nobis* (1. Jo. 1, 2); *vitam aeternam dat eis* (ovibus suis) *et non peribunt* (Jo. 10, 28); *auctor vitae* (Act. 3, 15); mittit Spiritum sanctum, simulque testatur, quod veritatem nobis annuntiandam ille Spiritus de suo accipiet (Jo. 15, 26; 14, 26). Est itaque Christus principium Spiritus sancti et omnis gratiae et vitae supernaturalis ita, ut solum in eo manens ferat fructum, et non manens in eo sine vita arescat (Jo. 15, 5. 6). Atqui, quia vita supernaturalis ex ipsa sua ratione est ultra

(1) *Ego sum Dominus* (Jehovah) *faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram et nullus mecum* (Is. 44, 24).

omnes limites naturae eminens, nonnisi is ejus principium esse potest, qui supra totum ordinem naturae evectus est, ideoque non creatura, sed Deus est (1). — Cujus rei ea ratio redditur, quod Christi *potentia et operatio eadem* numero est, quae est Patris. *Pater meus usque modo operatur et ego operor.... Quaecumque ille fecerit, haec et Filius similiter facit.... Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult, vivificat....* (Jo. 5, 17. 19. 21): atqui operatio in Deo et virtus est ipsa ejus essentia; ergo. — Quam *identitatem* essentiae seu *consubstantialitatem* cum Patre Christus etiam expresse sibi vindicavit: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt* (Jo. 16, 15) quod falsum esset, nisi communis ei cum Patre esset ipsa divina essentia; et adhuc disertius: *Ego et Pater unum sumus* (Jo. 10, 30); quae significare identitatem essentiae patet *a)* ex verbis ipsis: nam nemo propter solam voluntatis unionem dicitur *simpliciter unum* cum Deo. « Unum, inquit s. Thomas, dicitur sicut ens; unde sicut aliquid non dicitur ens simpliciter nisi secundum substantiam, ita nec unum nisi secundum substantiam vel naturam » (2). *b)* Ex antecedentibus; afferuntur enim haec verba tamquam ratio assertae aequalitatis suae cum Patre potentiae *(nemo potest oves eripere de manu mea sicut nemo de manu Patris)*; atqui in identitate potestatis includitur et ut fundamentum supponitur unitas essentiae: ergo quando ad declarationem antecedentium Christus dicit: *ego et Pater unum sumus*, non possunt haec verba intelligi nisi de naturae unitate. Quod *c)* luculenter confirmatur ex subsequentibus, ex modo nempe quo

(1) Cf. s. Thomam 1. 2. q. 102. a. 1.

(2) Neque infirmatur argumentum si cum Arianis obiicias illa Christi verba: *ut sint* (fideles) *unum, sicut et nos unum sumus* (Jo. 17, 22). Nam ex eo quod aliquo in loco Patris et Filii unitas ea spectatur, quae voluntatis consensionem dicit, inferri nullatenus potest, hanc solam inter eos extare unitatem. Praeterea voluntatis consensio prodire potest tam ex voluntatis singularitate atque proinde ex unitate numerica naturae et essentiae, quam ex superno charismate, quo fiat, ut plurium voluntates in unum conspirent. Atqui dato Jo. 17 voluntatis consensionem inter Patrem et Filium spectari, hanc ex singularitate voluntatis ob naturae in Patre et Filio unitatem enasci Jo. 10. docemur. Denique ex eo, quod unitas Patris et Filii nobis velut exemplar omnis sanctae unionis proponitur, merito quidem concluditur, eam esse supremam, sed praepostere infertur, eam ejusdem esse ordinis et rationis, ac est unitas fidelium sive cum Deo, sive inter se mutuo. An putas ex eo, quod Dei sanctitas Deique perfectio ut exemplar nobis obiicitur, quod imitemur, inferri licere, ejusdem illam rationis esse et ordinis, quam creata sanctitas et perfectio?

Judaei sensu proprio de identitate essentiae illa verba intelligunt, et quo Christus hunc non corrigit et emollit, sed tuetur et inculcat (1).

440. 4 *Cultus divinus.* Generatim Scripturae Christo vindicant supremum, qui soli vero Deo debetur, *latriae* cultum. *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.* (Jo. 5, 23); *Adorent eum omnes angeli ejus* (Heb. 1, 6); *In nomine Jesu omne genuflectatur coelestium, terrestrium, et infernorum* (Phil. 2, 10); *Crescite vero in gratia et in cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis* (2. Pet. 3, 18).

Speciatim vero actus fidei, spei et caritatis. *Creditis in Deum et in me credite* (Jo. 14, 1); adeoque Christus non solum est obiectum materiale, quod credendum est, sed etiam obiectum formale fidei, propter cujus auctoritatem credendum est. Praeterea fides in Filium Dei exhibetur tamquam principium et fons vitae et salutis et fundamentum justificationis. — Item Christus appellatur simpliciter *spes nostra* (I. Tim. 1, 1); spei nostrae obiectum et ratio, ex quo preces, quas fundimus, vim suam omnem mutuantur, a quo solo virtute donamur, qua ad opera quaevis salutaria apti reddimur, et a quo difficultatibus omnibus superandis atque rebus adversis et malis ferendis pares constituimur (Jo. 14, 13, 14; 15, 4, 5; 16, 34; 1. Jo. 3. 2, 3). — Christus non solum dilectionem erga se et dilectionem erga Patrem coniungit (Jo. 14, 21), sed etiam expressis verbis erga se postulat *amorem super omnia* (Matth. 10, 37; Luc. 14, 26; Rom. 14, 8; II. Cor. 5, 15). Atqui his virtutibus continetur ex una parte testificatio ipso facto comprehensa, Deum esse absolutam Veritatem absolutamque Bonitatem, quae cuivis menti et voluntati dominetur et cujusvis vitae sit centrum; ex altera vero totius hominis Deo velut absoluto domino intima subiectio ac consecratio: quae omnia *soli Deo* debentur ac sine gravissimo impietatis et idololatriae crimine creaturae praestari non possunt: ergo.

---

(1) In toto hoc sermone Christus ut identicas habet quatuor has propositiones: Ego et Pater unum sumus — Deus sum — Filius Dei sum — facio opera Patris, ut credatis, quia Pater in me est et Ego in Patre; — ex quo consequitur sermonem esse de filiatione propria per naturae a Patre in Filio communicationem.

Haec omnia in unum veluti apicem colligi a Joanne in evangelii sui exordio, alibi demonstratum est.

441. Scholion. Ad solvendas difficultates, quae ex Scripturis fieri possent, animadvertendum est, Christum non tantum Deum sed etiam hominem esse, pluraque de ipso sub hoc respectu praedicari. Insuper etiam ut Deus est tamen *Deus de Deo, Deus genitus a Patre*, a quo habet communicatam divinam naturam. Cum ergo Filius omnia sua in Patrem refert ut e. g. *omnia quae dedisti mihi abs te sunt; — quae docuit me Pater, haec loquor in mundo; — non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* etc. divinitatem sibi non negat, sed genitum se et Filium, non *αὐτόθεον* et ingenitum se profitetur. Hoc sensu de divinitate nempe multi Patres praesertim graeci illud (Jo. 14, 28): *Pater major me est* intelligunt, ita ut significetur Patris *ἀξίωμα,* quo Filii est principium, quin tamen ullam inducat inaequalitatem; dum alii illud ad *humanitatem* referunt. — Alterum (Jo. 17, 3): *Haec est vita aeterna ut* etc. nullam facessere potest difficultatem, si animadvertatur vocem *solum* non afficere subiectum *te*, sed praedicatum *verum Deum,* ut patet ex textu graeco: *ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀλεθινὸν θεόν* ita ut sensus sit: ut cognoscant te, qui es Deus ille, qui est solus verus Deus.

442. Prop. 58. **Eadem veritas traditionis doctrina constat.**

Demonstr. Argumenta in tractatu de *Trinitate* ad demonstrandas tres divinas personas allata divinitatem simul Jesu Christi evincunt. Placet tamen specialia quaedam hic proponere, et haec quidem ex documentis ecclesiasticis antenicaenis deprompta: post Nicaenam enim synodum universalem fuisse ecclesiae de Christi divinitate fidem, ne Sociniani quidem in dubium vocare ausi sunt. Itaque eandem fidem tenuisse ecclesiam tribus quoque prioribus saeculis probatur:

a) Ex ipsa arianae haeresis historia. *Subita* enim *denuntiatio* novi erroris facta per Alexandrum ep. Alexandrinum et per concilium Alexandriae habitum ad universi orbis episcopos, verbis et exclamationibus, quae summum horrorem ostendunt, pariterque *consensus universalis* episcoporum, qualis jam ante conc. Nicaenum manifestus apparuit in tot litteris, quas ipsi ad Ale-

xandrum reddiderunt: *modus ipse,* quo postea Arius ejusque sectatores, ne impii ab omnibus haberentur, haeresim suam tegere studebant iis vocibus et sententiis utentes, quae sensu obvio Verbum exhibebant verum Deum; haec omnia sane manifestant, novam haeresim in eam fidem offendisse, quam universa Ecclesia per orbem dispersa explicite profitebatur.

443. *b)* Ex martyrum testimoniis, quae passim in genuinis actis occurrunt. S. Martialis (a. 150): « Omnes qui non confitentur Christum verum Deum esse, in ignem aeternum mittentur; » s. Justinus (a. 167): « Dominum Jesum Christum Dei Filium confitemur. Ego quidem homo imbecillis sum et longe minor, quam ut de infinita illius deitate aliquid magnum dicere possim; » s. Nicephorus (a. 260): « Nos christiani Christum Deum habemus regem quoniam ipse est solus verus Deus et creator coeli et terrae; » s. Felix Nolanus: « Credimus in D. N. J. Christum qui cum perfectus Deus esset, factus est simul et homo perfectus ex Virgine incarnatus » (1).

444. *c)* Ex Patribus. S. Ignatius: « Deus noster Jesus Christus in Patre existens magis apparet.... opto vos valere in Deo nostro Jesu Christo » (2); Iraeneus: « Christo Jesu Domino nostro, et Deo et Salvatori, et regi secundum beneplacitum Patris invisibilis omne genu curvetur » (3), et alibi: « Filius Dei, qui Deus est.... quoniam Deus et quoniam in Bethleem adventus ejus... Deus igitur homo factus est » (4); Tertullianus: « Pauca de Christo ut Deo.... Hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum et idcirco Filium Dei, et Deum dictum unitate substantiae.... de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum » (5), et alibi: « Solum autem Christum potero Deum dicere unius et individuae substantiae cum Patre » (6); Cyprianus: « Habemus advocatum et deprecatorem pro peccatis nostris, Jesum Christum et Dominum et Deum nostrum » (7); Dionysius Alex.: « Unus est Christus, qui est in Patre, coëternum Verbum, una ejus persona, Deus invisibilis visibilis factus. Deus enim apparuit in carne natus ex muliere, qui erat ex Deo Patre genitus ex utero ante Luciferum » (8). Episcopi, qui in synodis Antiochenis hae-

---

(1) Cf. *act. Mart. sinc.* a Ruinartio *edita.* — (2) Epist. *ad Rom.* n. 3. — (3) *Adv. haer.* l. 1. c. 3. — (4) *Ibid.* l. 3. c. 23. — (5) *In apol.* c. 21. — (6) *C. Prax.* c. 13. — (7) *Epist.* 3. — (8) Epist. *ad Paul. Samos.*

resim Pauli Samosateni damnarunt in epistola ad hunc directa, hujusmodi saec. III. fidei professionem ediderunt: « Hunc Filium genitum, unigenitum Filium, imaginem invisibilis Dei, primogenitum omnis creaturae, Sapientiam et Verbum et Virtutem Dei qui est ante saecula, non praescientia, sed substantia et hypostasi Deum et Dei Filium, in veteri et novo Testamento agnoscentes confitemur. »

445. Scholion. Fuerunt, qui fidem de divinitate Filii nonnullorum Patrum antenicaenorum in dubium vocarent. Ast immerito. Distingui enim oportet *substantia dogmatis* a *terminologia*. Quoad primum, quominus dissensus cum Patribus posterioribus admittatur, praeterquamquod diserta illorum Patrum doctrina superius allata, cujus testimonia facili negotio multiplicari possent (cf. Maranum *divinitas J. Christi* l. 4 et 5), obstant insuper eorundem unio cum ecclesia, auctoritas et veneratio, qua tamquam lumina spectabantur ab ipsa ecclesia, connexio, qua Patres sequentes cum antecedentibus cohaerent, ipsorum Arianorum horror a majorum auctoritate et testimonio, et speciatim quoad hanc quaestionem, natura ipsa dogmatis, quod a doctoribus catholicis ignorari non potuit et intra fines Ecclesiae in discrimen vocari, quin alii Pastores reclamarent.

446. Quoad terminologiam vero non est inficiandum, occurrere penes illos Patres modos loquendi duriores, qui per se et seorsum sumpti diversitatem naturae et inferioritatem Filii indicare videntur. Verum hujusmodi locutiones exponi sic neque debere neque jure posse, ut contra ipsam substantiam dogmatis repugnent, omnia superius allata argumenta demonstrant: eae igitur non dogmaticam, sed hermeneuticam tantum continere difficultatem possunt. Ad hanc vero generatim diluendam sedulo animadvertendum est 1.° illis usos fuisse Patres « cum nondum de Trinitate perfecte disputatum est, » cum scilicet formulae et definitiones erroribus tam monarchianis quam triusianis directe oppositae nondum ratae erant ac fixae, quas formulas ipsa non nisi paulatim peperit necessitas, ut dogma unitatis et distinctionis semper creditum muniretur adversus haereticos, et fraudes detegerentur, quibus errorem illi occultabant; et 2.° scopum ipsum polemicum Patribus illas adhibendi fuisse occasionem. Disputabant enim cum monarchianis realem personarum distin

ctionem negantibus et in dogmate de unitate essentiae cum catholicis plenissime consentientibus; hinc haud aegre intelligitur, quomodo parum solliciti de identitate et unitate naturae ab omnibus admissae et unice personarum distinctionem urgentes iis aliquando uterentur terminis, qui posteriori aetate, fixis jam ac ratis ad dogma exprimendum formulis, minus apti videri possint.

447. Haec, si prae oculis habentur, viam quoque speciatim ad difficultatis hermeneuticae solutionem sternunt. Itaque 1.° si interdum loquuntur de relatione Filii ad Patrem velut inferioris ad superiorem, haec effata vel ad humanam naturam sunt referenda, vel, si ad divinam, non de naturae diversitate sed de *relatione originis*, qua natura divina a Patre communicatur Filio, accipi debent. Hoc sensu explicantur verba Tertulliani, quibus Patrem *totam substantiam*, Filium autem *portionem Patris* nominat (1). Portio enim ipsi idem est ac *partitio*, non divisionem significans, sed, pro perfectione rei de qua agitur, solam communicationem. Tertullianus alibi expressionem ita explicat, quod Pater est plenitudo, Filius vero portio, quatenus est *consors plenitudinis* (2). — 2.° Neque aliud quidpiam quam eadem realis distinctio principii et procedentis a principio exprimitur a Patribus illa locutione, *Patrem jubere, Filium autem obtemperare et Patri in creatione ministerium exhibuisse.* Sicut enim eum jubere dicimus, qui voluntatem suam alteri, ab eo distinctae voluntati, ita nihil prohibet, quominus eum quoque jubere dicamus, qui voluntatem suam ipsam communicat alteri hypostasi a propria distinctae; et vicissim, si obedientem eum nominamus, cujus voluntas in agendo voluntatem alterius a propria distinctam velut legem sequitur, obedientem etiam eum appellare licet, qui voluntate agit ab altero realiter quoad hypostasim distincto communicata. Jubet igitur Pater, quia generatione Filio voluntatem suam communicat; obtemperat Filius, quia nascendo ex Patre una cum natura Patris quoque voluntatem accipit, et cum voluntate ipsam quoque potentiam et operationem, quae *ministerii* nomine designatur. « Tria, ait Basilius, intelligis, mandantem Dominum, creans Verbum, confirmantem Spiritum sanctum.... Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt,...

(1) C. *Praxeam* c. 9. — (2) C. *Marcion.* l. 2. c. 6.

non quod instrumentale et servile ministerium expleat, sed quod tamquam creator paternam perficit voluntatem. Proinde quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolata intelligamus Filio veluti subdito praescribentem, quid facere debeat; *sed ut Deum decet, cogitemus voluntatis communicationem, velut formae cujusdam irradiationem in speculo a Patre in Filium aeternaliter dimanantem* (1). — 3.° Si quando aeternitatem Filio abjudicare videntur, eo quod a Patre in creatione prolatum dicunt, haec non nisi de Verbi *manifestatione ad extra* intelligenda sunt. Unum idemque nempe Verbum sub diversa exhibent ratione: consideratum in se et in sua relatione ad Patrem appellant *Verbum insitum (λόγον ἐνδιάθετον)*, et quatenus ad extra operatur *Verbum prolatitium (προφορικόν)*. Haec Verbi in tempore prolatio, quam etiam generationem nominant, nihil est aliud quam ejus missio seu ostensio in rerum creatione, ut quod prius erat visibile soli Patri, fieret creaturis agnoscibile. — 4.° Si Patrem invisibilem et immensum, Filium vero visibilem et loco circumscriptum etiam in veteri Testamento dicunt, non loquuntur de natura divina Filii, quod haec inferioris rationis sit, aut secundum hanc non aeque sit immensus sicut Pater, sed prae oculis habent humanam ejus naturam et tantum docent, Filium in hac posse fieri et factum esse visibilem, et etiam in veteri Testamento « per subiectam creaturam, » variis scilicet ostentis demonstrantibus praesentiam Filii ut personae missae a Patre et proinde personae distinctae. Arbitrabantur enim, apparitiones, et non solam incarnationem, de qua dubitare nefas, includere missionem. Insuper omnes apparitiones veteris Testamenti velut praeludia quaedam incarnationis et umbras naturae humanae assumendae spectabant. Cum igitur ratum ipsis fuerit theophaniam, in praesenti oeconomia, importare missionem, et omnes theophanias etiam veteris Testamenti Filio, qui totam antiquam oeconomiam administravit, esse adscribendas; utique apparere juxta ipsos Pater non potest, utpote qui mitti non potest, apparere autem potest et apparuit Filius, quippe qui a Patre mittitur (2).

---

(1) *De Spir. s.* n. 19. et sq.

(2) Si non factum, sed *congruentiam* quaeras, cur potius Filius quam Pater apparuerit per subiectam creaturam, illam in charactere personali invenies. Pater exemplar est, Filius hujus exemplaris expressio, Patrisque proinde sub-

CAPUT II.

De natura Christi humana assumpta.

448. De Christi humana natura errarunt: 1.° docetae *(δοκῆται)* seu phantasiastae, (Saturninus, Cerdon, Marcion, Manichaei et Priscillianistae) Christo verum corpus abjudicantes et fictum dumtaxat, umbratile seu phantasticum adscribentes. 2.° Alii ut Valentinus, Apelles et Anabaptistae, qui Christo corpus quidem tribuebant, sed de coelo delapsum, ex aetere formatum, quod per Mariam tamquam per canalem, quin ullam de ipsa sumpserit carnem, transiit. 3.° Incorrupticulae (Julianus Halicarnensis) asserentes, corpus Christi fuisse impassibile. 4.° Ariani docentes, Christum solam carnem assumpsisse, ipsumque Verbum vices animae obivisse; Apollinaristae (Apollinaris Ep. Laodicenus sac. IV inclinante), qui animam quidem vitalem sed mentis rationisque expertem, cujus vicem supplebat Verbum, admittebant. 5.° Monotheletae Christo voluntatem humanam denegantes, de quibus tamen inferius agemus. Contra hos statuimus:

449. Prop. 59. **Jesus Christus, quem verum Deum esse demonstravimus, est etiam verus homo.**

De fide ex sym. Ath. et conc. Chalcedonensi Act. 5: « Sequentes igitur ss. Patres.... constanter omnes docemus eundem (J. C.) perfectum in deitate, et eundem perfectum in humanitate, Deum vere, et hominem vere, eundem ex anima rationali et

---

sistens imago et infinita ad intra manifestatio. Si igitur Deus in aliqua persona visibilis fieri voluit, congruum erat, ut ille idem, qui est manifestatio Dei ad intra, fieret manifestatio ad extra. Est praeterea Filius, sicut imago subsistens Patris, ita exemplar subsistens omnium, quae fieri possunt aut reipsa facienda sunt, ideoque primogenitus omnis creaturae. Quare, si in aliqua persona visibilis fieri voluit Deus, conveniens erat, ut illa persona, quae est primogenitus omnis creaturae, ordinem creatum ingrederetur. Ea scilicet, quibus ad extra visibilis Deus redditur, ejusmodi analogiam ad hypostaticam proprietatem Filii dicunt, quam ad Patris proprietatem personalem non habent. Atqui hinc non immerito Pater invisibilis, Filius autem visibilis dicitur. Cf. Stentrup th. 5 et Franzelin th. XI.

corpore, consubstantialem Patri secundum divinitatem, et consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, per omnia nobis similem absque peccato. »

DEMONSTR. Hoc docent: *a)* omnia illa Scripturae loca, quibus Christus dicitur *homo, filius hominis* (1), *filius Abrahae, filius David, similis nostri, frater noster, caro nostra ex semine David, eadem ac nos stirpe Adamitica procreatus; b)* tota J. Christi vita, quae dixit, egit, passus est, inde a suo conceptu usque ad mortem, sepulturam, resurrectionem, eaque ipsa, quae ad resurrectionis veritatem demonstrandam secuta sunt. Unde merito Patres animadverterunt, veritatem humanitatis in Christo in dubium vocari non posse, quin universa oeconomia christiana subvertatur, et principia probentur, quibus admissis non modo veritas theologica, sed universim quaelibet historica et empirica certitudo pariter labefactetur.

450. Prop. 60. **Eadem veritas inde quoque singillatim colligitur, quod Christus verum corpus ex B. Virgine, et animam rationalem, utrumque affectionibus naturam humanam sponte sua consequentibus obnoxium, assumpsit.**

DEMONSTR. I. P. Assumpsit: 1. *verum corpus,* idque praeterquamquod ex pluribus Scripturae locis, in quibus mentio fit Christi *corporis,* constat directe ex Jo. 1, 14: *Et Verbum caro (σάρξ) factum est;* quo in loco adhibetur vox *caro* non tantum ad significandam per synecdochen integram humanam naturam, sed ad hanc ratione potissimum *illius partis materialis* vindicandam, quam Docetae explicite negabant.

2. *Corpus ex B. V. Maria,* qua propositione significatur contra Valentinianos, humanam Christi naturam ex genere nostro per generationem ex substantia materna propagatam fuisse, ita ut B. Virgo, operante Spiritu sancto, per se vitali actione totum id contulerit, quod ad rationem verae ac propriae maternitatis

---

(1) Tali denominatione tam frequenter Christus se ipsum appellat in primis ad dsignandam *veritatem carnis* seque vere unum esse ex nobis, deinde etiam humilitatis gratia, ad provocandum tanta demissione nostrum amorem atque fiduciam et ad insinuandum se esse humani generi exemplar atque ideam, hominem per excellentiam.

requiritur. — Christus dicitur: *Filius David* (Matth. 1, 1); *radix et genus David* (Apoc. 22, 16); *semen Abrahae* (Gal. 3, 16); *secundum carnem de fructu lumborum David* (Act. 2, 30); *factus ex semine David secundum carnem* (Rom. 1, 3). Atqui non esset ex semine David secundum carnem, nisi ex Maria, quae erat de domo et familia David, originem traxisset: ergo. — Disertis verbis vocatur *fructus ventris ejus* (Luc. 1, 42); dicitur ab *ipsa genitus, natus, factus:* (Luc. 1, 30, 35) *Concipies et paries filium.... Quod nascetur ex te sanctum; Joseph virum Mariae, de qua natus est Jesus* (Matth. 1, 16); *Misit Deus Filium suum factum ex muliere* (Gal. 4, 4). — Idem proponunt symbola.

451. Demonstr. ii. p. *Animam rationalem,* quae, supposita Christi divinitate ideoque ejus cum Patre unitate, toties exhibetur, quoties in Scripturis Christi *oratio, deprecatio, gratiarum actio, adoratio, humilitas, reverentia, spes* erga Patrem suum, et voluntas distincta a voluntate Patris memoratur. — Idem colligitur ex affectibus homini propriis, ut v. g. *desiderii, zeli, gaudii, tristitiae, compassionis,* quos Christum persensisse Scriptura saepe narrat. — Item ex animae Christi doloribus ejusdem a corpore separatione, quos Scripturae describunt, et etiam ex eo quod per hujusmodi cruciatus Deo pro nobis satisfecit.

Hae sunt rationes, quas Patres afferunt contra haereticos, praeter quas eam insuper urgere solent, quae illo nititur principio Patribus solemni, *redemptum scilicet non esse, quod assumptum non sit,* et alteram, quae *mediatoris* notione continentur, qui Deo et hominibus consubstantialis esse debet.

452. Demonstr. iii. p. Humanam Christi naturam fuisse generatim *affectionibus sive corporis sive animae, naturalibusque defectibus obnoxiam,* patet jam ex iis quae exposita sunt et ex universa historia evangelica. Negata enim Christi vera passibilitate, necessario in Docetismum incidimus, quo nomine et ipsi incorrupticulae designati reperiuntur, eo quod fere universa, quae de Christo homine referuntur, non reipsa, sed specie tenus accidisse, affirmare cogantur. Aliquid potius ad doctrinae declarationem addendum est.

453. I. Quoad affectiones *corporis* distinguendi sunt defectus toti naturae *communes,* ut fames, sitis, defatigatio, lacrymae, mors, mortis fuga, metus, agonia etc., a defectibus *particularibus,*

qui ex speciali aliqua imperfectione ortum habent, ut lepra, caecitas, febris etc. Hos Christus non assumpsit, quia, « quandoque causantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu; quandoque autem ex defectu virtutis formativae, quorum neutrum convenit Christo, quia et caro ejus de Spiritu sancto concepta est, qui est infinitae sapientiae et virtutis, errare et deficere non potens; et ipse nihil inordinatum in regimine suae vitae exercuit » (1). Alios vero *communes* Christum assumpsisse certum est, cujus assumptionis tres s. Thomas assignat rationes: primam propter *finem* incarnationis, ut nempe in se suscipiendo has poenalitates peccatis nostris debitas, pro nobis satisfaceret; alteram propter *fidem* incarnationis adstruendam ut scilicet non modo verus homo esset, sed et appareret; tertiam propter *exemplum* patientiae, quod nobis dare posset (2).

454. Hujusmodi defectibus naturae communibus caro Christi non miraculo sed natura fuit subiecta. Hoc aetate s. Bernardi magna contentione defendit Joannes quidam monachus adversus Philippum abbatem Bonae Spei contendentem Christi carnem utpote sine peccato conceptam non fuisse *naturaliter* sed per *miraculum* doloribus miseriisque obnoxiam adeoque v. g. non miraculum fuisse, quod Christus quadraginta dies jejunaret, quod super aquas ambulans non mergeretur, quum haec naturali et ab ipso conceptu insitâ vi et fortitudine contigerint.

Sententia Joannis nunc evasit communis. Et sane, si caro Christi, quemadmodum nostra, ad patiendum apta est, si eidem, cui nos subdimur, patiendi legi subiicitur, conditionibus, a quibus pendet, ut passio actu ipso oriatur et existat, positis, naturali quadam necessitate patiebatur caro Christi, et ita quidem, ut prohibere id carnem suam naturalibus humanae suae voluntatis viribus Christus neutiquam valeret. Quae enim ad conditionem naturae pertinentia stricto sensu naturalia sunt, ea Deo soli, auctori naturae, subduntur atque a voluntate pendere nequeunt. Patres etiam, quum magno consensu carnem Christi naturâ his defectibus subiectam fuisse doceant et miraculo adscribant divina Verbi virtute patrato, si quando ab illis defectibus

(1) S. Th. 3. q. 14. a. 4. — (2) *Ibidem.* a. 1.

exempta cernebatur, certe eosdem defectus aliquo modo necessarios habent. S. Thomas vero, distinctis tribus statibus hominum, innocentiae, peccati et gloriae, docet ex unoquoque Christum aliquid assumpsisse, ex statu gloriae quidem visionem beatificam, ex statu innocentiae immunitatem a peccato, ex statu vero culpae necessitatem subiacendi poenalitatibus hujus vitae (1).

455. Quamvis vero defectus carni Christi naturales fuerint et aliquo modo necessarii, attamen voluntarii simul affirmari debent et quidem multiplici de causa. Et 1.° quoad voluntatem divinam, quia *a)* cum illos non ex peccati sequela contraxisset, eos poterat impedire, carnem haud passibilem assumendo; et *b)* cum absolute loquendo impassibilitas et status gloriae tam secundum animam quam secundum corpus ratione unionis hypostaticae humanitati Christi fuisset connaturalis et per sese secundum legem ordinariam consequens ex visione beatifica, voluit tamen ad redimendum merito mortis genus humanum, *dispensatione divina* (2) simul assumere statum *viatoris*, pro quo statu et pro conditione, in qua humanitas assumpta est, passibilitas erat naturalis. – 2.° Quoad voluntatem humanam, quia *a)* omnes voluntarie acceptavit atque amavit, nam omnes actiones et passiones Christi absolutae et efficaci ejus voluntati consentaneae ideoque voluntariae simpliciter erant. *b)* Nonnulli etiam fuerunt voluntarii eo sensu, quod voluntas humana eorum occasiones et causas assumebat; constat enim, famis, sitis, defatigationis causam libera

(1) 3. p. q. 13. a. 3.

(2) « Secundum naturalem habitudinem, quae est inter animam et corpus, ex gloria animae redundat gloria ad corpus. Sed haec naturalis habitudo in Christo subiacebat voluntati divinitatis ipsius, ex qua factum est, quod beatitudo remaneret in anima et non derivaretur ad corpus, sed caro pateretur quae conveniunt carni passibili, secundum illud, quod Damascenus de orth. fid. l. 3. c. 15. dicit, quod beneplacito divinae voluntatis permittebatur carni pati, et operari, quae propria. » S. Thomas 3. p. q. 14. a. 4. — Discrimen inter utramque supra commemoratam sententiam videtur esse hoc: Opinio Juliani Halicarnassensis et Gaiani integrata a Philippo abbate admittebat gloriam animae derivasse suos effectus et in corpus, quod naturaliter ex illa glorificatur; hinc corpus Christi semper fuisse impassibile et incorruptum, adeoque passibilitatem, manducationem etc. fuisse miraculosam, sicut fere post resurrectionem; altera sententia, quae est nostra, tenet, corpus Christi fuisse revera natura sua passibile, at miraculo opus fuisse ut naturalis passibilitas a beatifica visione non absorberetur, seu miraculo opus fuisse, ut duplex status in Christi humanitate *viatoris* et *comprehensoris* simul obtineret.

sua voluntate saepe posuisse Christum, seseque voluntarie inimicis suis tradidisse atque ad passionem adivisse. *c)* Denique omnes non quidem voluntas Christi humana simpliciter secundum naturales ejus vires, sed ut haec est instrumentum erat Verbi, eos poterat a se arcere.

456. II. Quoad *animae* affectiones, illas habuit Christus, quae sunt naturales et ab omni vitio alienae, quasque *πάθη* Graeci, Latini passiones dicere consueverunt, ut amorem, odium, gaudium, desiderium, spem, audaciam, timorem, tristitiam etc. Hujusmodi autem passiones plene dominio sanctissimae voluntatis ejus subiectas fuisse certa est doctrina Patrum et theologorum. Et sane appetitum sensitivum moveri contra vel praeter rationis imperium, atque hujus dominio non subdi, defectus est, quo humana natura ob peccatum originale laborat. In Christo igitur esse non potuit, nisi voluntarie ab ipso assumebatur. Jam vero voluntarie a Christo assumptus censeri non potest, quum defectus sit, qui, utpote non solum poena sed etiam incitamentum ad culpam, primo ex se ordinem ad satisfactionem Deo praestandam non dicit, qui praeterea perturbationem quandam naturae continet, quique denique cum plenitudine gratiae Christi propria, ejusque impeccabilitate componi nequit.

457. Hinc corollarii instar sequitur: *a)* Aliter, quam in nobis, passiones in Christo fuisse. « Primo quidem, ait s. Thomas, quantum ad obiectum: quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo quantum ad principium: quia hujusmodi passiones frequenter in nobis praeveniunt judicium rationis; sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis.... Tertio quantum ad effectum; quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem; quod in Christo non fuit, quia motus naturaliter humanae carni convenientes sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quae conveniebant » (1).

b) Nullam unquam esse potuisse in Christo pugnam illam internam, quam luget Paulus Rom. 7, 14. sq. Haec enim pugna

---

(1) 3. p. q. 15. a. 4

extare nequit, nisi appetitus sensitivus sine ulla ordinatione rationis obiecto suo actu efficaci adhaereat et praeterea, voluntate licet contradicente, eidem addictus maneat. Atqui neutrum in Christo accidere poterat, ut patet ex dictis: ergo.

Dices: in monte olivarum pugna fuit in Domino nostro inter appetitum sensitivum horrentem et fugentem mortem, et voluntatem sese Patris voluntati submittentem, ita ut haec laborare et contendere ad illum cohibendum acriter debuerit.

Resp. Nullo modo appetitus sensitivus voluntati restitit et contra eam pugnavit, quamvis in summae tristitiae et in maximi angoris affectiones proruperit. Dolere enim de jactura alicujus boni possumus, quin hic dolor ullo modo resistat voluntati istam jacturam ad conservationem altioris boni decernenti; ut dolere puta aliquis potest de jactura argenti, quo soluto vitam salvare cogitur, quin tamen hic dolor pugnet pro retinendo argento cum jactura vitae. Similiter appetitus sensitivus Christi tristabatur de morte obeunda, non tamen repugnabat contra voluntatem eam amplectendi, ita ut haec cum summa quidem tristitia appetitus sensitivi, absque ulla tamen ejus resistentia eam amplecteretur. Unde sequitur, unum eundemque appetitum sensitivum Christi et refugisse mortem *ex inclinatione naturae,* et appetivisse mortem *ex imperio voluntatis;* refugisse scilicet mortem *affectu simplici,* appetivisse autem eandem *affectu efficaci,* quatenus nempe ille, secus quam hic, non ferebatur in obiectum absolute et simpliciter consideratum, ut hic et nunc amplectendum vel respuendum, omni, quae ei inest, boni vel mali ratione perpensa; sed in illud consideratum secundum aliquam tantum boni vel mali rationem tendebat (1).

---

(1) De affectionibus humanae naturae Christi cf. s. Th. 3. q. 14 et q. 15 et Stentrup per plures theses fuse et subtiliter disputantem.

CAPUT III.

De utriusque naturae in Christo unione.

458. Demonstrata duarum naturarum, divinae et humanae in Christo veritate, quaerendum jam est quinam sit hujus coniunctionis modus et indoles. Quem in finem exponemus 1.° errores oppositos, 2.° hypostasis notionem, 3.° ontologicam in Christum personae unitatem, 4.° duarum ejus naturarum, veritatem, et 5.° formulae ecclesiasticae « unio secundum hypostasim » explicationem.

ARTICULUS I.

Haeresum et doctrinae catholicae adumbratio.

459. Errantes ad duas classes reduci possunt, prout personas in Christo dividebant, vel naturas in eo confundebant.

Ad primam classem pertinent Nestorianismus et Adoptianismus.

Nestorii patr. Constantinopolitani (a. 428,) Theodori episcopi Mopsuesteni, a quo haeresim suam hausisse creditur, discipuli doctrinam ita breviter sed lucide exponit s. Thomas: « Posuerunt (Nestoriani) aliam esse personam Filii Dei et aliam filii hominis, quas sibi dicebant esse invicem unitas; primo quidem secundum *inhabitationem*, in quantum scilicet Verbum Dei habitavit in illo homine, sicut in templo: secundo per *unitatem affectus*, in quantum scilicet voluntas illius hominis est semper conformis voluntati verbi Dei: tertio secundum *operationem* prout scilicet dicebant hominem illum esse Verbi Dei instrumentum: quarto secundum *dignitatis honorem*, prout omnis honor, qui exhibetur Filio Dei, coëxhibetur filio hominis propter coniunctionem ad Filium Dei: quinto secundum *aequivocationem* i. e. communicationem nominum, prout scilicet dicimus illum hominem esse Deum et Filium Dei » (1).

---

(1) 3. q. 2. a. 6.

Unionem itaque Verbi cum humana natura docuit fuisse non realem, physicam, substantialem, hypostaticam, sed accidentalem tantum et moralem, ita ut 1.° duae post unionem fuerint in Christo personae: altera divina, humana altera; alius Filius Dei, alius filius hominis; 2.° Maria non vere Deipara *θεοτόκος*, sed Christipara *χριστοτόκος* fuerit. Profligata haec haeresis fuit in conc. Ephesino (a. 431). — In eundem errorem incidit Güntherius, qui unionem in Christo admisit tantum dynamicam, quatenus una persona agat et influat in alteram.

460. Nestorianismi propago quaedam et instauratio est *Adoptianismus*, qui, auctoribus Felice ep. Urgellitano et Elipando archiep. Toletano, saec. VIII ad finem vergente, ortus, docuit Christum hominem esse filium Dei adoptivum non naturalem, et Filium e contra naturalem esse Dei Verbum, quae doctrina duos supponit esse in Christo filios, alium Verbum Dei Filium naturalem, alium hominem Dei filium adoptivum, duasque personas, aliam divinam, aliam humanam.

461. Ad alteram classem pertinet Monophysitismus et Monothelismus.

Eutyches strenue sed imprudenter et incaute contra Nestorium pro fide catholica dimicans, in errorem cum Nestorii commento ex adverso pugnantem incidit. *Unam* videlicet docuit esse in Christo post unionem *naturam*, unde etiam ejus sectatoribus Monophysitarum nomen factum est. Circa *modum* tamen, quo duae naturae in unam coaluerint, dissentiebant, alii contendentes id esse per *commixtionem* vel *compositionem*, alii per *absorptionem* naturae humanae a divina factam vel per *mutationem* divinae in humanam, alii per duarum naturarum in tertiam *conversionem*. Horum haeresis in conc. Chalcedonensi (a. 451) damnata est.

462. Qua ratione Adoptianismus ad Nestorianismum, eadem fere Monothelismus refertur ad Monophysitismum. Hujus nempe appendix quaedam est Monothelitarum haeresis, quam (a. 630), imperante Heraclio, ortam, auctore Athanasio patriarcha Eutychianorum, qui in Syria et Armenia versabantur, sub praetextu haereticos facilius ad Ecclesiam reducendi adoptarunt atque propagarunt Sergius, Pyrrus et Paulus patr. Constantinopolitani, Cyrus patr. Alex., Teodorus ep. Pharanitanus et Macarius

Antiochenus. In eo omnes convenire videntur, quod unam eamque divinam agnoscant in Christo voluntatem; quoad operationes non semper sibi constabant, sed aliquando unam, aliquando, ne Monophysitismi accusarentur, duas profitebantur. Generatim ita suam doctrinam proponebant, ut Verbum, secundum naturam divinam, principium sit immediatum omnium volitionum et operationum Christi, humana vero natura, in se iners, actionem recipiat divinam Verbi. Damnati sunt in conc. generali VI (a. 680).

463. Doctrinae catholicae de unione duarum naturarum in Christo compendium ex sym. Ath. conc. Ephesino, Chalcedonensi et oecumenico VI Constnp. III. continetur hac propositione: Christus est una hypostasis in duabus naturis divina et humana inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendus; vel: agnoscenda est in Christo unio hypostatica duarum naturarum, coniunctio nempe ineffabilis, qua duae naturae integrae, inconfusae, impermixtae suis proprietatibus et operationibus praeditae in se permanentes subsistunt in una Verbi persona.

ARTICULUS II.

De hypostaseos ratione.

464. *Naturae* seu *essentiae* nomen significat *id, quo quis aliquid est;* nomen *hypostaseos* autem *eum, qui aliquid est*, seu nomen naturae significat, quod respondet quaestioni « quid est; » nomen hypostaseos vero, quod respondet quaestioni « quis est, » ideoque natura est *forma, qua subiectum hoc vel illud est;* hypostasis vero est *subiectum habens naturam instar formae, qua in determinato rerum ordine constituitur.*

Distinguuntur itaque, sin minus re, saltem ratione conceptus *naturae* et *hypostaseos*, quam distinctionem simul ac inficias ibis, in gravissimos de Trinitate et Incarnatione errores necessario incides, sicuti omnibus haereticis factum esse historia compertum est.

465. Porro si quae nos revelatio de mysterio Trinitatis et Incarnationis docet, prae oculis habemus, hanc statuere possumus *adaequatam* hypostaseos definitionem:

466. Prop. 61. **Hypostasis est substantia singularis, integra, tota in se.**

Demonstr. Communi et universali loquendi usu nomine hypostaseos ab omnibus sive doctis sive indoctis intelligitur significatum id quod est maxime in se ipso et non in altero, nec alterius. Atqui hoc non competit nisi traditae definitioni. Ergo. *Prob. minor.* Omne ens est vel substantia, vel accidens; accidens non est hypostasis quia ejus proprium est *esse in alio* seu *inesse*: ergo hypostasis est *substantia.* Substantia est vel singularis haec una, vel universalis, ut homo, humanitas, quae de multis praedicatur vel multis inesse potest; vel ex hoc patet substantiam universalem non esse hypostasim, cum nedum *maxime in se* sed neque simpliciter *esse in se* in ordine reali habeat: est ergo hypostasis substantia *singularis.* Haec porro vel est pars integra, ut singula membra corporis, vel pars essentialis constituens, ut anima et corpus, vel est ipsa substantia integra excludens imperfectionem partis, ut homo totus: jam vero hypostasis non potest esse pars, quia est de ratione partis ut sit in alio et alterius, ut sit imperfectum perficiendum ab alio, ut ad alium ordinetur: ergo hypostasis est substantia *integra.*

Solo rationis lumine non potest intelligi substantia singularis et integra, quae eo ipso non sit perfecta in ratione substantiae atque adeo hypostasis. Sed ex revelatione discimus, naturam divinam, licet singularem et integram, non tamen esse hypostasim sed subsistere in tribus realiter distinctis; et naturam humanam in Christo, licet et ipsam singularem et integram, non esse hypostasim, sed esse naturam hypostasis superioris, scilicet Verbi. Hinc definitioni ut comprehendat modum existendi etiam supernaturalem, additur nota *tota in se,* quae duo importat: 1.° ut *non sit alterius totius perfecti in se* per modum partis et naturae; hoc enim ipso hujusmodi substantia non esset amplius maxime in se, sed in alio. Hac de causa humana Christi natura, quamquam singularis et integra, non est tamen hypostasis, quia non est hoc sensu *tota in se,* sed unita est cum *perfectiori,* et est ad modum partis aliquid *totius et perfecti in se,* nempe Verbi, quod per naturam assumptam nec perfici neque in aliquo deficere potest, ideoque manet eadem hypostasis quae erat antea, et assumptam naturam ad suam trahit personalitatem. 2.° Ut in se sistens, ut

in *uno*, non *progrediatur ultra* et non *identificetur* cum pluribus; hoc enim si fiat, in ratione *subsistendi in se* jam deficit adeoque in ratione hypostaseos. Ex hoc intelligitur, cur essentia divina, licet singularis et integra, non sit hypostasis; nam non est *tota in se* et non est hic unus distinctus ita ut non pariter identificetur cum aliis; dum e contra hypostases sunt Pater, Filius et Spiritus sanctus, quia in his terminatur ita, ut quisque sit hic unus et non alius ejusdem naturae.

467. Prop. 62. **Persona est hypostasis rationalis.**

Declar. Sicut substantia, quae maxime est in se, merito nomine speciali hypostaseos (penes scholasticos *suppositi*) insignitur; ita inter hypostases illae, quibus propter naturam rationalem multo perfectius hypostaseos propria ratio competit, merito speciali nomine *personae* donantur, et si quando nomine tantum generico hypostasis, hoc jam, cum illis tribuitur, quandam antonomasticam induit significationem. Quando igitur personam dicimus hypostasim rationalem, supponimus substantiam in *ratione hypostaseos* jam constitutam; nisi enim sit hypostasis, persona non est quamvis rationali natura praedita sit. Unde rationalitas non se habet ut principium *constituens* hypostasim, sed ut principium *evehens*, et hypostasim non minus supponit, quam forma materiam supponit. Rationalitas hypostasi confert quandam dignitatem, propter quam etiam nomine speciali insigniuntur hypostases rationales, quae dignitas in eo consistit, quod in hypostasibus rationalibus vi naturae rationalis multo perfectius hypostaseos propria ratio reperiatur, quod scilicet perfectiori modo, ac irrationales, sint in se, per se et sibi. Ita vero rem se habere patet consideranti, hypostasim rationalem 1.° per reflexionem in se ipsam suae ab aliis distinctionis esse consciam atque sibi dicere: Ego; 2.° libere ad agendum se determinare, suique actus dominium habere; 3.° agere propter finem atque adeo aliquo modo propter se; 4.° esse subiectum juris, esse sui juris, sui dominam seu posse agere seorsim et in se existere et nullius in commodum et dominium cedere. Eminenti igitur ratione hypostasis rationalis est *per se* et *sibi*, adeoque speciali nomine *personae* digna.

Ex his colligas, errasse Güntherum aliosque recentiores, qui rationem personalitatis in rationalitate seu *sui conscientia* consti-

tuerunt, et personae definitionem natura seu *substantia sui conscia* absolvi arbitrati sunt. Nam *a)* adaequata et formalis ratio personae cum supponat hypostasim constitutam, dicit perfectionem in ratione substantiae; sed conscientia sui et ceterae vitae intellectualis explicationes non continentur in ordine substantiae, quum actus sint potentiarum subiectivarum, seu quum accidentia sint eaque, si de homine agitur, separabilia. — *b)* Personae maxime est esse in se et per se; at conscientia sui subiectum est inhaesionis: ergo. — *c)* Intellectio sui non potest principium intelligens aliquid facere esse, quod ex se non est; nihil enim aliud est, quam idealis repraesentatio hujus principii, ideoque illud et illud solum continet *idealiter,* quod principium intelligens continet *realiter.* Ergo conscientia sui naturam intellectualem, cujus est, non potest facere personam ideoque adaequata formalis ratio personae esse nequit. — *d)* Ex illa definitione errores sequuntur gravissimi, scilicet omnem substantiam intellectivam sui consciam esse personam, quod principium dogma ss. Trinitatis subvertit, et in Christo sicut duas sui conscias naturas ita et duas adstruit personas.

468. Scholion i. Cum personae notione, quam hucusque declaravimus, convenit definitio Böetii in scholis recepta, qua persona est: *rationalis naturae individua substantia;* nam *individuum* nihil aliud est, nisi ipsum esse rei, ut illud in se indivisum est et divisum seu distinctum ab omni alio, adeoque a *substantia individua* quaecumque excluditur communitas *τοῦ esse* cum alia re, aequivaletque substantia *toti in se.*

Ad eandem significationem reducantur oportet, ne quid falsi contineant, aliae hypostasis definitiones, juxta quas hypostasis est *substantia in se terminata,* vel *in se completa,* et modus ipse, quo substantia est hypostasis, appellatur *ultimus substantiae terminus,* vel *ultimum complementum.*

469. Scholion ii. Quamvis, ut ex superioribus constat, citra haeresim affirmari non possit inter naturam creatam in concreto spectatam, prout est substantia haec singularis et in ratione naturae integra, et hypostasim nullum prorsus esse discrimen; disputant tamen theologi utrum hujusmodi discrimen *reale* sit an *rationis* tantum. Reale discrimen plures inde a saec. XVI defenderunt, juxta quos natura completa constituitur in ratione for-

mali hypostasis per entitatem quandam vel modum realem ab illa natura proprie per ablationem separabilem. Consequenter docent hanc realitatem humanae naturae Christi deesse et eam suppleri a Verbo, atque hanc ob causam illam non esse hypostasim. E contra plures admittunt solam distinctionem *rationis cum fundamento in re.* Et sane substantia singularis et integra est hypostasis connaturaliter subsistens eo solo, quod est *tota in se;* atqui tota in se est per se ipsam, non per aliquam aliam superadditam realitatem; ergo hypostasis connaturaliter subsistens a substantia singulari et integra non distinguitur realitate aliqua superaddita (1). Juxta hanc sententiam non defectu rei vel alicujus perfectionis, sed imo accessione infinitae perfectionis, hypostasis videlicet divinae, fit, ut humana Christi natura non sit in se hypostasis. Patres ipsi non videntur aliter sentire, cum, nulla defectus realitatis alicujus mentione facta, hanc reddunt rationem, quare natura humana Christi, licet integra, non sit hypostasis, quod *non sit seorsim,* non sit *divisa a Verbo,* sit *Verbo unita.* (2).

SCHOLION III. Etsi ceteris paribus perfectius sit esse *per se* quam esse *in alio;* attamen « dignius est alicui, quod existat in aliquo se digniori, quam quod existat per se; et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo, quam in nobis » (3). Sicut melius est corpori esse partem hominis, quam esse totum per se, et dignor est puella paupere, licet independente, puella, quae per matrimonium cum rege independentiam amittit; ita humanitas Christi propter hypostaticam unionem cum persona infinita etiam infinite dignior est quavis aliâ naturâ humanâ.

---

(1) Hinc substantiae quaedam sola additione desinunt esse hypostases, v. g. binae aquae guttae si coniunguntur; sola e contra divisione ex una hypostasi plures fiunt, dummodo ordinem ad aliud non habeant, v. g. ex tabula marmorea in duas partes disecta, duo fiunt supposita, quin ullam accipiant realitatem, sed tantum quia hoc modo statum totalitatis et in se subsistendi consequuntur.

(2) Cf. Franzelin th. XXXI. — (3) S. Thomas. 3. q. 2. a. 2.

ARTICULUS III.

De unitate personae.

470. Prop. 63. **Unica est in Christo persona, eaque divina Verbi, ita ut non alius, et alius, sed idem prorsus sit verus Deus et verus homo.**

De fide contra Nestorium ex symbolis, conc. Ephesino oecum. III. (a. 431) can. 2: « Si quis non confitetur, carni secundum substantiam unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul et hominem, a. s. » Quam damnationem confirmavit pleniusque expressit synodus V. (a. 553) can. 4: « Si quis dicit, secundum gratiam vel secundum operationem vel secundum dignitatem vel secundum aequalitatem honoris, vel secundum auctoritatem aut relationem aut effectum aut virtutem unionem Verbi Dei ad hominem factam esse; aut secundum bonam voluntatem, quasi quod placuit Deo Verbo homo, quia bene visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit: vel secundum solam nominis similitudinem, quam graeci homonymiam vocant, per quam Nestoriani Deum Verbum Jesum et Christum vocantes, et hominem separatim Christum et Filium nominantes, et duas personas *(δύο πρόσωπα)* manifeste dicentes, per solam nominationem et honorem et dignitatem et adorationem et unam personam *(ἓν πρόσωπον)* et unum Christum confingunt dicere: sed non confitetur, sicut ss. Patres docuerunt, unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali et intellectuali secundum compositionem, id est secundum subsistentiam *(καθ' ὑπόστασιν)*, factam, et propterea unam ejus substantiam *(μίαν τὴν ὑπόστασιν)*, qui est D. N. J. Christus, unus de s. Trinitate, talis a. s. ».

Demonstr. I. *a)* Colligitur ex dictis. De uno eodem subiecto, Jesu Christo, demonstravimus ipsum esse verum Deum et verum hominem. Est igitur exploratum, Deum verum esse simul verum hominem Jesum Christum, natum de Maria V. etc.; et hunc hominem Jesum esse ipsum aeternum Dei Filium verumque Deum: non ergo in Christo alius est Deus et alius hic homo, sed unus idemque est Deus simul et homo. — *b) Verbum caro factum est*

(Jo. 1, 14), i. e. Verbum existens Deus apud Patrem in tempore factus est homo ita, ut manens Verbum Deus inceperit ut propriam habere etiam naturam humanam. Non igitur alius est Verbum, alius homo, sed unus idemque Deus Verbum et homo. Idem enuntiat Paulus (Phil. 2, 5 – 7): *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus est ut homo.* — *c)* Idem, *qui descendit de coelis,* dicitur *esse in coelis* (Jo. 3, 13); idem, *qui est ex Israelitis secundum carnem,* est etiam *super omnia Deus benedictus in saecula* (Rom. 9, 5); idem, qui se dicit *filium hominis,* proclamatur a Petro *Christus, Filius Dei vivi* (Matth. 16, 13 sq.); *Dominus gloriae* dicitur *crucifixus* (I Cor. 2, 8); *auctor vitae* praedicatur *interfectus et suscitatus a mortuis* (Act. 3, 15). Scripturae itaque Verbum nobis sistunt ea agens et patiens, quae humanae naturae propria sunt, et hunc hominem Jesum iis ornant attributis, quae Deo soli conveniunt. Atqui evidens est, eatenus tantum fieri id posse, quatenus ontologica Christi θεανθρώπου unitas certissimae veritatis instar supponitur, quum singulae enuntiationes, in quibus illa agendi ratio scripturae observatur, unitatem ontologicam Christi virtute affirmatam contineant.

471. II. Eadem fides *a) symbolis* omnibus, longe nestoriana haeresi anterioribus, summa claritate expressa reperitur. Symbolo Apost. nobis iniungitur fides « in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, crucifixus, sepultus » etc. Jesu Christo igitur Filio Dei Unigenito ac Domino nostro sic tribuuntur praedicata « conceptus, natus, crucifixus, sepultus », ut singulorum subiectum ipse sit, ideoque credere debeamus, *Filium Dei natum esse, Filium Dei passum esse,* ac proinde *Filium Dei hominem esse.* Si autem Filius Dei homo est, non alius et alius, sed idem omnino Deus est et homo. Imo in formulis graecis addita est vox « unum » (in *unum* J. C. *εἰς ἕνα* I. X.), ut directe excluderentur haeretici, quos Joannes in prima sua epistola *solventes Jesum* nominat. In symbolo Nicaeno et aliis adhuc distinctius hanc veritatem proponi non opus est, ut demonstretur. Erat igitur, cur Patres, Leo Magnus, Cassianus, et maxime Cyrillus Alex.,

item concilia Ephes. et Chalc. contra adversarios unitatis ontologicae Christi ad symbola provocarent.

b) Praedicatur et declaratur a Patribus vetustissimis et quidem non ex propria sententia sed ex universali credendi norma. Irenaeus secundum regulam fidei symbolum, omnes confutans haereses, de hoc dogmate docet et defendit, *α)* quod Jesus non est merum *receptaculum* Christi, et *β) infans, quem Simeon in manibus portabat, Jesus natus ex Maria, ipse est Christus Filius Dei, lumen de lumine;* unde *γ)* totidem verbis enuntiat: Deum esse hominem, eum, qui factus est homo, esse Deum: *Filius Dei, filius hominis.... et hoc factus est quod et nos, Deus fortis est;* imo *δ)* expresse damnat *blasphemas regulas, quae dividunt Dominum.... ex altera et altera substantia.* (i. e. substantia per se subsistenti seu *hypostasi) dicentes eum factum.* Similia habent Tertullianus, Origenes, aliique saec. III contra Paulum Samosatenum decertantes (1).

c) Confirmatur usu formularum, quae antiquitus in Ecclesia a Patribus et fidelibus frequentabantur, et a quibus maxime abhorrebant Nestoriani, ut v. g.: Verbum duas subiisse nativitates, Verbum esse ex Maria V. natum, Deum esse passum, crucifixum, mortuum, sepultum etc. Ignatius: « Deus noster J. Christus parturiebatur a Maria; » et: « Amor meus crucifixus est » (2). Martyr s. Epipodius « sempiternum Dominum nostrum Jesum Christum crucifixum » memorat, « qui ineffabili mysterio homo pariter et Deus famulis suis tramitem immortalitatis instituerit. » S. Pionius fatetur « illum se habere Deum, qui coelum terramque fecerit, quem pro salute orbis Pater misit et qui crucifixus est. »

d) Apparet ex eo, quod gentiles et judaei, ut discimus ex Arnobio, Origene et Iustino, probro verterent christianis, quod hi *hominem natum et crucifixum Deum esse credant et adorent.*

Ontologica igitur Christi *θεανθρώπου* unitas, quam saec. V concilia et Patres contra haereticos summa contentione industriaque vindicarunt toto pondere cum omnium symbolorum tum communis universalisque fidei Christianorum praecedentium saeculorum fulcitur.

---

(1) Franzelin th. XVIII et Stentrup th. 13. — (2) *Ad Ephes.* c. 18; *ad Rom.* 7.

472. Porro ex praestitutis notionibus constat, essentialem illam entitatem et perfectionem, qua Christus in ordine divinitatis seu, ut melius dicam, Deus constituitur, esse *naturam divinam*; essentialem entitatem alteram, qua Christus constituitur in specie humana seu homo, esse *naturam humanam*, subiectum autem, seu eum, qui habet utramque naturam, dici debere *hypostasim* seu *personam*. Hoc vero subiectum seu persona in Christo cum sit, ut demonstravimus, unica, ea est necessario ipsa divina Verbi. Nam repugnat ex una parte, Verbum in incarnatione desinere esse personam; Deus enim necessario et immutabiliter ita manet, prouti ab aeterno est; vel ipsum concurrere cum humana natura ut partem ad efformandam quandam Christi personam compositam, quae nec esset persona divina nec humana: ex altera vero parte humana natura, quoniam assumpta fuit a Verbo, eo ipso, licet singularis, propria excidit personalitate. Ergo unica est persona in Christo, eaque divina Verbi.

473. **Corollarium.** Ex dictis consequitur unionem humanitatis cum Verbo esse *substantialem*, non accidentalem. Ut unio sit substantialis non sufficit ut termini, qui uniuntur, substantiae sint, sed praecipue requiritur, ut terminus qui inde resultat seu unio, quae ex substantiarum coniunctione prodit eamque propemodum absolvit, sit substantialis. Atqui talis est unio humanae naturae cum Verbo, nam non solum termini qui uniuntur, sunt integrae substantiae, duae scilicet naturae divina et humana, sed et terminus sive ipsa unio est substantialis, cum sit ipsa subsistentia Verbi, quâ unâ duae simul naturae subsistunt. Et revera fac, hanc unionem non esse substantialem, sed per aliquod accidentale vinculum, ut volunt Nestoriani, puta per affectum, dignitatem etc., numquid Verbum Dei homo praedicari potest, conceptum, natum, passum? « Impossibile est, ut duorum differentium personâ aut hypostasi vel supposito unum de altero praedicetur » (1). Ut igitur passiones corporis adscribantur Verbo necesse est ut sit corpus Verbi Dei, quod esse non potest, nisi una sit Verbi Dei et naturae humanae, ad quam corpus pertinet, subsistentia. Merito itaque Patres praesertim vero Cyrillus ad excludendam unionem illam Nestorianiam moralem (*κατὰ σχέσιν*) adhibuerunt

(1) S. Thomas *c. g.* l. 4. 43.

eas formulas ecclesiasticas quibus haec unio appellatur *ἕνωσις κατ᾽ οὐσίαν* et *ἕνωσις κατὰ φύσιν,* maxime vero *ἕνωσις καθ᾽ ὑπόστασιν,* de qua postrema inferius.

474. Scholion. Ex his apparet utrum et quonam sensu persona Christi dici possit post incarnationem composita. Persona Christi non est composita compositione, quam vocant *ex his,* vel per *modum partium,* vel *absolutam,* vel *intrinsecam,* ex qua resultat tertium constitutum ex partibus se invicem perficientibus, sicut homo resultat ex anima et corpore. Sane persona Christi non est aliquod tertium resultans ex Verbo et humanitate, ita ut in Verbo pars Christi sint Verbum et humanitas, sed ratio personae exurgit a solo assumente. Dici tamen potest et a Patribus conciliisque dicta est composita ea compositionis specie, quae appellatur *cum his,* vel per *modum numeri,* ab aliis *simplex,* vel etiam *exterior,* ratione scilicet duarum naturarum in una persona convenientium. Verbum non ést pars, sed est totum, cui humanitas adiungitur, et humanitas est tantum accessio ad Verbum non compars in personalitate constituenda. In Christi persona duae naturae, divina et humana conveniunt et subsistunt, ideoque secundum rationem subsistendi est composita, sicut (seclusis imperfectionibus) compositus est truncus duorum ramorum duplicis speciei, quorum unus est naturaliter ramus trunci, et alter ipsi trunco insertus est. Discrimen igitur inter personam Verbi et Christi hoc tantum est, quod cum persona Verbi ante incarnationem sit tantum persona naturae divinae, simplicissima est; persona vero Verbi post incarnationem seu persona Christi facta est etiam persona humanitatis, atque adeo ratione naturarum quas habet, composita aliquo sensu dici potest.

475. Prop. 64. **Jesus Christus, etiam ut hic homo, credi debet Filius Dei naturalis, non adoptivus.**

De fide ex synodica conc. Francofordiensis confirmati ab Adriano I. contra Adoptianorum haeresim, quae Nestorianismi surculus quidam est.

Declar. Verba *ut homo, quatenus homo,* quibus nonnumquam haec veritas enuntiatur, sumi possunt sensu *specificativo* et *reduplicativo:* prior designat hanc hypostasim, hoc suppositum humanae naturae, hunc habentem humanam naturam, cui con-

venit praedicatum *Filius Dei naturalis*, et resolvitur ita: Christus *qui* est homo, est Filius Dei naturalis. Posterior significat subiectum tantum *sub ea formalitate*, sub eo respectu, quem significat nomen, adeoque naturam significatam v. g. nomine *homo* ponit ut rationem, cur et secundum quam praedicatum conveniat, et resolvitur in hunc sensum: Christus, *quia, secundum quod* est homo, *secundum humanam naturam*, est Filius Dei. Patet sensu specificativo propositionem esse accipiendam. Minus aequivoca est propositio: Christus, *ut hic homo*, est Filius Dei naturalis; ipsum enim pronomen demonstrativum *hic* designat personam, hunc subsistentem in humana natura, unum in se et distinctum ab omnibus aliis hominibus; adeoque hanc adoptavimus utpote quae facilius sensum excludit reduplicativum.

476. Demonstr. *a)* (Rom. 8, 32): *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Hic agitur de Christo ut homine, cum non potuerit tradi in mortem nisi ut homo, et tamen dicitur *proprius filius.* Ergo ex Apostolo Christus ut homo est proprius Filius Dei. Sed Filius proprius non potest esse filius adoptivus; nam adoptio est assumptio *personae extraneae* in filium. Ergo Christus, etiam ut homo, utpote nullo modo persona extranea, non potest esse Filius Dei adoptivus. Huc referuntur ea omnia, quibus contra Nestorium demonstratur *unitas personae* in Christo. Ostendimus enim unum eundemque J. Christum simul esse verum Deum a Patre genitum verumque hominem ex Virgine natum. Ergo is, qui est J. Christus, qui est filius hominis et homo, idem est filius Dei naturalis: et quia filius naturalis nequit esse ejusdem patris filius adoptivus, non est Christus homo filius Dei adoptivus. — Augustinus: « Oportebat ergo, ut ille baptizaret, qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici. Unicus habet potestatem, adoptati ministerium » (1); Damasus Papa: « Anathematizamus eos, qui duos filios esse profitentur, unum ante saecula, et alium post carnis assumptionem ex Virgine » (2).

b) Nomen filii est nomen personae non naturae. Atqui in Christo est persona eaque divina, quae est Filius Dei naturalis. Ergo in Christo unicus est Filius, isque Filius Dei natu-

---

(1) *In Joan. tract.* 7. — (2) *Apud Theodoret.* l. 5. c. 10.

ralis, et qui duos introduceret filios, naturalem alium, alium adoptivum, duas introduceret personas. — Adoptio est gratuita assumptio personae extraneae ad haereditatem; atqui Christus, ut homo, non est persona extranea, non est *alius* a Verbo; namque homo seu habens humanitatem, est ipsum Verbum, Filius Dei naturalis: ergo.

477. Causa vero, qua Christus, ut hic homo est, naturalis sit Dei Filius, ex eo duci oportet, quod Christus, ut hic homo, propter hypostaticam cum Verbo unionem consors redditur divinae filiationis, qua Verbum constituitur et distinguitur, eademque relatione originis refertur ad Deum Patrem gignentem, qua ad eundem refertur ut Verbum, quum una sit atque eadem Verbum et homo Christus persona. Terminus enim generationis est Filius, et quamquam natura humana a Patre generatione non procedit, nihilominus in ipsa is est, qui vere proprieque ab aeterno Patre generatur, ideoque ab ipsa etiam appellatus (homo), Filius est naturali generatione ex substantia Patris procedens. Alio modo: natura humana adscita est in consortium termini, qui in ipsa carne naturam divinam generatione accipit. Praeter *hanc generationem* aeternam alias excogitarunt nonnulli theologi rationes, uti sanctificationem humanae naturae et jus inde obortum ad haereditatem Dei, propter quas hic homo Christus dici debeat Filius Dei *naturalis*, quod tamen utpote periculi plenum non est admittendum. Multo minus admittendum est, quod Durandus et Scoto opinati sunt, Christum, ut hominem, esse Filium Dei naturalem et insuper etiam *adoptivum* propter gratiam habitualem, qua ornatus est. Est enim modus loquendi non solum citra, sed etiam contra Ecclesiae consuetudinem, filiationisque naturalis notionem pervertens.

Unde distinctis his tribus propositionibus: Christus ut homo non est Filius Dei naturalis, seu est *tantum* adoptivus; Christus ut homo est Filius Dei naturalis et simul adoptivus, seu *etiam* adoptivus; Christus est Filius Dei naturalis non propter solam aeternam generationem sed etiam propter substantialem et connaturalem sanctificationem; prima est ipsa Adoptianorum *haeretica*, altera est *erronea* et *temeraria*, tertia Suaresii et Vasquesii improbabilis et improbanda.

478. Scholion. Hac occasione theologi proponere solent non-

nullas alias quaestiones. Et 1.° *utrum Christus appellari possit servus Dei?* - Si *servus stricte* accipitur, prouti opponitur *filio*, et significat personam extraneam jus ad haereditatem non habentem, Christus *non est servus;* si vero sumitur *late* pro eo, qui dependentem habet naturam et alterius voluntati obtemperat, quo sensu etiam filius servus esse potest, tunc Christus *servus Dei Patris* potest dici.

2.° *Utrum Christus dici possit creatus* et *creatura?* Si *creatum* et *creatura* accipiuntur pro eo, quod *simpliciter* ex nihilo productum est, creata et creatura potest dici humana Christi natura, non Christus, nisi saltem addatur restrictio *reduplicativa: Quatenus homo est* (1); si vero sumitur pro eo, quod coepit esse non simpliciter, sed *secundum quid*, poterit ipse Christus dici *factus* et *creatus*, nam Christus, homo Deus, non erat ante incarnationem; istum tamen loquendi modum minus opportunum esse, patet.

3.° *Utrum Christus dici possit praedestinatus?* « Praedestinatio, ait s. Thomas p. 3. q. 24. a. 1., proprie accepta est quaedam divina praeordinatio de iis, quae per gratiam Dei sunt fienda in tempore. » Porro praedestinatio et executio in tempore sibi respondent. Propterea quidquid in mysterio incarnationis factum est in tempore, id est etiam praedestinatum ab aeterno. In tempore autem non ipsa simpliciter persona divina sed ipsum incarnationis opus in complexu factum est, i. e. factum est, ut Filius Dei sit homo Jesus, et hic homo sit Filius Dei. Hoc ergo praedestinatum est, scilicet ut Filius Dei sit homo et homo sit Filius Dei. Quare Christus potest dici *praedestinatus* quo sensu dicitur *factus*. Unde quamquam persona divina non est ipsa obiectum praedestinationis, attamen « praedestinatio ait s. Thomas, potest attribui personae Christi, secundum quod subsistit in humana natura, licet non attribuatur ei secundum quod subsistit in divina » (2).

---

(1) Dices si Christus *quatenus homo* potest appellari *servus*, cur non et *filius adoptivus?* Respondet s. Thomas: « esse creatum et etiam servitus vel subiectio ad Deum non solum respicit personam, sed etiam naturam; quod non potest dici de filiatione. Ed ideo non est similis ratio. » 3. p. q. 32. a. 3.

(2) Lect. 3 *in ep. ad Rom.*

ARTICULUS IV.

De duabus in Christo naturis.

479. Prop. 65. **Duae sunt in Christo naturae integrae, distinctae, inconfusae et impermixtae.**

Est *de fide* contra Monophysitas ex conc. Chalcedonensi: « Docemus.... unum eundemque Christum.... in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, sed imo salva proprietate utriusque naturae, et utràque in unam personam atque hypostasim concurrente. »

Demonstr. i. *a)* Demonstravimus Scripturarum testimoniis contra Arianos Christum verum Deum esse, aeterno Patri consubstantialem; itemque contra Docetas eundem ipsum Christum esse verum atque nobis consubstantialem hominem. Atqui verus Deus non est sine integra et inconfusa natura divina, et verus homo sine integra et inconfusa natura humana, quia deficiente rei essentia et ipsa res deficit: ergo. — *b)* Idem colligitur ex demonstratione contra Nestorium confecta, qua ostendimus, Christum verum Deum verumque hominem esse subiectum ontologice unum, ita ut non alius atque alius, sed idem prorsus sit verus Deus et verus homo seu habens tam naturam divinam, quam naturam humanam, proindeque Christum unam esse hypostasim in duabus naturis, divina et humana, inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter permanentibus.

480. ii. Ex Patribus seligimus eos, qui dogma catholicum proponentes simul rationibus theologicis omnes confusionis Eutychianae modos excludunt. *Mutationem* unius in alteram, vel *absorptionem* ita excludit Ferrandus diaconus: « Aut si nullius neque divinae neque humanae naturae audet asserere perditionem, dicat, utrum sit altera in alteram commutata, et si alteram in alteram potuisse commutari suspicatur, dicat rursus, utrum divinitas in carnem, an in divinitatem caro conversa sit. Si enim divinitas ad inferiorem redacta est qualitatem, deteriorata cognoscitur et jam sibi potius creator bonus miseriam procuravit, quam nobis misericordiam praestitit. Si vero per-

manens inviolata divinitas absorbuit substantiam carnis, ut hoc inciperet esse caro quod Verbum, quis tolerabiliter audiat, creaturam prius omnia accidentia recipientem pervenisse ad genus et potentiam creatoris, ut esset subito sine qualitate, sine quantitate, sine tempore, sine loco, sine situ, sine passionibus, sine habitu, perdita conditione facturae solo faciendi vigore subnixa? » (1). *Compositionem* vero et *commixtionem* ita Damascenus: « Si natura ex diversis naturis composita est, neutri earum consubstantialis est. Nam unaqueque suam tantum habet definitionem, composita vero aliam definitionem habet compositam. Impossibile autem est ea, quae diversa sunt et diversam definitionem capiunt, ejusdem esse substantiae. Igitur si Christi una est natura, quomodo consubstantialis erit Patri et Matri? Ille enim Deus est, haec homo. Dei autem et hominis non una est natura » (2).

III. Virus et radix Eutychetis erroris in eo sita erant, quod humana natura *immediate* non hypostasi sed naturae divinae unita sit. Atqui si ita esset, tunc unio fieri deberet ratione naturae, unumque ex ea prodire ad ordinem naturae et essentiae pertinens. Iam vero aperte repugnat, ut ex natura humana et divina unum fiat ad ordinem naturae et essentiae pertinens, sive jam dicatur ex divina et humana natura componi unam aliquam tertiam, sive humana nescio quomodo mutetur in divinam. Unum namque ad ordinem naturae spectans ex duobus in eodem hoc ordine imperfectis existit. Atqui tam divina, quam humana natura secundum propriam suam rationem perfecta est; imo divina natura simpliciter et absolute ideoque secundum omnem rationem perfecta est. Ergo impossibilis est naturarum *immediata* unio.

281. *Obi* 1. *Verbum caro factum est:* ergo divinitas in carnem conversa est.

Resp. Dist. Verbum caro factum est per sui mutationem in carnem, *neg.;* per assumptionem humanitatis in unitatem personae, *conc.* Verbum manens Verbum coepit in tempore esse verus homo.

Obi. 2. Patres dicunt naturam humanam in incarnatione *deificatam*, et Cyrillo frequens fuit et solemnis formula: *una Dei Verbi natura incarnata* (*μία φύσις τοῦ θεοῦ λόγου σεσαρκωμένη*)

(1) Epist. *ad Anatol.* — (2) L. *de duabus volunt.* n. 8.

Resp. ad 1.um *Dist.* Dixerunt naturam humanam deificatam h. e. factam Dei propriam et divinis charismatibus exornatam *conc.*, in divinitatem conversam *neg.* — Ad 2.um *Dist.* Cyrillus illa formula denotat naturam divinam simpliciter incarnatam *neg.*; denotat naturam divinam ut ea formaliter in Verbo subsistit, scilicet personam Verbi incarnatam *conc.* Illa formula, qua contra Nestorianam Christi divisionem utebatur Cyrillus, significat, unam solam in Christo esse subsistentem naturam, et aliam praeterea in eo esse, verum nequaquàm per se subsistentem; proindeque licet duae in Christo sint naturae, non tamen duos esse distinctos, sed unum eundemque per distinctas naturas esse Deum et hominem.

Obi. 3. Patres crebro unionem naturae humanae cum Verbo comparant cum unione animae et corporis; atqui ex hac unione unica existit natura et persona: ergo et ex illa.

Resp. Dist. Utuntur illa similitudine ad illustrandam unitatem efflorescentem ex compositione plurium distinctorum, scilicet hinc animae et corporis in homine, inde Verbi et humanae naturae in Christo *conc.*; ad significandam etiam rationem modumque sive hujus compositionis sive illius unitatis *neg.* Ut ipsa similitudinis ratio postulat, comparatio illa in quibusdam differt, in quibusdam convenit. Differt in eo quod anima et corpus *naturaliter* ad unionem determinantur; sunt verae *partes*; sese mutuo *perficiunt*; homo nequit sive *anima*, sive *corpus*, sive *anima-corpus* appellari; homo non sic habet duo ut *concretum unius de altero efferri* possit. Convenit in eo quod unio inter animam et corpus non moralis est, sed *ontologica*; efficit unum ontologice subiectum *unamque personam*; nullam producit unitorum *confusionem*; *perficit corpus* et fere in ordinem rationalium entium transfert; vi illius unionis praedicata opposita de homine *adiective* enuntiari possunt, ut v. g. est spiritualis et carnalis, mortalis et immortalis.

482. Prop. 66. **Cum duabus in Christo distinctis impermixtisque naturis juncta est tum duplex operatio, tum nominatim duplex voluntas.**

De fide contra Monotheletas ex conc. gener. VI. Constnp. III: « Duas naturales voluntates in eo (J. Christo) et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse, secundum SS. Patrum doctrinam aeque praedicamus. »

Sicut Monotheletismus est propago Euthychianismi, ita haec veritas est antecedentis corollarium.

Demonstr. 1. *a)* Non solum Christum Scripturae exhibent solo voluntatis nutu aegros sanasse, mortuos ad vitam excitasse, daemones e corporibus ejecisse, vento et mari imperasse, quae divinae naturae sunt operationes, in quo consentiebant Monotheletae, sed eum exhibent etiam esurientem, sitientem, manducantem, potum sumentem, lassatum, tristitia ac taedio affectum, lacrymas fundentem, patientem, vulneratum, morientem, quae sunt naturae humanae operationes propriae. Nominatim tales Christo tribuuntur actiones, quae nonnisi a *voluntate humana,* non vero a divina elici possunt; cujusmodi sunt: *mereri, satisfacere, obedire,* actusque humilitatis, timoris Dei, patientiae etc.

b) Distinctam a voluntate Patris, cum qua una numero eademque est divina Christi voluntas, in Christo voluntatem fuisse ostendunt testimonia: *Non quaero voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (Jo. 5, 30); *Pater si vis, transfer calicem istum a me; verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat* (Luc. 22, 42) (1); *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me* (Jo. 5, 10).

---

(1) Voluntas proprie dicta si accipitur pro *potentia,* unica in Christo voluntas humana fuit, si pro *actu,* duae fuerunt in Christo voluntates humanae, i. e. duo genera actuum voluntatis: nimirum 1.° voluntas *naturalis,* seu ut *natura,* quae voluntas *inefficax* est, ac potius *velleitas* dicenda, consistitque in simplici complacentia vel displicentia, qui *in nobis* sunt actus indeliberati et necessarii; 2.° voluntas *rationalis* seu ut *ratio,* quae *efficax* est ac vera, et *volitio* dicitur, et consistit in electione. Duplex est etiam conformitas: vel *in ipso actu,* cum quis illum actum habet, quem alius vult habere, seu cum aliquis vult id, quod alius vult eum velle; vel *in obiecto volito,* cum aliquis idem vult, quod alterius voluntas vult.

Iam vero omnes voluntatis Christi actiones semper tum quoad obiectum tum quoad motivum divinae fuisse perfecte conformes certum est. Actiones vero inefficaces, quibus Christus aliud voluit, quam Deus, cujusmodi exhibentur illis verbis: *Non mea voluntas sed tua fiat,* conformitatem illam habuerunt, quam nominavimus *conformitatem in ipso actu;* quod manifestum ex eo est, quod humana Christi voluntas actiones istas non concipiebat, nisi quia divina voluntas id volebat. Quoniam vero divina voluntas volebat, ut humana voluntas illas in se efficeret actiones inefficaces, haec quoque eas perfecta deliberatione admittebat. Atque idcirco non modo, actionibus istis inefficacibus consideratis, conformitas erat inter divinam et humanam voluntatem Christi, sed hoc ipso extabat conformitas etiam inter inferiorem et superiorem partem ejus voluntatis humanae. Hinc nulla est pugna inter v. g. voluntatem rationalem, qua Christus

483. II. Duplicem operationem et voluntatem in Christo Patres passim non solum ex Scripturis, sed ex duplici natura demonstrant. S. Ambrosius: « Nunquid una operatio potest esse, ubi diversa substantia? » (1); s. Gregorius Nyss.: « Fieri enim non potest, ut quae naturae ratione distant, in eandem operationum speciem inter se conveniant. Non enim refrigerat ignis, neque glacies calefacit, sed pro naturarum discrimine earum operationes a se mutuo separantur » (2); s. Jo. Damascenus ex statuto principio: « Nulla natura est operationis expers, » concludit: « Cum duae in Christo naturae sint, duas quoque in (Christo) actiones dicere necesse est » (3). Hinc colligunt principium ad dogmatis explicationem et defensionem gravissimum: *Numerus operationum et voluntatum non sequitur numerum personarum, sed naturarum.* (Cf. prae ceteris Epist. Agathonis *ad Imp. lectam in conc.* VI).

484. **Corollarium** 1. Actiones sunt *suppositorum* et *naturarum*, sed diversa ratione: suppositi, ut principii *quod*, naturae, ut *principii quo;* suppositum agit per naturam adeoque actio proprie elicita a natura est suppositi cujus est natura. Unde dici posset: *actiones tribuuntur suppositis*, et *eliciuntur naturis* (4). In Christo, quoniam duplex est natura, duplex est *principium quo:* unum est ipsa natura divina una numero eadem ipsi cum Patre et Spiritu sancto; alterum est natura humana, per quam persona incarnata operatur formaliter ut homo. Principium autem, *quod* vult et operatur, tam secundum divinam quam secundum humanam naturam, est *unum* suppositum seu divina persona Verbi. Unus est ergo operans propter unitatem personae, cujus sunt propriae cuique tribuuntur actiones sive divinae sive humanae naturae. Hic unus operans est Christus, Deus-homo, qui modo

---

mortem simpliciter ut re ipsa obeundam volebat, et voluntatem naturalem, qua eam ut naturae molestam fugiebat non absolute, sed inefficaciter et conditionate, quia haec ipsa inefficax voluntas qua mortem horrebat, erat ex ordinatione et deliberatione ipsius voluntatis Christi, ad excitandum majorem passionis dolorem, et sic magis patiendum, atque ad nostrum exemplum et solatium.

(1) *De fide ad Gratianum* l. 3. c. 2. — (2) In Epist. *ad Eustath. rel. in Synodo* VI. Act. 10. — (3) *De fide Orthod.* l. 3. c. 13. 15.

(4) *Natura* non habet a supposito *vim agendi*, sed tantum *conditionem*, qua posita ipsa suam exserit activitatem; ut enim agere possit, debet vel in se vel in alio subsistere, quod a supposito habet.

divina secundum divinam naturam, modo humana secundum humanam naturam operatur, sicut idem homo ratiocinatur, qua rationalis est, et ambulat, qua corporeus: et quidem ratiocinatur cum corpore non per corpus, et ambulat cum ratione non per rationem.

485. **Corollarium** 2. Quamquam sicut naturae ita et binae operationes Christi manent *inconfusae* et *distinctae*, arctissima tamen propter personae unitatem copulatione coniunctae sunt. Operationum hujusmodi triplex genus distinguitur: 1.° earum quae erant solius Dei propriae, ut mundi creatio et conservatio; 2.° earum quae soli naturae humanae conveniunt, ut edere, bibere, pati, mori; 3.° earum quae mixtae quodammodo sunt ex utraque natura, ut quando tactu manus suae sanabat aegrotos, verbo suo mortuos suscitabat; contactus enim erat naturae humanae, miraculum divinae. — Porro omnes hujusmodi operationes *θεάνδρικάς* (deiviriles) appellare licet, quia unus est operans, qui Deus-homo est *(θεάνθρωπος, θεάνδρος)*. Operationes secundi generis non solum ratione personae operantis *deiviriles* vocantur, sed etiam quia Verbum spectatum secundum naturam divinam illas actiones ut principium dirigens moderabatur et disponebat utendo natura humana tamquam organo, quod tamen intellectu et libertate praeditum est. Tertii generis actiones speciali insuper ratione merito dicuntur *deiviriles*, quod videlicet in his utriusque naturae revera concurrat operatio; tactus siquidem vel vox operationem humanae naturae tibi sistit, curatio autem aegroti vel mortui suscitatio divinae naturae operationem repraesentat.

486. Scholion. In nobis facultas volendi una quidem est, sed cum bonis diversi generis alliciatur, pro hac duplici contraria tendentia in bona diversa duplex potest dici voluntas, una spiritus, ad superiora tendens, altera naturae corruptae ad inferiora, atque ita voluntas carnis contraria voluntati spiritus. Quoniam in Christo voluntas superior plane consentit voluntati divinae, et sic divina voluntas et humana una est consensione; usu ambiguae locutionis « *una voluntas* » suam haeresim Monotheletae tegebant et catholicos decipiebant. Tacite enim ipsi assumebant voluntatem in Christo superiorem esse voluntatem naturae divinae, sed ita fraudolenter rem repraesentabant, ut catholici credere possent, ab iis defendi unam voluntatem utriusque naturae consentientem

atque concordem; duas enim voluntates, ajebant, non posse esse in una persona nisi contrarias, non autem esse in Christo voluntates contrarias, ergo unam tantum esse in ipso voluntatem: ab iis vero qui duplicem statuerint voluntatem, hoc ipso invehi in Christo voluntatem corruptae naturae repugnantem voluntati spiritus. In tali quaestionis statu catholici, qui dolos eorum perspectos non haberent, poterant existimare vel duas tantum negari in Christo voluntates *humanas* invicem pugnantes, ut sunt in nobis; vel quod fere eodem redit, negari voluntatem humanam contrariam divinae, et utramque dici unam *consensione*: quae sane doctrina orthodoxa est.

Ita certe Honorius I Pontifex intellexit, cum Sergius patr. Constnp. ei nuntiasset ortas acres concertationes inter Cyrum Alexandrinum et Sophronium de una vel duabus Christi operationibus. Quod enim Cyrus, approbante Sergio, ad conciliandam unionem monophysitarum dixerit unam voluntatem Christi, et postea eodem Sergio hortatore abstinendum esse statuerit a praedicatione unius vel duarum voluntatum; id Sergius in relatione ad Summum Pontificem in hunc sensum exponebat: tali oeconomia utendum esse, ne affirmari videantur « in Christo *voluntates duae contrariae,* Verbo volente impleri salutarem passionem, humana autem natura obsistente. » Honorius rescribens Sergio secundum sensum, quem ex ejus epistola perceperat, respondit non esse duas voluntates contrarias in Christi humanitate.

Hunc fuisse sensum duarum epistolarum Pontificis testantur: 1.° Joannes IV post annum et medium Honorii successor, ep. ad *Constantinum Imp.* et s. Maximus *in dialogo cum Pyrrho.*

2.° Ipsa Honorii verba: « Unam voluntatem fatemur Domini N. J. C., *quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura non culpa;* illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata.... sine peccato conceptus *nullum experiens contagium vitiatae naturae...* Non est igitur assumpta a Salvatore *vitiata natura, quae repugnaret legi mentis ejus... voluntas diversa non fuit aut contraria Salvatori, quia supra legem natus est humanae conditionis.* Et si quidem scriptum est: *non veni facere voluntatem meam sed ejus, qui misit me Patris.... non sunt haec diversae* (i. e. contrariae ut paulo ante ipse interpretatus est) *voluntatis sed dispensationis humanitatis assumptae.*

3.º Diserta ejus de duabus sicut naturis ita operationibus: « Utrasque naturas in uno Christo... cum alterius communione *operantes atque operatrices* confiteri debemus, et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et *humanam quae carnis sunt exequentem....* pro una, quam quidam dicunt, operatione oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utrisque naturis veridice confiteri, et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis vocabulo, ipsas potius *duas naturas* i. e. divinitatis et carnis assumptae in una persona unigeniti Dei Patris inconfuse, indivise atque inconvertibiliter nobiscum praedicare *propria operantes.* »

Cum certum itaque sit Honorii litteras ne minimum quidem monotheletici erroris continere; cur ipse simul cum aliis haereticis in conc. VI. damnatus est? Quia oeconomiam silentii ratam habuit consentiendo Sergio et Cyro, ut « unius vel geminae operationis » vocabula non adhibeantur, eo quod nulla sit eorum necessitas, cum neque in Scripturis neque in definitionibus conciliorum contineantur, et « ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos nos vesana sapere arbitrentur; aut certe, si rursus unam operationem D. N. J. C. fatendam esse censuerimus, stultam Euthychianistarum dementiam fateri putemur. » Quamquam in tota hac oeconomia nulla est haeresis, tamen ea in illis adiunctis, vel invito Pontifice haereticorum fraudum nescio, spectabat ad impediendos catholicos in defensione fidei et ad expeditiores reddendos haereticos. Hoc sensu ut « consentientis seu condescendentis et firmatoris haereticorum condemnatio Honorii in conc. VI. intelligi debet. » Certissime hoc sensu confirmatione sua conc. VI. Leo II. ratum habuit, quaque tandem hoc formaliter concilium est. Respondens nempe Constantino Pogonato de gestis et decretis in Synodo VI. ait: « Anathematizamus *novi erroris inventores,* idest Theodorum Pharanitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantinopolitanae Ecclesiae insidiatores magis, quam praesides; *nec non et Honorium, qui hanc apostolicam ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana proditione immaculatam maculari permisit.* Gemina his sunt, quae idem Pontifex habet in sua ad Hispaniae Episcopos epistola: « Qui vero adversum apostolicae traditionis puritatem *perduelliones* extiterunt, abeuntes quidem aeterna damnatione mulctati sunt, idest Theo-

dorus Pharanitanus..... *cum Honorio,* qui flammam haeretici dogmatis non, ut decuit apostolicam sedem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit. » Totus hic condemnationis modus et coaequationis cum haereticis in poena anathematis *propter negligentiam in extinguenda haeresi* demonstrat certam persuasionem de officio infallibilique magisterio Romani Pontificis ad confirmandos fratres suos in universa Ecclesia et ad fidei depositum contra haereticos custodiendum (1).

ARTICULUS V.

De unionis hypostaticae formula.

487. Prop. 67. **Doctrina catholica hucusque demonstrata ejusque aliqua declaratio ad utriusque erroris sibi oppositi exclusionem exprimitur formulâ dogmaticâ inde a saec. V. communi ac solemni usu Ecclesiae in catholicae fidei tesseram adoptatâ, qua unio Verbi cum humana natura dicitur hypostatica vel secundum hypostasim** *(ἕνωσις καθ' ὑπόστασιν,* vel *ἕνωσις ὑποστατική).*

488. Demonstr. Nominum declaratione, quam supra dedimus, Patrumque explicatione retenta, *unio hypostatica* Christi significat 1.° contra Nestorium humanam naturam Verbo unitam esse non unione aliqua *accidentali,* morali aut dynamica, sed vera et reali unione *substantiali,* qua Christus, Verbum-homo, substantive unus est. Una autem est persona, quia immutabilis hypostasis Verbi per eandem suam divinam subsistentiam, qua sustentat ac regit naturam divinam, assumpsit i. e. attraxit ad se primo instanti Incarnationis naturam humanam, quam simul coepit sustentare ac regere, adeoque hanc naturam assumendo, eo ipso fecit *suam,* eamque possedit ut propriam, nunquam dimittendam: et ipsa vicissim natura assumpta personalitatem divinam obtinet, per eam terminatur, in ea subsistit. Hinc Deus Verbum manens Deus per hanc naturam assumptam verus existit *homo* i. e. ha-

(1) Cf. Franzelin th. XL. et Stentrup th. 54.

bens naturam humanam, ita ut unus sit habens utramque naturam, per alteram verus Deus per alteram verus homo. Atqui quae ex fontibus revelationis de ontologica Christi unitate constituimus, hoc plane modo Verbum humanam naturam sibi copulasse demonstrant. Ergo ea formula aptissima censeri debet ad excludendam duarum personarum unionem moralem, ut censuit Nestorius.

2.° Contra Eutychen unionem non factam inter ipsas naturas immediate, quae erat radix ejus erroris, sed naturae humanae unionem *immediate* esse factam cum *hypostasi Verbi* et hac mediante cum natura divina, ut ait Rusticus diaconus contra acephalos: « Non Deus Verbum per divinam naturam, sed divina natura per Dei Verbi personam unita dicitur carni. »

Licet non alia et alia res sit hypostasis divina et natura divina, attamen alia est formalis ratio ejusdem summae rei, ut hypostasis est, et alia, ut natura est. Jam vero, si sub alia et alia ratione eadem summa res hypostasis est et natura, nihil sane impedit, quominus sub una ratione cum humana natura uniatur, non vero sub alia. Fieri autem unionem substantialem naturae creatae cum Deo, quatenus est formaliter hypostasis divina secunda, significat, hypostasim, quatenus est hic distinctus habens naturam divinam, incipere habere etiam naturam creatam humanam, hocque ipsum formulâ illâ exprimimus.

Id quidem ratione comprehendere non possumus, sed repugnantiam hac in re pariter non videmus. Porro dum fit ejusmodi unio substantialis naturae humanae *immediate* per personam, *mediate* etiam natura humana cum divina coniungitur, quatenus utraque natura subsistit in eadem hypostasi.

Ex *immediata* naturae humanae cum hypostasi Verbi unione intelligitur etiam quomodo secunda persona non vero tota Trinitas incarnata sit. Potest scilicet incarnatio spectari *effective* et *terminative*. *Efficienter* spectata, sive dum fit sive dum conservatur natura humana et hujus cum Verbo unitio, est opus commune toti Trinitati, quod utpote caritatis opus appropriatur speciatim Spiritui sancto; *terminative* vero spectata (h. e. dum quaeritur, quis sit habens naturam, seu terminus intrinsecus illius unionis) est propria solius Filii, qui solus incarnatus est, quia hoc modo non est operatio aliqua, sed est relatio quaedam

habentis antea tantum divinam naturam, seu extensio aliqua modi subsistendi et characteris personalis, qui cum proprius sit distinctae personae, potest haec habere naturam humanam ut suam et in ea subsistere, quin aliae personae in ea subsistant; nec magis consequitur ex eo, quod Verbum est incarnatum, Trinitatem incarnatam esse, quam consequatur Trinitatem genitam esse ex eo, quod Filius est genitus (1). — Neque in hoc ullam licet suspicari in Verbo mutationem. Nam Verbum habet, uti exposuimus, naturam humanam secundum formalem rationem subsistendi, quam possumus dicere vim hypostaticam seu actum terminandi naturam. Iam vero sicut virtus absoluta indivisa et indistincta divinitatis actus purus est, nullaque accedere ad eam perfectio potest adeoque nullam dum creat subit mutationem; ita virtus quoque illa hypostatica actusque terminandi naturam est actus purus ideoque ulterioris perfectionis incapax, atque adeo potest ex sese sine omni sui mutatione creatam naturam terminare eamque reddere suam.

Formula ergo, qua unio Verbi cum humana natura *secundum hypostasim* appellatur, immediatus naturarum contactus et consequens eutychiana earundem confusio removetur, intelligiturque incolumis naturarum cum suis proprietatibus in arctissima unione distinctio (2).

---

(1) Ita is qui vestem induit, solus dicitur illam assumere, quamvis alii cum ipso concurrant ad illam efficiendam, aptandam et circumponendam.

(2) Quam arcta et ineffabilis sit naturae divinae cum humana hujusmodi substantialis haec unio apparet 1.° ex similitudinibus, quibus illam Patres illustrare conantur, ut ferri igniti, carbonis candentis, lilii odore suavissimo imbuti, lanae purpureo colore tinctae etc. Ita *Cyrillus in praef. l. 2. adversus Nestorium:* « Dicitur, inquit, carboni persimilis propterea, quod ex duabus ac dissimilibus rebus intelligitur, sed ita secundum veritatem convenientibus, ut in unitatem propemodum coniungantur. Ignis enim ubi lignum penetravit, illud in suam ipsius claritatem ac vires transfert, eo tamen servato, quod erat. » 2.° Ex effectibus. Sicut enim ferrum per ignis illapsum hujus redditur particeps proprietatum, ita Christi humanitas per illapsum divinitatis divinarum concors fit dotum. Sane nisi Verbi substantia se in ipsa humanitatis penetralia insinuaret suaque insinuatione deitatis dotibus illam irrigaret imbueretque, quantum natura creata increatae potest vires dotesque combibere, quâ fieret, ut humanitas vivifica esset totiusque humani generis redempti veluti vitis et radix et vitae supernaturalis fons inexhaustus? 3.° Ex περιχώρησι quam inter duas naturas obtinere communiter docent. Haec enim in incarnatione obtinere non posset, si Verbum naturam humanam extrinsecus tantum attingeret et afficeret,

489. Scholion. Si de tempore quaeras, quo haec unio facta sit hoc tene: 1.° *Fidei dogma* est, quod ceteroquin ipsa formula *secundum hypostasim* enuntiat, eam in ipso incarnationis instanti factam esse, neque prius extitisse humanam naturam, quam in Verbo subsistentiam habuerit, Verbumque eam in se formaverit. Hoc diserte instanterque inculcant Patres. Epiphanius: « Verbum descendit de coelo, et in se ipso carnem subsistentem fecit ex utero s. Virginis, et integram humanam naturam perfecte in se transplasmavit » (1); Hippolytus: « Unigenitus perfectum erat Verbum, caro autem per se ipsam seorsim a Verbo non potuit subsistere, quia in Verbo habebat consistentiam » (2); Fulgentius: « *Quam carnem non conceptam accepit unigenitus Deus, sed in ea est Deus altissima humilitate conceptus. Idem quippe Deus creatus est in Virgine et de Virgine secundum carnem,* qui sibi, de qua et in qua crearetur, creaverat genitricem » (3). Et haec est propria ratio, cur in Christo non sint duae personae et B. V. vere sit *θεοτόκος*.

2.° Naturam, quam assumpsit, numquam exuit et in aeternum non exuet. Est *de fide* ex conc. Chalcedonensi definiente utramque naturam in unam personam concurrisse *indivisibiliter* et *inseparabiliter*, et ex axiomate: *quod Verbum semel assumpsit, numquam dimisit,* quod significat, Verbum numquam dimisisse animam, corpus et alias partes assumptas, sive eaedem permanserint physice sive moraliter tantum. Hinc totus sanguis Christi in Passione effusus, postea in resurrectione resumendus, mansit toto triduo mortis Christi unitus Verbo, sicut toto illo triduo corpus et anima, quamvis separata, remanserunt Verbo unita (4). Nam ideo caro, quamvis ab anima separata, permansit illo triduo unita Verbo, quia erat pars in resurrectione resumenda, seu coniungenda cum aliis partibus ad constituendum hominem vivum.

---

et non intrinsecus ei illaberetur, atque illapsu suo eam pervaderet ac penitissime penetraret. Cf. Hurter th. CXLIV.

(1) *Haer.* 77. n. 29. — (2) *Contra Nöetum* n. 15. — (3) *De incarn.* n. 4. 5.

(4) Verba illa: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (Matth. 27, 46), propter quae nonnulli haeretici dixerunt, Verbum mortis tempore humanam naturam deseruisse, intelligi possunt *de protectionis divinae subtractione* vel de conquestu Christi ut capitis generis humani ob multitudinem damnandorum. Ceterum ipsum symbolum clare docet, Filium Dei natum, mortuum, sepultum et ad inferos descendisse.

Quae ratio aeque valet pro illo sanguine. Sanguis autem in passione effusus reassumptus est in corpore in instanti resurrectionis totus saltem moraliter, quia scilicet in corpore Christi non fuit sanguis superfluus. Secundum multos tamen non est reassumptus totus physice; quia in linteaminibus, clavis et aliis instrumentis passionis remanserunt maculae sanguineae, quae maculae non sunt nisi sanguis. Sed hic sanguis non est amplius unitus cum Verbo, quia in perpetuum desiit esse pars humanitatis Christi, cum ipse plene resurrexerit, ideoque nulla pars amplius ab ipso sit resumenda.

CAPUT IV.

De consectariis unionis hypostaticae.

490. Expositis et vindicatis, quae ad essentiam, ut ita dicam, mysterii dominicae Incarnationis spectant illudque constituunt, reliquum est, ut praecipua colligamus consectaria, quae ex eo profluunt. Ea porro sunt: 1.° communicatio idiomatum, 2.° adoratio sanctissimae Christi humanitatis, 3.° cultus SS. Cordis Jesu, 4.° sanctitas, et 5.° scientia in ejus anima.

ARTICULUS I.

De idiomatum communicatione.

491. Prop. 68. **Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto, non vero in abstracto.**

Ad fidem spectat, cum fluat ex dogmate unionis hypostaticae, et supponatur in symbolis, praedicantibus eundem Christum esse Filium Dei ante omnia saecula genitum, et natum ex Maria Virgine, passum et mortuum.

Declar. *Idioma* hic ex graecae vocis etymo idem est ac *proprietas*, vel potius proprietas quatenus praedicata, seu praedicatum. Communicatione *(ἀντίδοσις) idiomatum* intelligitur ea loquendi for-

ma, qua utraque natura et utriusque naturae proprietates sic enuntiantur de Christo, ut, quae conveniunt homini, ea tribuantur Deo, et quae conveniunt Deo, de homine praedicentur, sicut: Deus est homo, et homo est Deus; Christus est aeternus, immortalis et infinitus, et Christus est temporalis, mortalis, et finitus etc. — Dicitur *in concreto*, quia cum fundamentum communicationis idiomatum sit unitas personae, cumque nomina concreta directe significent hypostasim quae habet formam, ut doctus, Deus etc. et nomina abstracta significent formam separatam vel naturas seorsim sumptas, ut doctrina, divinitas etc., patet in concreto quidam fieri posse, ut: Deus est mortalis, non vero in abstracto, ut: divinitas est humanitas.

492. Demonstr. i. p. *In concreto.* (Acta Ap. 3, 15): *Auctorem vitae interfecistis;* (Rom 1, 3): *Filius Dei factus ex semine David;* (1. Jo. 3, 16): *Deus animam suam pro nobis posuit* etc. — Gregorius Nyss.: « Propter exactam assumptae carnis assumentisque divinitatis unitatem mutuo nomina permutantur ut quod humanum est divino, quod divinum est humano nuncupetur » (1). — Ratio est, quia in praedicatis, in quibus concreta de concretis enuntiantur, praedicatum est idem cum subiecto ideoque propositio est vera, v. g.: Deus quod est habens divinitatem, idem est cum homine, quod est habens humanitatem, nam Christus est utrumque, habens divinitatem et humanitatem etc.

493. Demonstr. ii. p. Non vero *in abstracto;* in his enim propositionibus praedicatum non est idem cum subiecto, ideoque ipsae sunt falsae; nam humanitas et divinitas sunt formae disparatae, comparanturque ad concretum velut partes saltem metaphysicae ad totum: concretum enim v. g. homo, omnipotens etc., enuntiatur ut totum habens humanitatem, omnipotentiam: humanitas vero sive omnipotentia est forma et pars metaphysica. Porro non praedicatur proprie pars de toto, nec totum de parte (2).

494. **Corollarium** 1. Ex his jam consequitur erroris refutatio illo-

(1) Epist. *ad Teophil.*

(2) Quum in propositionibus negantibus praedicatum removeatur a subiecto omni ex parte, patet, id quod secundum unam naturam de Christo negatur, non posse simpliciter de ipso negari. Quapropter omnibus ejusmodi propositionibus negativis addenda est explicatio. Falsa esset propositio: Deus non est passus: sed dicendum: Deus non est passus secundum naturam divinam.

rum Lutheranorum, qui Ubiquistae dicti sunt, quique ad defendendam contra Sacramentarios realem Christi in Eucharistia praesentiam, haeresim Eutychianam instaurantes contendebant, proprietates naturae divinae humanitati ita in abstracto fuisse communicatas, ut vere dici possit: humanitas Christi est ubique praesens, immensa, omnipotens. Praeterea in Scriptura legitur, Christum descendisse, ascendisse, non adfuisse praesentem, de uno loco venisse ad alium.

Dices cum Ubiquistis: Quando duae res sunt sibi invicem inseparabiliter unitae, tunc ubicumque est una, ibi debet esse etiam altera. Atqui humanitas Christi et persona Verbi sunt inseparabiliter unitae, et persona Verbi est ubique. Ergo humanitas est etiam ubique. — *Resp. Neg. maj.* universaliter sumptam. Ut duae res sint sibi inseparabiliter unitae, satis est, si semper simul sint alicubi; nec requiritur ut ubicumque est una, ibi sit altera. Sicut caput et anima Christi sunt inseparabiliter unita, quia sunt alicubi simul et semper, quamvis tamen caput non sit ubicumque est anima; anima enim est etiam in pectore et aliis corporis partibus, in quibus non est caput. Verbum autem est semper alicubi cum humanitate, quod sufficit ad unionem inseparabilem, licet non sit cum ea ubique.

Corollarium 2. Ex dictis patet formulam illam a Petro Fullone inductam: *Unus de Trinitate crucifixus est*, rigore theologico veram esse, nam Christus est una persona Trinitatis. Si vero illa fuit damnata, hoc factum est quia sensu monophysitico intelligebatur, scilicet unum de Trinitate crucifixum esse deitate, in quam conversa est humanitas. Idem dicendum est de eadem formula addita Trisagio: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis, miserere nobis*, quae sensum sanum vel pravum habere potest, prout hoc Trisagion ad solum Filium, vel ad totam Trinitatem referri intelligitur.

ARTICULUS II.

De adoratione Christi.

495. *Cultus* latius et strictius sumitur. Latius comprehendit omnes religionis actus: fidem, adorationem, orationem etc. Stri-

ctius idem significat ac *veneratio* seu *adoratio*, et definitur: *Actus, quo testificamur alterius excellentiam, et nostram erga illum submissionem propter eius excellentiam.* Tres complectitur actus: actus intellectus, quo alterius praerogativa agnoscitur dignaque obsequio judicatur; actus voluntatis, quo iudicium intellectus approbamus atque decernimus cognitam alterius excellentiam et nostram subiectionem propter hanc excellentiam practice profiteri; actum externum congruum, quo internos hosce affectus exprimimus. Ex quibus actibus secundus est maxime proprius et essentialis; primus enim potest esse etiam sine cultu; tertius cum irrisione. Hinc differt ab *honore,* qui consistit tantum in excellentiae alterius significatione; cultus et adoratio superaddunt *submissionem;* ille aequali imo et inferiori, haec soli superiori seu excellentiori exhiberi potest. Hinc Deus honore sanctos, minime vero cultu et adoratione prosequi potest.

Excellentia, quae constituit fundamentum cultus et adorationis, vel est *naturalis,* ut potentia, sapientia, dignitas in republica etc., vel *supernaturalis,* ut infinita Dei perfectio, dona gratiae et gloriae sanctis participata; illi respondet adoratio seu cultus *civilis,* huic adoratio seu cultus *religiosus.*

Supernaturalis excellentia vel est *increata* vel *creata;* hinc duplex adoratio religiosa, altera, quae ad Deum, altera, quae ad creaturam refertur. Cultus, qui soli Deo propter infinitam et increatam excellentiam est deferendus, usu *ecclesiastico,* appellatur *λατρεία,* et aliquando nomen *adoratio* apud *latinos* ad hunc supremum cultum designandum restringitur, quod tamen sicut et vox graeca *προσκύνησις* per se et apud plures scriptores latius patet. Cultus vero, qui creaturae defertur propter excellentiam creatam supernaturalem, usu ecclesiastico dicitur *δουλεία.* Quia dulia matri Dei tum ob sublimiorem sanctitatem et gloriam prae omnibus meris creaturis, tum ob singularem cum Verbo incarnato cognationem debetur in gradu excellentiori, haec vocatur *ὑπερδουλεία.*

496. Excellentia propter quam cultus et adoratio defertur, aut in eo ipso est, cui defertur, aut in alio, quocum tamen connexionem habet, existit. Primum si obtineat, adoratio extat *absoluta;* si vero alterum locum habeat, adoratio est *relativa.* Prior soli naturae intellectuali praestari potest; altera obiectis in qui-

bus nulla est perfectio absoluta huiusmodi cultu digna, sed vel *relatio,* et singularis connexio cum altero, qui per se colitur (reliquiae) vel sola alterius colendi *repraesentatio* (imagines).

497. In cultu absoluto, praesertim de adoratione Christi, considerandum adhuc venit obiectum *formale* et *materiale.* Obiectum formale est excellentia illa, quae est propria ratio cultus; materiale sive *terminus,* est id, in quod cultus fertur. Per se patet, obiectum quod adoratur debere esse coniunctum cum obiecto formali; quomodo enim adorari posset, si nulla illi inesset excellentia ad cultum movens? Haec connexio habetur *a)* per identitatem utriusque obiecti, ut in Deo; vel *b)* per modum formae, ut sanctitas in creatis spiritibus; vel *c)* per substantialem unionem utriusque obiecti, ut in *θεανθρώπῳ,* utpote in quo substantialis datur unio inter Verbum et humanam naturam. Quae tamen natura, quum non ipse Christus, sed tantum Christi sit, non est obiectum materiale *totale* adorationis, sed *partiale:* adoratur scilicet *in se directe,* non tamen propter se, sed propter Verbum, cui est unita. — Praeter obiectum materiale et formale, obiecti adhuc *manifestationis* mentio fieri debet. Potest scilicet praeter excellentiam, quae est ratio proxima cultus, esse ratio remotior sed adoranti propinquior ac notior, per quam et in qua adorandus se ei manifestat. Ita Deus creator, redemptor, sanctificator adoratur propter suam infinitam excellentiam, nihilominus ipse infinite perfectus et adorandus se nobis manifestat suis operibus et beneficiis ad extra, praesertim eo, quod Deus ipse homo factus est, et in natura assumpta frater noster primogenitus, reparator et redemptor esse voluit. Ut obiectum manifestationis potest considerari non solum natura humana integra, sed etiam singulae actiones, singula mysteria Verbi incarnati, et natura humana secundum suas partes velut organa immediata, quibus Deus Verbum incarnatum suam bonitatem, misericordiam, dilectionem maxime manifestavit. Hujusmodi manifestationes non sunt obiectum formale, tamen cultum ingrediuntur atque cum obiecto formali intimam quandam habent connexionem, quod in ipsis et per ipsas obiectum formale praesens nobis sistitur; adeoque prae colente quidem proximi, prae cultu autem remoti motivi rationem habent.

498. Prop. 69. **Hic homo Jesus Christus adorandus est cultu latriae.**

Est *de Fide,* et patet: nam hic homo Christus simpliciter est Deus, est suppositum divinum habens humanitatem sibi substantialiter unitam, est hoc suppositum divinum, in quo duae naturae, divina et humana subsistunt.

499. Prop. 70. **Ipsa Christi humanitas quatenus est natura Verbi eadem adoratione latriae absoluta est adoranda cum Verbo divino.**

Pertinet *ad fidem* ex conc. generale V. can. 9: « Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo et semotim homini (en duplex adoratio Nestoriana); aut si quis, ad direptionem carnis, aut ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium portentose dicens, sic adorat Christum (unica adoratio in sensu monophysitico); sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctae Dei Ecclesiae ab initio traditum est; talis anathema sit; » et Nicaeno II. act. 5: « Cum Christus adoratur, non separatur humanitas a divinitate, sed utraque ut unum adoratur. »

Est contra Nestorianos unam Christo homini verbotenus praedicantes adorationem, ob moralem cum Verbo coniunctionem, quomodo purpura cum rege adoratur, re tamen duplicem introducentes; Eutychianos admittentes adorationem latriae, propter *unitatem,* quam supponebant, naturae humanae cum Verbo; Apollinaristas similiter concedentes unicam Christi hominis adorationem propter carnem, quam fingebant coelestem et consubstantialem Patri; Wicleffitas statuentes Christi humanitati relativam tantum adorationem esse praestandam; plures Socinianos Christum ut legatum Dei adorandum contendentes.

Demonstr. *a)* (Jo. 5, 23): *Ut omnes honorificent Filium* (utique incarnatum, de quo ibi sermo est) *sicut honorificant Patrem;* (Hebr. 1, 6): *Cum* (Pater) *iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei;* (Matth. 28, 17): *Et videntes* (Apostoli) *eum adoraverunt* (Cf. Philipp. 2, 9). — Athanasius: « Neque corpus a Verbo dividentes seorsim adoramus, neque Verbum adorare volentes ipsum longe a

carne disiungimus: sed cum sciamus Verbum carnem factum esse, hoc ipsum etiam in carne positum Deum agnoscimus. Quis igitur ita desipit, ut Domino dicat: Recede a corpore tuo, ut te adorem? » (1) — *b)* Cultus qui defertur personae, pro obiecto habet personam non solum secundum aliquid ejus, sed secundum omnia, quae ei substantialiter insunt, seu tota persona adoratur, quamvis ratio formalis, cur persona colatur, sit solum secundum aliquid, quod inest personae. Sic colimus totam personam Pontificis veneratione sacra, quamvis ratio formalis huius venerationis sit eius dignitas supernaturalis. Iam vero tota persona Christi est non solum personalitas Verbi, sed etiam omnis natura subsistens in illa personalitate, adeoque cum hac et illa adoratur non quidem *propter se* sed propter excellentiam personae divinae. Christus Verbum incarnatum est igitur obiectum *integrum* adorationis, divinitas Verbi obiectum *formale,* propter quod adoratur humanitas, quae ideo est obiectum *materiale directum,* sed *partiale,* quod *in se* sed non *propter* se adoratur. Habet insuper humana natura rationem simul obiecti *manifestationis,* nam ea illud est in quo et per quod eximio et plane incomprehensibili modo Verbum adorandum et colendum menti nostrae se sistit, et quo ad adorationem eius non tam movemur, quam rapimur. Inest ei ergo ratio obiecti manifestationis, ideoque simul obiectum materiale et manifestationis cultus latreutici eam censere oportet. Quando igitur Deus-homo sese nobis exhibet adorandum in sua humana natura, adorationem latreuticam deferimus personae divinae in utraque natura ita, ut ratio formalis latriae sit divinitas, obiectum autem materiale sit etiam humanitas, et non mere obiectum tantum materiale, sed etiam obiectum quo incarnatum Verbum adorandum se nobis proponit, et quo nos ut ratione nobis propinquiore ad cultum et adorationem excitat; idque eo efficacius, quo mirabilius divina bonitas infinita, dilectio, misericordia, sapientia, omnipotentia in ipso mysterio incarnationis resplendet et sese manifestat.

Porro ratio obiecti manifestationis non tantum naturae humanae universim consideratae convenit, sed etiam eidem spectatae prae singulis fere partibus eam componentibus et mysteriis ad eam pertinentibus propria est. Vix enim aut ne vix quidem ul-

---

(1) Epist. *ad Adelphium* n. 3.

lum horum mysteriorum reperire est, quo non mirandum in modum manifestetur infinita Dei Verbi bonitas et misericordia ac immensus, quo in nos homines fertur amor, ideoque quo non ipse Deus Verbum colendum se et adorandum nobis repraesentet. Et ad partes humanae naturae non solum extenditur, quod toti naturae attribuimus, sed inter ipsas aliquae sunt in quibus peculiari id ratione relucet, ideo maxime, quod propria quadam cum mysteriis, de quibus diximus, relatione connectuntur. Sunt vero eaedem hae partes atque eadem illa mysteria, utpote naturae Verbi incarnati partes et actiones passionesque, obiectum materiale adorationis latreuticae. Ergo fieri potest, ut fideles Dominum nostrum colentes et adorantes singularia aliqua Verbi incarnati mysteria et singulares aliquas ss. humanitatis partes, quia ob specialem obiecti manifestationis rationem specialem etiam quandam obiecti materialis rationem induunt, specialiter atque directe respiciant. Imo fieri id debet; concipi enim nequit, aliquid esse obiectum materiale cultus, simulque habere rationem motivi, prae colente quidem proximi, prae cultu autem remoti, quin fideles colentes ipsum specialiter atque directe respiciant.

Corollarium 1. Ex his intelligitur, cultum humanitatis Verbi esse absolutum non relativum, ut affirmabat Wicleffus; cultus enim relativus est, quando unum suppositum propter excellentiam quae est in altera hypostasi, ad quam illud suppositum habet relationem, colimus; at quae substantialiter insunt et sunt propria personae colendae, ea terminant ipsum cultum absolutum toti personae delatum: ita humanitas terminat affectum internae submissionis, non vero imago Christi.

Corollarium 2. Quum obiectum adorationis sit humanitas Christi, *quatenus est natura Verbi;* patet hanc, si spectaretur secundum se vel separata a Verbo vel praecisione facta a Verbo, sane non posse adorari cultu latriae eo ipso, quod obiectum formale latriae sola est divinitas.

Corollarium 3. Ex dictis iam sequitur, cultum sanctissimi Cordis Jesu, qui novis in dies augescit incrementis, reprobari vel improbari universim non posse. Ex demonstratis enim constat, nullum posse assignari principium dogmaticum universale et commune, quo cultus iste monstretur illicitus. Si namque nihil obstat, quominus in Domini nostri cultu et adoratione singulares quas-

dam sanctissimae ejus humanitatis partes specialiter et directe respiciamus, quum sacratissimum Cor Jesu pars quaedam humanitatis Christi sit, ejus cultus ex principio dogmatico licitus censeri debet. Argumentis, quibus adversarii utebantur, omnis alius cultus, quo directe non totus Christus respiciatur, sed vel humana ejus natura, vel aliquid ad eam pertinens, puta quinque ejus vulnera, vel pretiosissimus ejus sanguis, ut illicitus reiicitur. Hi ignorantiâ potissimum vel neglectu distinctionis inter obiectum materiale proximum et directum hinc, et obiectum materiale remotum et indirectum inde, in errorem ducti sunt. Hanc enim distinctionem si prae oculis habuissent, profecto intellexissent, tum quoque totum Christum obiectum cultus et adorationis esse, quum Christi fideles non totum directe, sed vel humanam ejus naturam vel aliquam hujus naturae partem cultum praestantes respiciunt. Partem nempe directe et proxime colentes indirecte et remote totum colunt, quum cultus directus partis natura sua in hac non sistat, sed ad totum necessario referatur, ideoque sit cultus indirectus totius. Sic qui Cor ss. Jesu colit, is directe quidem et proxime hoc ipsum Cor adorat, verum in eo atque adeo remote et indirecte totum Christum adorat, quia ejus adoratio spectat ad Cor tamquam partem aliquam humanae naturae Verbo hypostatice unitae non autem tamquam ad aliquid per se et realiter separatum existens (1). Sed de hac re iam in specie.

ARTICULUS III.

De cultu sanctissimi Cordis Jesu.

500. Prop. 71. **Cultus sanctissimi Cordis Jesu prout ab apostolica Sede probatus est, cultus scilicet, cuius obiectum materiale est Cor animatum Deo Verbo hypostatice unitum, ut est symbolum amoris totiusque internae vitae Dei-hominis, non probandus solum, sed etiam omnibus commendandus est.**

Declar. Adversarii huius cultus (2) extiterunt praecipue Jansenistae quibus nonnulli catholici adstipulati sunt. Illum primo

(1) Cf. Stentrup th. 44.
(2) Cultus hic *publicus* et *solemnis* B. Margarithae Alacoque († 1690).

calumniati sunt, ac si catholici Cor Jesu veluti avulsum a persona Verbi ac proinde puram creaturam adorarent, deinde, cum nihilominus Congregatio Rituum illum tueretur, *obiectum ejus pervertere* conati sunt; ac si a Congregatione non ipsum Cor naturale, sed tantummodo cor metaphoricum i. e. amor Christi cultui propositum fuisset. Contra hos declaranda et vindicanda est doctrina catholica de obiecto hujus cultus deque genuina, quae ab eo pendet, ejus indole.

Itaque 1.° *Obiectum formale* huius cultus non differt ab obiecto formali eius cultus, cuius terminus est totus Christus, est nempe divinitas personae humanam naturam et in humana natura cor habentis, quum ea sola adorationis latreuticae formale obiectum esse possit.

2.° *Obiectum hujus cultus materiale,* de quo est nobis potissimum sermo, *est ipsum Cor verum et carneum Domini nostri,* quod ut obiectum partiale directe in se adoratur, non autem propter se, sed propter divinitatem, quacum hypostatice unitum est, et a qua nunquam avulsum concipi debet. Constat hoc tum ex revelatione beatae Margaritae M. Alacoque facta, in qua Cor vivum et proprie dictum Christus detexit et colendum ipsi monstravit, tum ex damnatione prop. 63. Pistoriensium: « Item in eo, quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine (synodus) arguit, quod non advertant, sanctissimam carnem Christi aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae, quasi fideles Cor Jesu adorarent *cum separatione* vel *praecisione a divinitate,* dum illud adorant ut est *Cor Jesu, cor* nempe *personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro,* — *captiosa,* in fideles Cordis Jesu cultores *iniuriosa;* » denique ex officio ss. Cordis Jesu breviario Romano comprehenso et ex Brevi beatifi-

originem debet, ut in Brevi eius beatificationis declarat S. P. Pius IX 19 Aug. 1864. « Publicum et solemnem » dico, nam quoad rem et privatim inde a prioribus saeculis non defuerunt huius cultus vestigia in sanctis viris, uti sunt s. Joannes Evangelista, ss. Augustinus, Bernardus, Franciscus Assisiensis, Bonaventura, Franciscus Salesius, et ss. virgines Gertrudes Islebensis, Catharina Senensis, Theresia, Maria Magdalena de Pazzis aliaeque.

cationis Margarithae Alacoque die 19. Aug. 1864 a Pio IX edito, in quo obiectum huius cultus exhibetur « Cor illud transfixum et vulneratum lancea...... cuius ex vulnere acqua et sanguis... effluxit. »

3.° Cor verum et proprie dictum Salvatoris *non simpliciter, sed ut est symbolum amoris internorumque affectuum ipsius,* velut obiectum huic cultui est propositum. Quae enim documenta huic cultui verum ac physicum Domini Cor obiectum adscribunt, eadem sat perspicue monstrant, eatenus illud obiectum cultus censeri debere, quatenus symbolice Domini amorem affectusque internos repraesentat (1). Et certe ratio aliqua assignanda est, ob quam Cor potius Domini, quam alia quaevis sanctissimae humanitatis ejus pars *obiectum sit manifestationis* Verbi incarnati, seu specialis cultus obiectum constituatur. Haec vero ratio continetur ea connexione, qua cor affectuum internorum, et amoris quidem maxime symbolum est naturale. Esse autem cor amoris symbolum naturale ut certum et exploratum haberi potest; vix ullum enim invenitur idioma, cui proprium non sit, vocabulum cordis adhibere ad denotandum amorem et ea omnia, quae nomine interioris vitae hominis complecti solemus; vix ullus est homo, qui, diversis appositis cordis vocabulo adiectis, internam sentiendi rationem hominum, propriam indolem ac velut notam appetitionum et affectuum ipsorum, significare et describere non soleat; ac rursus vix ullus est homo, cujus animo cordis aut nomen aut imago notionem amoris non iniiciat. Hujus rei explicationem frustra quaeres, ni cor amoris interiorumque affectuum symbolum, et quidem naturale esse ponas. « Naturale symbolum » dico; quod enim persuasione ac usu perpetuo, communi ac constante generis humani continetur, ejus principium ipsa natura est, atque adeo natura ipsa duce ac magistra hanc cordi rationem omnes homines tribuisse credendi sunt. Ratio vero ob quam cor amoris sit symbolum naturale repetenda est ex nexu obiectivo et reali, quo cor ad amorem eaque omnia refertur, quorum

---

(1) Documenta haec sunt: *Relatio* B. Margarithae Alacoque, *Memoriale* Episcoporum Poloniae a Clemente XIII concessionem officii et missae propriae in honorem ss. Cordis Jesu postulantium, *Decreta* S. Congregationis Rituum, *Epist.* Pii VI ad Scipionem Riccium (1781), *Constit.* « Auctorem fidei » Pii VI, *Breve* beatificationis B. Margharithae Alacoque Pii IX, *Breviarium* etc.

symbolum esse dicitur. Nemo enim ignorat, amorem ceterasque affectiones, ut inferioris partis sunt, immediate, ut autem superioris partis sunt, mediate in cor eo pacto agere ut hujus motus illis proportione aliqua respondeant, et non excitentur modo ab illis, verum ita quoque illis copulentur, ut quid unum propemodum cum illis constituere videantur. Sic gaudio, tristitiae, audaciae, desiderio, amori et odio, reliquisque omnibus animi motibus et manifestationibus multiplices cordis ipsius corporei motus et mutationes respondent (1). Haec vero intima relatio menti sane fundamentum praebet, quo nixa, cor non potest non apprehendere ut symbolum amoris et affectionum commemoratarum. Id autem, quum de corde universim dicendum est, de Corde Jesu a fortiori statui debet ob summam, quae inter partem superiorem et inferiorem humanae naturae Domini intercedebat harmoniam, qua fiebat, ut motus unius partis alterius motus nec impedirent nec retardarent, imo inferioris partis motus superiori parti ad nutum praesto essent. Quod plus est, Cor Jesu habendum praeterea symbolum ipsius divini amoris Verbi. Quum enim Cor sit personae non humanam tantum, sed divinam etiam

---

(1) Hujus obiectivae certissimae, quae Cordi est propria, connexionis cum universa interiori vita et speciatim cum amore, rationem physicam si quaeras, haec non consistit in eo quod cor organum, sedes, comprincipium sit vitae interioris ac maxime amoris. Amor enim primo et praecipue voluntatis est, virtutis scilicet natura sua ab intrinseco quovis organi concursu independentis. Nullum igitur ipsius organum assignari potest. Si vero de eo amore agitur, qui homini convenit, ut sensitiva vita is donatus est, quique affectus est inferiori eius parti proprius, cor eius organum esse ex sese quidem nihil repugnat, et reipsa esse vix aut ne vix quidem dixeris. Quamvis enim veteres, quum de hac re scriberent, cor amoris sensitivi organum fere censerent, recentes tamen rationum momentis haud parum firmis innixi contradicunt. Amoris scilicet ceterorumque affectuum, qui cum vita sensitiva cohaerent, organum non cor, sed nervos ganglionares esse non asserunt tantum, sed etiam demonstrant. Cum veritate proinde eorum opinio conspirare videtur, qui cor amoris organum esse universim et simpliciter negant.

Alii aliam indubiae huius connexionis proponunt explicationem. Passiones, motus atque affectus humani non ad solam animam pertinent, sed ad compositum humanum. Hinc in iisdem etiam varia organa organismi corporei insolito modo excitantur. Vigor autem organismi corporei imprimis a sanguine dependet; unde in illis affectibus, ut abundantius affluat sanguis, plane necessarium est. Hinc natura nostra ita constituta est, ut affectibus illis respondeat apta sanguinis distributio, et quum haec sit functio cordis, patet, quare adsit intima relatio inter cor hominis et affectus.

naturam habentis, personae adeo, cujus amor, ut est, non concipitur divino amore non concepto, hujus quoque necessario symbolum est. Videlicet sicut τοῦ esse hujus hominis Jesu velut fastigium est hypostasis divina Verbi, ita velut fastigium amoris ejus considerandus est amor divinus Verbi. Cor igitur, quod symbolum est amoris Jesu, imprimis amoris divini ipsius est symbolum.

4.° Hinc sequitur, *obiectum adaequatum* hujus cultus neque esse cor physicum per se et absolute sumptum, neque per se et seorsim Christi amorem, sed utrumque simul, videlicet *Cor physicum Deo Verbo hypostatice unitum, ut est symbolum totius amoris atque internae vitae Dei-hominis*, seu aliis verbis: *Christi Amorem, quatenus in ejus physico Corde significatur* (1). Amor in corde et indivisim cum eo, res signata cum signo, illa *praecipue* intenta, hoc *auxilio* ad illam, attamen utrumque directe et immediate constituit integrum cultus SS. Cordis Jesu obiectum (2).

501. Demonstr. Non modo probandus sed summopere commendandus est ille cultus: *a)* quem Ecclesia impense commendat. Huiusmodi autem est cultus ss. Cordis Jesu. Hunc enim Ecclesia tam *practice* quam *theoretice* promovet ac fovet, videlicet: *institutione festi* cum missa et officio proprio de ss. Corde; *indulgentiis*, quibus

(1) Patet ratione symboli obiecto materiali addita non formale adorationis obiectum significari (hoc enim verbis exprimitur indicantibus personalitatem divinam, cuius cor est, ut v. g. Christi Salvatoris, Verbi etc.), sed illud exhiberi, quod est velut forma obiecti materialis. Menti enim ista non sistit rationem formalem adorationis ss. Cordis, sed tantum rationem eidem contemplandam obiicit, ob quam cultus latreuticus aliunde (quia est cor hypostatice unitum Verbo) debitus, huic parti humanitatis Christi potius quam alteri exhibeatur. Symbolicitas itaque, quae Cordi Jesu competit, obiectum materiale integrat cultumque terminat non minus imo praecipue, quam illud, et ex utroque elemento unum exurgit obiectum materiale adaequatum.

(2) Cor symbolicum non denotat idem quam cor improprie et metaphorice acceptum, seu cor tropicum et figuratum, quum illud significet cor physicum cum adsignificatione rationis symbolicae ei prae alio convenientis, hoc vero sit tantum ipse, per se, amor Christi. Unde hoc sensu dici quidem potest, obiectum adaequatum huius cultus esse *cor symbolicum Christi*, ita ut in hoc symbolo utrumque extremum contineatur et cor physicum ut signans et cor figuratum ut signatum, numquam vero simpliciter, obiectum huius cultus esse *cor figuratum* seu *metaphoricum*.

Hinc liquet etiam, adorare et amare Christi amorem nihil aliud esse quam adorare et amare Christi divinitatem et humanitatem pro nobis agentem et patientem.

fideles ad illum alliciantur; *approbatione congregationum* in ss. Cordis honorem institutarum; *damnatione propositionum* synodi pistoriensis 62 et 63, quarum illa ita sonat: « Doctrina, quae devotionem erga ss. Cor Jesu reiicit inter devotiones, quas notat (synodus illa) velut novas, erroneas aut saltem periculosas, intellecta de *hac devotione,* qualis est ab apostolica sede probata: *falsa, temeraria, perniciosa,* piarum aurium offensiva, in apostolicam sedem iniuriosa. » — *b)* Cuius obiectum non est singulare aliquod mysterium *θεανθρώπου,* sed ipsum potius omnium ad eum pertinentium mysteriorum principium (1). Sed talis est cultus ss. Cordis Jesu. Eius enim obiectum praecipuum est Amor Dei in homines. Quem enim latet, quidquid Christus ab incarnatione ad extremum vitae exitum, imo ad eius in coelum ascensum usque egit et passus est, id totum ex amore profluxisse? Quem latet, quidquid est gratiarum sive omnibus communium sive

---

(1) Cum hoc convenit responsum s. Congregationis Rit. (a. 1821) ad quaedam Quaesita quoad festum ss. Cordis Jesu: « Sacri Cordis Jesu festum non versatur circa peculiare mysterium, cuius specialis solemnis commemoratio facta non fuerit in statutis ab Ecclesia diebus; sed est compendium aliarum festivitatum, in quibus diversa celebrantur mysteria, et memoria recolitur immensae illius caritatis, qua Verbum caro factum est.... sacramentum altaris instituit etc. Gardellini, *Decreta,* t. III p. 4549. — Hinc liquet, in quo differat devotio ss. Cordis a devotionibus v. g. passionis, quinque vulnerum, pretiosissimi sanguinis etc. In omnibus colitur aliqua pars humanitatis Christi coniunctae cum Verbo vel deiviriles actiones et passiones, sed diversum est obiectum *manifestationis.* Sic v. g. coluntur vulnera Christi et propter vulnera coluntur pedes, manus, latus Redemptoris, quae ea praecise ratione prae ceteris partibus cultu speciali digniora habentur, quia dolores speciales pro salute nostra passa sunt et plagis illis veluti quodam illustriori amoris charactere insignita sunt. Colitur Cor Jesu propter vulnera longe plura et longe acerbiora, quibus non per paucas horas, ut pedes et manus; sed toto vitae tempore ob peccata nostra confossum et crudelissime transfixum est; vulnera dico interiora tristitiae, timoris, angoris ac taedii, qui dolores ex incendio amoris, quo idem sacrum Cor ardebat, in immensum tempore passionis crevere.

In illis itaque devotionibus manifestatur Verbum incarnatum et colitur in sua vita et passione exteriori, in hac manifestatur et colitur in sua vita et passione interiori praesertim in amore suo erga homines inexhausto, qui amor omnium eius vitae exterioris mysteriorum principium est et forma, unde hic cultus alias devotiones, quae ad Christum pertinent, in se veluti complectitur.

Cum autem amor, formaliter ut amor, non aliter aptius colatur, quam amore repenso, nec aliter gravius et magis directe offendatur, quam ingrato animo illius, qui amatur; hinc obsequia ad ss. Cor Jesu colendum aptissima sunt actus amoris, iique ad tot illas ingratorum hominum obliviones iniuriasque reparandas, quibus tantum amorem, in eius praesertim eucharistico mysterio, quotidie lacessunt.

singulis quibusque propriarum, quidquid est bonorum, quibus vel totum genus humanum vel singula eius membra cumulantur, ipsumque sui ipsius in altaris mysterio ineffabile donum, id ex amore isto derivatum esse? — *c)* Quo sponte velut sua adducimur, ut iis faciamus satis, quae iniungit nobis Christus dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde,* quaeque Paulus adhortans Philippenses (2, 5) scribit: *Τοῦτο γὰρ φρονείσθω ἐν ὑμῖν ὃ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Atqui nemo non videt, id omnino de cultu ss. Cordis Salvatoris nostri esse dicendum. Quum enim ss. Cor hoc symbolum sit amoris ac totius interioris vitae Domini nostri, simul exemplar vita nostra exprimendum repraesentat, atque voluntatem excitat et inflammat, ut quod mente conspectum est, id opere ipso compleatur. — *d)* Quo fit, ut moveamur ad condolescendum Salvatori nostro ob neglectum et oblivionem, cui traditur ab hominibus immensus eius in eos amor, et ad expiandas iniurias, et quoad eius fieri potest, honoribus debitis compensandas, quibus potissimum in ss. Eucharistiae sacramento lacessitur. — *e)* Cuius denique plane laetissimi sunt ubique locorum fructus pietatis et sanctitatis; si quidem ex fructibus licet dignoscere arborem.

ARTICULUS IV.

De sanctitate animae Christi.

502. De gratia agitur, quae ex unione hypostatica in Christi redundavit humanitatem, nam Christum, quatenus significat totum compositum theandricum (Deum-hominem), ob inclusam divinitatem esse ipsam substantialem sanctitatem, tam certum est quam ipsum esse verum Deum. Certum est etiam generatim Christum, quatenus homo est, esse sanctum; nam *talis decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* (Hebr. 8, 26). Hic potius quaeritur, quo Christus, ut homo, fuerit sanctus: de qua quaestione ex communi theologorum sententia haec statuenda sunt:

1. *Ipsa Christi humanitas sancta est substantialiter ipsa sanctitate increata Verbi.*

Nam *a)* sanctitas in creaturis consistit in participatione quadam divinitatis, qua Deus cum justis unionem init accidentalem ex speciali amicitia profectam; at unione hypostatica per se et

substantialiter humanae naturae Christi ipsa communicata est sanctitas divina, non ita quidem, ut natura humana sit ipsa sanctitas divina, sed ita, ut ipsa Persona Verbi per semetipsam humanae naturae unita substantialiter eam perficiat et cum ipsa unum ens unamque substantiam vere componat. — *b)* Hypostasi Verbi ad naturam humanam infinita substantiali perfectione accedente, haec redditur necessario grata Deo, excluditur ab ea peccatum peccandique potentia, atque iure ad beatitudinem gloriamque supernaturalem donatur (1). Atqui haec ipsa tria sunt, quae includit sanctitas: ergo haec ab unione hypostatica avelli nequit. Ergo humanitas, praecisione etiam facta a gratia habituali, sanctificata est sanctitate essentiali ipsius Verbi. — *c) Unctio* ex divinis litteris (2) gratiam significat et sanctificationem, imo Christi nomen, utpote ab unctione derivatum, unctionem κατ᾽ ἐξοχήν in eo esse agnoscendam, demonstrat. Atqui ex testimoniis Patrum certo constat, unctionem in homine Christo ipsam Divinitatem fuisse: ergo juxta hos sanctificatio humanae naturae a gratia unionis hypostaticae formaliter repetenda est. Gregorius Naz.: « Patrem veri illius et genuini Christi, hunc exultationis oleo prae consortibus suis perfudisse dicit, quum humanitatem Divinitate ungeret, ut faceret utraque unum; » et alibi varia enarrans nomina, quibus Scriptura Salvatorem designat, ait: « Christus propter divinitatem; ea enim humanitatis unctio est, non operatione, ut in aliis christis, sed totius unguenti praesentia sanctificans, cuius hic effectus est, ut quod ungit, homo vocetur, et quod ungitur Deus fiat (3).

---

(1) Et haec est causa, cur natura humana *sancta* sanctitate Verbi dici possit, non vero *immensa*, *omnipotens* etc. Scilicet cetera attributa formaliter communicari humanae naturae non possunt, quin formaliter humanae naturae inhaereant, et adeo quin formae eius inhaerentes sint; sanctitas contra humanae naturae communicatur communicata hypostasi Verbi, qua tali. Huius enim ad naturam humanam accessione, infinita ad eam accedit perfectio, ita ut Christus in ratione hominis completus sit per infinitam substantialem perfectionem Verbi, qua ut diximus sanctus efficitur. Itaque ipsa subsistentia communicata communicatur sanctitas, ideoque natura humana habens subsistentiam habet sanctitatem, seu quod eodem reddit, sanctitatem non possidet velut attributum inhaerens, sed eum possidet unione hypostatica.

(2) Cf. 2. Cor. 21, 22; I. Jo. 2, 20. 27; Luc. 4, 18; Ps. 44, 8; Act. 4. 27 et 10, 38.

(3) *Or.* 10 et 30. Cf. et Damascenum *de fide orth.* l. 3. c. 3; Augustinum *de Trin.* l. 15. c. 26; Cyrillum Alex. *in Jo.* l. 11. c. 10. — Ex his colligitur, sanctitatem, quae per unionem hypostaticam humanae Christi na-

503. 2. Praeter hanc sanctificationem substantivam, quae ipsâ gratià unionis hypostaticae constituitur, *humana Christi natura sanctificata etiam fuit sanctitate accidentali, quae est per gratiam habitualem et multiplicia dona ei nexa.*

Hanc assertionem theologi dicunt ita certam, ut eam negare *temerarium* foret. Gratia unionis hypostaticae formaliter humanitati Christi confert quidem sanctificationem infinitam in genere sanctificationis participatae, non tamen sanctificationem velut formam ei inhaerentem; ideoque confert omnem iustitiae et sanctitatis perfectionem *intensive* quidem, minime vero *extensive*, ac nominatim per se et formaliter eam sanctificationem nequaquam communicat, quae in homine sancto et justo necessaria est, ut omni ex parte in ordine ad beatitudinem et rectam operationem bene affectus et praeparatus sit. Nam unio hypostatica per se et formaliter naturae tantum dignitatem personalem tribuit, non vero intrinsecam illam pulchritudinem et formalem deiformitatem, quae ex gratia habituali oritur, aut proximam istam facultatem et propensionem bene operandi, quam virtutes infusae donant. Neque dicas, hypostasim Verbi, quandoquidem per se ipsam reddat formaliter gratam et sanctam humanam naturam, posse etiam omnem aliam dispositionem et affectionem ad sanctitatem perfectam pertinentem conferre. Etenim hypostasis Verbi humanam naturam formaliter gratam et sanctam reddit se ipsam eius hypostasim constituendo, non autem alium quemcumque effectum physicum in ea habendo. Atqui intrinseca illa formalis deiformi-

---

turae confertur, non ad animam tantum Christi sed ad eius etiam carnem pertinere, quamvis diversa paulisper ratione pro diverso modo capacitatis eius. Caro namque, ut praeclare notat Suarez, sanctificari non potest « ut capax essentialis gloriae aut amicitiae propriae, sed potest sanctificari, ut socia animae sanctae, et ut organum illi coniunctum, et ut essentialis pars humanitatis assumptae. Sic ergo sanctificata fuit per unionem caro Christi, quia ex vi illius digna est supremo cultu et reverentia. Secundo, quia purissima et mundissima effecta est, incapax omnis maculae, non solum culpae, sed etiam fomitis, et omnis inordinationis aut defectus, qui aliquam indecentiam includit; dicitur autem sanctum, quod est coram Deo purum et mundum, ut ex Scriptura constat. Tertio, quia specialiter fuit Deo consecrata vel potius quasi propria illius effecta; dicuntur autem maxime sancta, quae Deo coniunguntur eiusve cultui dicantur. Quarto, quia ex vi unionis debetur illi coniunctio cum anima sancta et beata, et ipsa beatitudo, quantum illius potest esse capax; unde speciale miraculum fuit, ad tempus illa privari propter homines. Quinto denique, quia non solum sancta, sed etiam sanctificatrix effecta est, ut Cyrillus dixit. »

tas et dispositio ac affectio intrinseca ad operandum spectans, quam diximus, dicit effectum aliquem physicum in natura humana ab eius cum Verbo unione hypostatica distinctum et diversum. Eam igitur Verbum se ipsum cum natura humana hypostatice uniendo neque confert neque conferre potest. Nimirum, si sola gratia unionis hypostaticae ac praeter eam nulla alia in humana Christi natura ponatur, hanc haberes quidem infinite sanctam et gratam Deo, nulla tamen inhaerente sanctitate et deiformitate ornatam.

Atque hoc praestituto, hujus assertionis demonstratio nullam patitur difficultatem. Illam damus verbis s. Thomae: « Dicendum, quod necesse est ponere in Christo gratiam habitualem propter tria: primo quidem propter unionem animae illius ad Verbum Dei. Quanto enim aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia ipsius. Influxus autem gratiae est a Deo, et ideo maxime fuit conveniens, ut anima illa reciperet influxum divinae gratiae; secundo propter nobilitatem illius animae, cujus operatione oportebat propinquissime attingere ad Deum per cognitionem et amorem, ad quod necesse est elevari rationalem creaturam per gratiam; tertio propter habitudinem ipsius Christi ad genus humanum. Christus enim, in quantum homo est mediator Dei et hominum, et ideo oportebat, quod haberet gratiam etiam in alios redundantem secundum illud Jo. 1. 16: *De plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia* » (1).

504. 3. *Una cum gratia habituali humanitati Christi omnes virtutes collatae fuerunt,* si illas solas excipias, quae aliquam imperfectionem personae ipsius, vel statui beatifico adversantem supponunt, ut fides, spes, et etiam poenitentia de peccatis propriis (2).

Hoc ita demonstrat s. Thomas: « Sicut gratia respicit essentiam animae, ita virtus respicit potentiam ejus. Unde oportet quod, sicut potentiae animae derivantur ab ejus essentia, ita

(1) 3. q. 7. a. 1.

(2) Spes, ut virtus theologica, quae pro obiecto haberet Deum ejusque fruitionem non erat in Christo, sed erat respectu aliquorum quae nondum adeptus erat, « puta immortalitatem et gloriam corporis, quam poterat sperare. » S. Th. 3. q. 7. a. 4.

virtutes sint quaedam derivationes gratiae. Quanto autem aliquod principium est perfectius, tanto magis imprimit suos effectus. Unde quum gratia Christi fuerit perfectissima, consequens est, quod ex ipsa processerint virtutes ad perficiendum singulas potentias animae, quantum ad omnes actus. Et ita Christus habuit omnes virtutes » (1). Porro gratiae habitualis et virtutum in Christo fuit *plenitudo* absolute summa sive intensione perfectionis, sive extensione ad omnes effectus. Plenitudo enim aliquando accipitur pro *abundantia*, ut in sanctis; aliquando sumitur *relative ad subiectum* seu officium, ut in B. Virgine, sed in Christo plenitudo attenditur *ex parte ipsius gratiae* ita ut in ipso fuerit summo, qui in praesenti rerum ordine concipi potest, gradu. Unde omnis gratia fuit in Christo tamquam in fonte, et causa universali, sicut aqua in mari, et lux in sole: in aliis autem solum per participationem ad illam (2).

Haec gratia quatenus ex ipso, tamquam principio et fonte inexhausto, in nos membra sua et palmites derivatur, vocatur *gratia capitis*. Sic eadem aqua et fontem implet et in rivum effluit. — Huiusmodi vero plenitudo collata fuit *ab initio incarnationis;* est enim connaturalis et perfectio debita, ratione ipsius unionis hypostaticae.

505. 4. Quoad elementum sanctitatis negativum, immunitatem nempe a peccato, *humana Christi natura erat absolute impeccabilis*.

Hic enim homo Christus propter unionem hypostaticam erat Deus, adeoque qui peccasset, fuisset ipsa persona divina. Praeterea in Christo principium supremum dirigens omnes humanae naturae actiones erat Verbum, quod sane eas non poterat non moderari ad normam summae sanctitatis et rectitudinis. Denique

---

(1) 3. p. q. 7. a. 2.

(2) Haec gratia si spectatur secundum *esse reale et inhaerens* nullo modo potest dici *infinita*. Potest vero dici *secundum quid* infinita, quia ob ordinem ad unionem hypostaticam id imprimis habuit, ut summa esset, quae in praesenti providentiae ordine esse potest; praeterea id nacta est, ut ordinari ad melius non potuerit, quam illud erat, ad quod ordinabatur; ac denique virtutem adepta est influendi in praestantissimos omnino effectus; vim enim ob illum habuit producendi actus infinite meritorios, non utique ita, ac si actus, ab ipsa gratia habituali infinitum valorem mutuati essent, sed quod efficienter a gratia habituali fierent actus, qui propter Verbum habens gratiam et operans per gratiam infinito valore praediti erant.

a peccato originali ideo etiam fuit immunis Christus, quod non per carnalem generationem ex viro, sed operante Spiritu s. ex Virgine ipse genitus sit (1).

506. SCHOLION. *De Christi libertate cum ejus impeccabilitate concilianda.* — In primis voluntatem Christi humanam liberum habuisse arbitrium, fidei *dogma* est, quod manifeste continetur revelatione. (Is. 7, 15): *Butirum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum;* (Jo. 7, 1): *Post haec autem ambulabat Jesus in Galileam; non enim volebat in Judaeam ambulare, quia quaerebant eum Judaei interficere;* (Matth. 27, 34): *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum. Et quum gustasset, noluit bibere.* Praesertim vero quoad passionem et mortem (Is. 53, 7): *Oblatus est, quia ipse voluit;* (Heb. 12, 2): *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet;* (Matt. 26, 53): *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?* (Jo. 10, 17. 18): *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso; et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Unde liquet fuisse in Christo vim eligendi, liberam potestatem moriendi et non moriendi, quod, praetermissa in re manifesta Patrum praedicatione, et ipsa ratione suadetur. Et certe libertas non modo est proprietas connaturalis hominis, sed etiam magna quaedam est eius perfectio. Atqui sicut Christus proprietates naturales hominis habet, ita eas nominatim habere credendus est, quibus verae perfectionis ratio convenit. Libertas praeterea perfectio est, quae competit hominibus tam in statu viae, quam in statu termini. Ergo in Christo quoque, qui viator simul et comprehensor erat, libertas agnoscenda est. Denique ex fidei catholicae praescripto Christus merito operum suorum genus humanum

---

(1) Caruisse Christum concupiscentiae *fomite* non solum ex defectu causae, peccati originalis scilicet colligitur, sed axiomatis instar erat non solum Patribus sed et haereticis arianis, apollinaristis, monotheletis, qui propterea negabant Christi vel animam, vel animam rationalem vel voluntatem, quod putarent, his semel admissis, Christum non fore prorsus immunem a quavis pugna interna. Augustinus: « Quisquis credit carnem Christi contra Spiritum concupisse, anathema sit. » *Op. imperf.* l. 4. n. 47.

reparavit. Jam vero meritum ex ejusdem fidei praescripto pendet a libertate, qua meritorium opus positum est. Ergo.

Haec Christi libertas per se apte componitur cum ejus impeccabilitate; impeccantia enim non tollit libertatem electionis simpliciter et quatenus est perfectio, sed solum excludit imperfectionem defectibilitatis, quae est in electione mala. Difficultas specialis oritur pro certis quibusdam actibus, qui ratione mandati divini boni ita erant, ut eorum omissio mala fuisset. Potissimum autem ea urget, quum quaestio habetur de passione et morte Christi (1), quum haec mandato Patris Christo iniuncta subeunda sic videri possit, ut eam vitare absque peccato Christus non valuerit. Ad explicandum modum, quo utraque veritas, libertas et impeccabilitas, ex ratione et revelatione certissima, inter se concilietur, in varias abierunt theologi sententias. Aliquot Thomistae statuunt, Christo a Patre praeceptum rigorosum datum esse, ut mortem appeteret, nihilominus vero ejus libertatem omnino subsistere. Quamvis enim, inquiunt, stante hoc praecepto de subeunda morte, seu in sensu composito, non potuerit passionem et mortem non subire, ejus tamen libertas salva est eo, quod in sensu diviso potuerit non mori. Imo eo ipso mortem Christi liberam asserunt, quia praecepta erat, quum Deus mortem praecipiendo Filio simul voluerit, ut illam subierit obediendo et merendo, quae non stant sine libertate. Pluribus tali explicatione videtur non tantum laedi, sed penitus auferri libertatem Domini in morte subeunda. Alii ut nodum hunc solvant putarunt, Christo non fuisse impositum moriendi praeceptum, alii verum praeceptum ipsi fuisse impositum circa substantiam mortis, non vero circa circumstantias ejusdem,

---

(1) Levior difficultas est in iis, quae lege naturali vel prohibita vel praecepta sunt. Quod enim ad legem naturalem *prohibentem* attinet, aut eo solum haec servatur, quod actus ipsa prohibitus omittitur, aut eo etiam, quod actus exseruntur prohibito oppositi. Priori modo Christus eam manifeste non libere, sed necessario servabat; hoc enim modo eam non servare idem est, quam peccare. Altero autem modo non necessario, sed libere eam observabat, quum hunc servandi modum lex nequaquam praecipiat. Quoad legem vero *praecipientem*, certum est, voluntatem Christi eam universim observandi, non liberam, sed necessariam fuisse; haec siquidem voluntas deficere sine peccato non potest. Verum certum etiam est, singulos plerosque actus, quibus Christus legem istam servabat, non necessarios, sed liberos fuisse, quia nempe eandem legem diverso modo et tempore observare possumus, ipsaque vix unquam singulares atque in individuo determinati actus praescribuntur.

et in his tantum eligendis fuisse liberum; alii tale, ut dispensationem, si vellet, impetrare potuisset. Omnium autem probabilissima haec explicatio videtur.

Quum Christus Dominus hinc mandatum ad subeundam mortem crucis a Patre accepisse, inde vero a semetipso posuisse animam dicatur, mandatum illud antecedenter ad liberam electionem et acceptationem Christi intelligi debet, non praeceptum rigorosum, sed beneplacitum Patris Christi Redemptoris voluntati ita propositum, ut alius etiam redemptionis modus Patri acceptus esset. Quemcumque vero modum Christus elegisset, semper redemptionem suscepisset ex obedientia; neque enim ad obedientiam requiritur praeceptum obligans sub peccato. Consequenter deinde ad praevisam Christi liberam electionem transiit divina voluntas antecedens conditionata in voluntatem consequentem absolutam, ut Christus *hoc modo* a se ex ardentissima caritate erga Deum Patrem et erga nos homines electo genus humanum redimeret.

Haec sententia non admodum ab illa differt a multis theologis adoptata, juxta quam Christo praeceptum iniunctum fuit, secundum determinationem *genericam* ut homines per mortem suam suique oblationem redimeret, non vero praeceptum determinans actus omnes in *specie*, h. e. secundum omnia motiva, quibus eliciendi essent, et secundum omnes gradus intentionis; multo minus adhuc determinans in *individuo* i. e. secundum adiuncta externa loci, temporis, modi aliorumque id genus plurium, et ea, a quibus ultimam suam specificam determinationem interni actus nanciscuntur (1).

ARTICULUS V.

De scientia in humano Christi intellectu.

507. Praeter scientiam increatam propriam Verbi, ut est Deus, fuit in humano Christi intellectu excellentissima ratione triplex scientia creata: scientia *visionis beatificae*, quae in clara Dei

---

(1) Cf. Franzelin th. XLIV et Stentrup th. 76, apud quos et difficultates solutas invenies.

visione consistit; scientia *per se et per accidens infusa* (1); scientia *acquisita* seu experimentalis, quae naturali facultatum exercitio comparatur.

508. 1. *Animam Christi donatam fuisse visione beatifica ab ipso suae existentiae exordio,* docent communiter theologi, qui nonnullorum recentiori aetate contrariam sententiam passim *temerariam* dicunt.

Sane Verbum caro factum seu Christus Jesus dicitur a Jo. 1, 14: *plenus gratiae et veritatis.* Plenitudo vero gratiae, quae Christo vi unionis hypostaticae competit, est summa et absoluta. Atqui gratia sine gloria seu visione beatifica non est perfecta et consummata, sed imperfecta et perficienda. Ergo gratia sine beatifica visione esse non potest gratia absolute plena. — Etiam veritatis plenitudo eadem ratione intelligenda est non relativa sed absoluta, hoc aperte confirmante etiam Paulo (ad Colos. 2, 3): *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Atqui ea sapientia et scientia esse absolute plena affirmari non potest, cui ultimum complementum deest, quaeque infinito propemodum discrimine ab illa distat, quae una merito perfecta censetur, scientia, dico, visionis beatificae. Et sane, auctore Paulo (1. Cor. 13, 8), scientia et cognitio, nisi ad visionem beatificam evecta sit, rudis est et inchoata, non autem plena et perfecta; puerilis est, non vero virilis. Unde si Christus scientia beatifica caruisset, non plenus veritatis, nec in eo thesauri sapientiae et scientiae Dei fuissent. Adde, quod fuisset peregrinus exul a Domino (2. Cor. 5, 6 sq.), quod asseri nequit de anima, quae per unionem hypostaticam Deo ita propinquius coniungebatur. Imo, quoniam ea erat Deo prae ceteris creaturis maxime propinqua, ideo etiam prae omnibus beatorum spiritibus perfectissima visione Dei fruebatur. — Quod et ratione theologica confirmari potest. Christus enim auctor salutis et vitae nostrae non tantum, qua Deus, sed etiam, qua homo, existimari debet, ideoque merito in ordine salutis supernaturalisque vitae principium esse affirmatur.

---

(1) Dicitur infusa *per se*, quae naturaliter nullo modo acquiri potest, ut cognitio futurorum liberorum, vel rerum pure spiritualium intelligentia notionibus propriis; infusa *per accidens*, si modus tantum acquirendi sit supernaturalis, ut notitia alicuius idiomatis, vel scientia philosophiae sine studio comparata.

Jam vero, quod in aliquo ordine principium est, id respectu eorum, prae quibus principium est, non est in potentia, sed in actu. Ergo Christus respectu totius ordinis salutis et vitae supernaturalis non in potentia est, sed in actu. Atqui non in actu, sed in potentia esset Christus, si visione beatifica careret. Quare hac carere numquam potuit, sed eadem instructus semper fuit, quum numquam non esset salutis et vitae principium. Qua visione cognoscebat in Verbo, praeter divinam essentiam omnia quae scientia visionis Deus cognoscit praeterita, praesentia et futura, itemque omnia quae sunt in potentiis creaturarum, licet numquam ad actum reducenda, quia Christus, etiam ut homo, quum omnium creaturarum sit Dominus, et constitutus iudex vivorum et mortuorum, omnia quae spectant ad suum statum cognoscere debet. Non tamen anima Christi, utpote finita cognoscit omnia possibilia seu quae Deus scientia intelligentiae cognoscit, neque tanta claritate, qua Deus, multo minus ad perfectam Dei comprehensionem pertingere potest.

Ab ipso itaque incarnationis exordio erat Christus, ob visionem beatificam in statu *comprehensorum.* Sed sub alio respectu, quod eius anima manebat adhuc passibilis, corpusque pariter passibile et mortale, Christus erat simul in statu *viatoris.* Ex utriusque status coniunctione summum gaudium in Christo ex visione beatifica consequebatur, et maxima animi *tristitia et desolatio.* Quomodo id fieri potuerit, quamquam plene a nobis intelligi nequit, qui ipsam *unionem hypostaticam* plene haud intelligimus, tamen hoc absolute non repugnare certum est. Nam repugnat quidem, ut de eodem obiecto sub eodem respectu et ex eodem motivo simul habeatur gaudium et tristitia; minime vero, ut de diversis obiectis et ex diversa ratione; sic in eodem homine eodem tempore de recuperata sanitate potest esse gaudium, et de ablata pecunia tristitia. Quod si dicas gaudium beatificum quamlibet de quolibet obiecto excludere tristitiam, respondetur, hoc de lege quidem ordinaria valere, non vero de supernaturali dispensatione, qua Deus per miraculum vim talis gaudii ita in anima cohibere potuit, ut ipsam tristitiae affectionem percipiat (1).

---

(1) « Virtute divinitatis Christi dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabatur ad corpus, ne eius passibilitas et mortalitas tol-

509. 2. Christus insuper a primo conceptionis instanti habuit scientiam *tam per se quam per accidens infusam.*

Christo enim ut homini omnes adscribendae sunt perfectiones, quae in aliis communiter creaturis inveniuntur, nisi particularis in istis appareat imperfectio, quae Verbum incarnatum dedeceat. Atqui talis scientia in se est perfectio, eamque habent angeli (vespertinam) coniunctam cum visione beatifica alterius speciei (matutina), nec Redemptoris officio adversatur. Ergo Christo tribuenda est etiam haec altera scientia, quae fuit per impressionem idearum seu per effectam a Deo assimilationem intentionalem, ut dicunt, ad ipsa obiecta cognoscenda. Hac scientia Christus non tantum omnia naturalia, sed etiam omnia supernaturalia, i. e. omnes actus liberos hominum et angelorum, cogitationes et secreta cordium, mysteria fidei perspecta habuit.

Dices: Christus legitur didicisse obedientiam, interrogasse alios, miratus esse fidem Centurionis etc.; nescire diem iudicii etc.

Resp. ad 1.um Didicit scientia experimentali postea acquisita, quae scientiam infusam non excludit. — Ad 2.um Interrogabat quidem, non ut ab aliis quidpiam disceret, sed ut ipsi suas cogitationes alii aperirent, et ipse alios docendi occasionem haberet. — Ad 3.um Miratus est ad obiectum, secundum scientiam experimentalem, novum et insolitum, licet secundum infusam praevisum, sicut turbavit se ob Lazari mortem, quam multo ante cognoverat. Ita Centurionis fidem et civium suorum pervicaciam miratus est, ut illam laude, hanc execratione dignam ostenderet. — Ad 4.um Nescit prout est Caput Ecclesiae et paternorum suorum secretorum administer, non autem absolute. Eodem modo regum legati plura se nescire profitentur, quae manifestare non expedit.

510. 3. Habuit etiam *scientiam acquisitam* seu *experimentalem.*

Christus enim habuit humanam naturam, naturales facultates, connaturales operationes; nisi ergo illas plane inertes fuisse asserere velimus, quod monotheletismum vel docetismum saperet, illarum exercitio eam quoque acquisivit cognitionem, quae eiusmo-

---

leretur; et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non derivabatur ad vires sensibiles, ne per hoc dolor sensibilis excluderetur. » S. Thomas 3. q. 15 a. 5. Ex eadem dispensatione etiam tristitia in Christi mente repetenda est.

di operationibus est connaturalis. Haec ei gradatim advenit, quamquam etiam secundum hanc Christus nihil unquam ignoravit eorum, quae pro loco et tempore cum tali scientia cognoscere debebat. Unde illud Luc. 2, 52: *Jesus proficiebat sapientia aetate et gratia apud Deum et homines*, duplici modo, praeeuntibus Patribus, potest intelligi: 1.° de vero profectu scientiae acquisitae, quatenus crevit non cognitionis *obiectum*, sed *modus* cognitionis incipiendo per propriam experientiam gradatim cognoscere, quod per infusam iam noverat; 2.° de manifestatione successiva scientiae et de ostensione secundum effectus, sicut lux solis crescere dicitur ab ortu ad meridiem, per opera nimirum excellentiora et signa progressui aetatis proportionata.

Christus itaque non tantum omnia cognoscebat, sed omni etiam modo quo sunt cognoscibilia. Per scientiam acquisitam cognoscebat humano modo, per infusam modo angelico, per beatam modo divino.

511. Scholion. *De Christi potentia* certum imprimis est, fuisse in Christo, potentiam divinam, quae illi convenit, quatenus Deus est; potentiam humanam, quae illi convenit, quatenus homo est, et communis est illi cum aliis hominibus; et potentiam quandam mirificam secundum humanitatem, quae illi ob unionem hypostaticam concessa a Deo fuit ad stupenda et supernaturalia opera efficienda, et de hac potentia hic agitur. Certum est etiam, humanitatem Christi per hanc postremam potentiam non fuisse causam principalem miraculorum neque gratiae; haec enim solus Deus esse potest, sed tantum instrumentum animatum et coniunctum. Disputant vero theologi, utrum talis potentia influxu physico ad opera miraculosa concurrerit, an moraliter tantum. Hoc postremum omnes concedunt, sed graves theologi et primum defendunt. Cf. Becanum *de Incarn.* c. 10; Stentrup th. 85.

Sectio II.

DE REDEMPTIONE.

512. Considerato Verbo Incarnato *in se,* considerandus jam est *finis* ipsius incarnationis, qui, praesupposito fine ultimo in gloria Dei contento, nullus alius est, quam *redemptio generis humani.* Est enim in revelatione apertissimum, illudque totius oeconomiae supernaturalis divinae circa genus humanum centrum, quod *venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat* (Luc. 19, 10), et, sicut profitemur in symbolo, quod *propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis* (1).

---

(1) Hoc posito, quaeri solent duo: 1.° *Utrum ad hunc finem necessaria fuerit incarnatio?* Loquimur de necessitate ex parte Dei, nam quod ex parte hominis fuerit necessaria redemptio seu quod propriis viribus non potuerit a lapsu resurgere et a captivitate liberari, diserte docet Trident. sess. 6, cap. 1, et est ipsi rationi evidens. Itaque *a) incarnatio non fuit absolute necessaria ex parte Dei, seu Deus ad incarnationem non tenebatur,* nam revelatio eam exhibet ut opus praecipuum divinae misericordiae et caritatis (Cf. Rom. 5, 8; Tit. 2, 11; Jo. 4, 9). Unde Augustinus *de nat. et grat.* c. 5: « Universa massa poenas debet; et si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur... quis igitur adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiae, quos voluit liberantis, qui recte nullo modo posset culpare justitiam universos omnino damnantis? »

b) Neque absolute necessaria fuit in hypothesi, quod Deus voluerit humanum genus lapsum reparare; praesto enim Deo erant aliae generi humano succurrendi viae. « Sunt autem stulti, ait Augustinus *de agone chris.* n. 12, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei hominem liberare, nisi susciperet hominem et nasceretur ex femina, et a peccatoribus omnia illa pateretur! Quibus dicimus: Poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestrae stultitiae displiceret. »

c) Necessaria fuit incarnatio in hypothesi, quod Deus condignam satisfactionem pro peccatis postulabat. Neque enim purus Deus, nec pura creatura potuisset aequalem et adaequatam satisfactionem praestare. Non Deus, quia satisfactio pro offensa requirit aliquam subiectionem; at Deus non habet, cui se subiiciat. Nec creatura, quia sicut offensa fuit infinita, ita satisfactio debuit esse infinita, quae a pura creatura fieri non potest. Opus ergo fuit unione hypostatica, per quam natura creata uniretur personae divinae. Sic enim, ratione naturae creatae poterat esse subiectio; et ratione personae divinae, infinitus valor in subiiciente et satisfaciente.

513. Finis hic *re* quidem unus, *virtute* tamen est *multiplex.* Ad salutem enim peccato amissam recuperandam vulneraque ab ipso inflicta sananda indigebant homines, *inimici* Deo, cum ipso *reconciliari; coeci,* doctrina *illuminari; debiles,* novae legis institutione *firmari.* Huic fini respondet munus *Mediatoris,* quo Verbum incarnatum functum est: *Unus Mediator Dei et hominum Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* (1. Tim. 2, 5 sq.)

Et sane *mediator* ille dicitur, qui inter duos pluresve medius constituitur ad eos coniungendos et conciliandos. Ad ejus proinde rationem pertinet, ut cum iis, quorum mediator est, coniunctionem aliquam habeat. Si vinculum hoc unionis est ipsa natura seu proprietas naturalis, mediator vocatur *naturalis,* si vinculum est operatio et officium, dicitur mediator *moralis.*

Haec mediatio moralis quatuor modis fieri potest: 1.° Discernendo et judicando causam utriusque partis, quo pacto arbitri possunt dici mediatores; 2.° referendo hinc inde pacta et conditiones utriusque partis, quo sensu omnes internuncii possunt dici mediatores; 3.° orando et supplicando uni parti pro altera; 4.° solvendo et satisfaciendo uni parti pro altera. Tribus prioribus modis alii cum Christo esse possunt nostri mediatores ad Deum; sed ultimo proprie solus est Christus.

Christum fuisse naturalem mediatorem, utpote naturam divinam et humanam in se copulantem, constat ex priori sectione. Haec mediatio naturalis, soli Christo propria, juxta Patrum do-

---

Modus vero iste redimendi genus humanum per incarnationem et passionem fuit prae ceteris convenientissimus. Multi et solliciti sunt Patres in assignandis hujus convenientiae rationibus, quas omnes tum ex parte Dei, tum ex parte hominis, tum quoad substantiam, tum quoad circumstantias incarnationis et redemptionis complexus est s. Thomas 3. q. 1. art. 1. 2. et sq. (Cf. etiam Stentrup *Soteriologia* th. 5).

Quaeritur 2.°: *Utrum facta fuisset incarnatio, etiamsi homo, nullo peccato admisso, non foret salvandus?* Alexander Alensis, Albertus M., Scotus aliique, quos citat et sequitur Suarez, docent, incarnationem decretam fuisse propter excellentiam mysterii ipsius et gloriam Christi, remedium vero peccati fuisse motivum decernendae incarnationis in carne passibili et mortali, ita ut Christus ante praescientiam peccati Adami praedestinatus fuerit Deus-homo, post illam vero, passibilis, mortalis, Redemptor. — Negant longe plures cum s. Thoma, eo quod incarnationis nullum aliud motivum Scriptura assignat, quam salutem animarum.

ctrinam, est fundamentum ipsius mediationis moralis, qua Christus genus humanum reparavit, de qua nobis hic est sermo. Haec porro fuit in Christo perfectissima, nam illam omnibus, quos supra recensuimus, modis et excellenti plane ratione exercuit: mediationem per *supplicationem* et melius per *satisfactionem* qua *Sacerdos,* per crucis sacrificium pretii solutione homines Deo reconcilians; mediationem per *internuncium* qua *Propheta,* eos divitus erudiens; mediationem per *arbitratum* qua *Rex,* eos in sua Ecclesia regens ac gubernans.

Mediatoris itaque munus *re* quidem unum, reconciliationis nempe, *virtute* tamen triplex fuit: *sacerdotale, propheticum* et *regium* (1).

Cum vero quae Christi munus propheticum et regium respiciunt nulli controversiae subiaceant (2), et tota difficultas sicut

---

(1) Haec omnia nomine *Jesu Christi* exprimuntur. *Jesus* enim, seu salvator, indicat missionem generalem *salvum faciendi populum a peccatis eorum* (Matth. 1, 21); *Christus,* i. e. *unctus,* significat triplex munus speciale *Sacerdotis, Prophetae* et *Regis,* cum haec munera per unctionem conferri consueverint (cf. Lev. 8, 12; 3. Reg. 19, 15).

(2) De his quid tenendum sit, paucis accipe. *De munere prophetico.* Strictiori sensu *Propheta* dicitur ille, cui speciali providentia munus committitur, ut populum doceat, divinumque cultum collapsum restauret, atque adeo in hunc finem facultas praedicendi futura et miracula patrandi conceditur. Christum totam vitam suam verbis et exemplis, doctrinae praedicatione et omnium virtutum exercitio, et insuper institutione religionis et magisterii perpetuo duraturi excellentissimo modo *munere prophetico* functum esse adeo historia evangelica elucet, ut ipse populus hoc palam profiteretur: *Quia hic est Propheta, qui venturus est in mundum* (Jo. 6, 14). Unde Catechismus Romanus P. 1. a. 2. n. 11: « Itaque J. C. summus propheta et magister fuit, qui nos Dei voluntatem docuit, et a cujus doctrina orbis terrarum Patris coelestis cognitionem accepit: quod ei nomen praeclarius, ac praestantius convenit, quod omnes quicumque prophaetae nomine dignati sunt, ejus discipuli fuerunt, atque ob illam praecipue causam missi, ut prophetam hunc, qui ad salvandos omnes venturus erat, praenuntiarent. » De hac re seu de doctrina et exemplo Christi legantur et perpendantur attente quae egregie disserit s. Thomas 3. q. 27–59.

De munere regio. 1.º Christus quatenus Deus est rex regum et Dominus dominantium. 2.º Christus quatenus homo est rex spiritualis seu Monarcha totius Ecclesiae, et data ei fuit potestas aeterna quae non auferetur. Qua potestate usus est, quando Ecclesiam fundavit, quando sacramenta instituit, quando leges ecclesiasticas sancivit, quando Apostolos ordinavit et ad praedicandum Evangelium misit. Hoc sensu Christus est caput Ecclesiae. Sed est etiam caput Ecclesiae sensu pressiori ex metaphora capitis naturalis. In hoc considerari potest *praestantia, gubernatio* aliorum sensuum et *influxus* in

essentia redemptionis versetur circa illam mediationem, quae *munere Christi sacerdotali* continetur, ad hoc disputationem nostram restringentes disseremus 1.° de Christi sacerdotio; 2.° de sacrificii notione; 3.° de sacrificii Christi in ara crucis; 4.° de ejusdem fructu respectu nostri.

ARTICULUS I.

De Christi sacerdotio.

514. Prop. 72. **Christus veri nominis sacerdos et quidem praestantissimus per ipsam incarnationem constitutus est.**

Declar. Sacerdos definiri potest: Homo divinitus constitutus mediator inter Deum et homines ad hoc, ut homines Deo reconciliet, sacrificium offerat, aliaque mysteria divina dispenset. *Omnis namque pontifex*, ait Paulus, *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (Hebr. 5, 1). Sacerdos est mediator ut oret pro populo (1), ut legem divinam ei annuntiet (2), sed praecipue ut sacrificet. Offerre enim sacrificium est ita sacerdoti proprium, ut ipsi soli conveniat, imo conveniat essentialiter; ita ut *sacerdos* necessario sit *sacrificator*. Christus omnia sacerdotis officia in vita sua exercuit, praesertim vero illud omnium maximum et nobilissimum quo se ipsum in ara crucis obtulit Deo hostiam immaculatam. Per sacerdotium suum praecipue vero per crucis sacrificium Christus munere mediationis et reconciliationis inter Deum et homines functus est. Est contra Socinianos, quorum de Christi redemptione et sacerdotio doctrina haec est: Chri-

---

ceteras corporis partes. Sub triplici hoc respectu Christus est caput corporis mystici, quod est Ecclesia. 3.° Cohaeret cum his qualitas judicis vivorum et mortuorum, quae Christo ut homini competit. 4.° Controvertitur, utrum Christo convenerit potestas regia in ordine temporali. Certum tamen est, illam exercere noluisse, quia aliam elegit viam redimendi genus humanum, videlicet viam paupertatis et humilitatis, passionis ac mortis. Cf. de his fuse disputantem Stentrup a th. 137–173.

(1) *Rogabit pro iis sacerdos, et pro peccato ejus, et dimittetur ei* (Lev. 4, 26).

(2) *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore eius* (Malach. 2, 7).

stum *praeconio, consilio, exemplo* dumtaxat, non pretii solutione nos redemisse; ipsum solummodo post suam in coelum ascensionem constitutum fuisse sacerdotem, ejusque sacrificium contineri apparitione ejusdem coram Deo pro nobis, per ingressum in coelum; Christi vero mortem fuisse tantum praeparationem victimae Deo pro peccatis nostris in coelo offerendae, non ipsum sacrificium, quod in terris Christus obtulerit. Thesis generatim accepta pertinet ad *fidem catholicam,* quam conc. Trident. asseruit sess. 22. c. 1. et sq.

515. Demonstr. i. p. Hoc data opera demonstrat Paulus epist. ad Hebr. a c. 5 ad 10 usque, in qua Christum saepe vocat *Sacerdotem magnum, Sacerdotem in aeternum secundum ordinem Melchisedech, Pontificem confessionis nostrae;* hoc colligitur ex 2 parte et ex veritate sacrificii ab ipso oblati.

516. Demonstr. ii. p. *Praestantiam* sacerdotii Christi Paulus l. c. pluribus demonstrat: *a)* ex sacerdotii Christi *typo,* qui est *Melchisedech;* Melchisedech enim, utpote praecellens ipsi Abrahamo, praecellebat etiam omnibus sacerdotibus leviticis ab Abrahamo originem ducturis (Hebr. 7, 1. sq.); *b)* ex *abrogatione* sacerdotii levitici per sacerdotium Christi (ib. v. 11 — 19); *c)* ex *juramento,* quo Christus constitutus fuit sacerdos (ib. v. 20); *d)* ex *aeternitate* sacerdotii Christi, qui *eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium* (ib. v. 24); *e)* ex *sanctitate* sive creata sive increata ipsius Christi (ib. v. 26, 27, 28. coll. ad 5, 5); *f)* ex *dignitate ipsius victimae,* quae non alia est quam ipse Dominus (ib. 9, 12); *g)* ex hujus victimae *efficacia,* quae non modo emundat carnem, sed *sanctificat* spiritum, quaeque *semel* oblata *consummavit in aeternum sanctificatos* (ib. 9, 13 sq.; 16, 4 sq.)

517. Demonstr. iii. p. Christum in ipsa incarnatione fuisse constitutum Sacerdotem, non vero, ut opinantur Sociniani, post suum in coelum ingressum, patet *a)* ex ipsa hujus sacerdotii indole. Suppono nempe ut certum contra Arianos, Nestorium et plures Protestantes, Christum secundum naturam humanam esse Sacerdotem, quum de ratione sacerdotis evidenter sit, ut Deo sit inferior; quo posito, ita argumentari licet: Christus secundum humanam naturam tunc constitutus est sacerdos, cum ipse se exhibuit et eum Pater destinavit ad offerendum redemptionis sa-

crificium. Atqui haec Christi exhibitio et haec destinatio Patris, utraque actu facta est, quum primum Christus fuit homo, quia hic erat finis ipsius incarnationis, nimirum offerre redemptionis sacrificium. Jam igitur ab ipso incarnationis exordio Christus ordinatus fuit Sacerdos. — *b)* Ex diserta Pauli declaratione: *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi; holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Superius dicens: quia hostias et oblationes et holocautomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quae secundum legem offeruntur, tunc dixi: ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Aufert primum, ut sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel* (Hebr. 10, 4. sq.). Incarnatio itaque, auctore Paulo, eo spectabat, ut Christus haberet, quod velut sacrificium perfectum Patri offerret, nempe corpus, quo ingrediens mundum induebatur. Quare incarnatio consideranda est velut constitutio victimae ab ipso incarnato offerendae. Si autem haec ratio incarnationi propria est, evidenter Christus in ipsa incarnatione et per eam, non autem per electionem vel consecrationem aliquam externam et visibilem initiatus est Sacerdos. — *c)* Ex (Hebr. 5, 5) colligitur, eo momento Christum ordinatum esse Sacerdotem, quo ad eum spectabant verba Patris: *Filius meus es tu.* Haec autem verba ad Christum spectant ab ipso incarnationis initio: ergo.

518. Scholion. Aeternitas sacerdotii Christi triplici ratione explicari potest: *a)* Ratione *effectus*, qui cum sit salus aeterna, ipsum quoque sacerdotium est aeternum. *b)* Ratione *dignitatis*, quae in Christo oritur ex hypostatica unione: quare sicut haec unio, ita et Christi sacerdotium durabit in aeternum. *c)* Ratione *functionum* est aeternum aeternitate relativa, durans nempe usque ad consummationem saeculi, quum hinc semper interpellet pro nobis, donec scilicet omnes electi adducti fuerint in gloriam, inde jugiter sacrificium incruentum per manus ministrorum offerat usque ad consummationem saeculi.

ARTICULUS II.

De sacrificii notione in genere.

519. Ex creaturae et Creatoris ideis essentialisque illius ad hunc relationis, obligatio oritur ex parte hominis agnoscendi hinc infinitam Dei excellentiam absolutumque ejus in res omnes dominium, inde propriam absolutam in omnibus a Deo dependentiam. In tali agnitione continetur *adoratio*, quam comitantur affectus *laudis, gratiarum actionis, petitionis*, et in homine lapso *conscientia proprii reatus*, qua se agnoscit addictum morti, non seiuncta tamen a spe veniae. Quoniam agnitio haec et actus eam exprimentes nomine cultus veniunt, et hoc homo Deo *religatur;* hinc ipsa naturae lege is obligatur ad *cultum internum Dei* et ad *religionem*. — Eadem, qua homo, obstringitur necessitate cultus erga Deum societas, quae ab ipso, qua societas, est.

520. Porro hic cultus debet esse etiam *externus*. Etenim 1.° non solum anima sed corpus quoque, adeoque totus homo habet Deum supremum principium et finem; 2.° propter intimum animae cum corpore nexum, affectus interni natura duce prodeunt in actus externos et ab his foventur; 3.° cultus praesertim societatis publicus ex ipsa natura sua necessario externus est.

521. Cultus iste ut non verbis tantum sed et signis atque symbolis exprimatur, maxime naturale est. Signa hujusmodi, ut inclinatio, genuflexio, prostratio etc. exhiberi possunt et reapse exhibentur etiam hominibus; quandoquidem ex se nihil aliud, quam profundam sui ipsius erga alium submissionem significant. Symbolum vero, quo cultus latreuticus cum reliquis actibus *specifice* et ratione perfectissima exprimeretur illud esset, quo homo seipsum coram Deo immolaret morteque et destructione propria Dei dominium in res omnes absolutamque suam ab ipso dependentiam protestaretur. Quum vero hoc regulariter licitum minime sit, natura ipsa ad agnitionem illam esprimendam hominem humanamque societatem impulit, ut res aliquas dominio hominum commissas ad illosque pertinentes, praesertim eas, quae ad vitam fovendam et nutriendam, et adhuc magis proprie animalia, sibi substituerent easque sui vice, reali vel aequivalenti destructione, Deo offerrent et immolarent. Talis rei ipsum hominem symbolice

repraesentantis immolatione et destructione homo protestatur Deum auctorem vitae et mortis, a quo sumus et omnia habemus, cui omnia debemus, a quo omnia expectamus, et a quo pro absoluto eius dominio annihilari possumus, ac pro peccatis nostris annihilari meremur, simulque affectum, suam vitam seque totum Deo devovendi et consummandi in ejus honorem, vel si peccato a nobis laesus sit, ei in satisfactionem destruendi. Qua ratione victimae immolatio efficitur sacramentum seu symbolum cujusdam invisibilis sacrificii, quo seipsam anima impendit mactatque quodammodo invisibiliter sese Deo offerendo consummandam in ejus honorem, nominatim in placationem divinae iustitiae (1).

522. Quamvis hae substitutiones et immolationes ad exprimendum cultum religionis internum aptissimae sint, quia tamen non sunt signa naturalia et ex altera parte pertinent ad cultum publicum solemnem, indigent *legitima institutione,* tam victimam et modum eam offerendi, quam ministrum determinante, ut illam peculiarem induant significationem (2) Haec si ab auctoritate legitima, nominatim vero divina, constituta et determinata fuerint, nullae aliae oblationes possunt habere rationem veri sacrificii praeter eas, quas Deus ipse statuit, quaeque per legitimum ab ipso ministerium offeruntur.

523. Ex his iam intelligi potest vulgata sacrificii definitio, qua sacrificium est: *Oblatio rei sensibilis loco hominis Deo facta, per eiusdem realem vel moraliter aequivalentem destructionem,*

---

(1) Symbolicam hanc rei pro ipso homine substitutionem ad ipsam pertinere sacrificii essentiam non ex ipsa sacrificii natura tantum, verum ex sacrificiis quoque antiqui Testamenti divinitus institutis apparet. In his enim, ii, qui sacrificium offerre volebant, manum imponebant victimae, quo ritu transferebant velut in eam sua peccata, propter quae culpae poenaeque rei erant, ut immolatione victimae sibi substitutae liberarentur a culpa et a poena.

Verum praeter hanc alia longe sublimior ratio typica inerat illis sacrificiis. Substitutio enim illa symbolica typus erat alterius realis substitutionis, qua Dei Filius factus homo seipsum pro genere humano lapso substituit, ut quod vetera illa sacrificia ostendebant necessarium et protendebant futurum, satisfactionem, inquam, pro peccatis, ipse se ipsum offerendo in sacrificium adimpleret.

(2) Sicut vox *homo,* non potest privata alicuius voluntate accipere vim significandi hominem, sed necessaria est ad hoc institutio communis vel alicuius habentis plus quam privatam auctoritatem; sic occisio ovis v. g. non videtur posse fieri signum sufficienter significans talem vel talem reverentiam ex sola unius vel alterius privata voluntate.

legitime instituta ad agnoscendum supremum Dei dominium nostramque submissionem et conscientiam peccati.

524. **Corollarium** 1. Eo ipso quod est expressio absolutae dependentiae in toto esse hominis, quae nec refertur nec sine piaculo referri potest nisi ad solum Deum, etiam ille actus cultus externi nulli creaturae sed soli Deo potest exhiberi.

525. **Corollarium** 2. Cultus hic est peculiaris et ab actibus communibus cultus divini, quos per se quisque exercere potest et debet, specie distinctus, adeoque peculiari etiam nomine designatur, quod nomen apud latinos est *sacrificium (sacrum facere).* Hoc ergo nomen sive nomina ei respondentia, quae habentur in aliis linguis, si quando transferuntur ad alios actus, qui sunt res significata per sacrificium, ut spiritus contribulatus (Ps. 50, 19), vel ad alias species cultus externi v. g. abnegationis, misericordiae etc., non proprie sed *metaphorice* usurpantur, significatione a vero et proprio sacrificio derivata ob similitudinem quam cum ipso habent.

ARTICULUS III.

De Christi sacrificio in ara crucis.

526. Prop. 73. **Christus, caput juridicum totum genus humanum repraesentans, potissimum sacerdotii munus tunc explevit, quum semetipsum in ara crucis in verum propriumque sacrificium Deo obtulit.**

Demonstr. i. p. Christum fuisse constitutum repraesentatorem et vadem nostrum, atque ut talem nostram in se suscepisse causam, colligitur *a)* ex eo quod dicitur, positas esse in ipso iniquitates omnium nostrum (Is. 53, 6; 1. Petr. 2, 24); ipsum factum esse maledictum et peccatum pro nobis (Galat. 3, 13; 2 Cor. 5, 19); in carne ejus divinam justitiam condemnasse peccatum (Rom. 8, 3); eum factum esse pro nobis pretium solutionis et redemptionis; esse agnum Dei qui tollit peccatum mundi. (Jo. 1, 29). — *b)* Ex diserta doctrina Pauli, quam integro fere cap. 5. ad Rom. proponit, *Christum secundum Adam totum genus humanum repraesentare in justificationem, sicut primus Adam in condemna-*

tionem repraesentaverat. (Cf. 1. Cor. 15, 45. 47). — *c)* Ex ratione *capitis,* quae Christo competit, nam « caput et membra, ait s. Thomas, sunt una persona mystica. Et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet, sicut ad sua membra.... sicut si homo per aliquod opus meritorium, quod manu exerceret, redimeret se a peccato, quod pedibus commisisset » (1). — Talem substitutionem *voluntariam ex parte Christi* fuisse, apparet ex (Is. 53, 7): *Oblatus est, quia ipse voluit,* et: *Nemo tollit eam* (animam) *a me, sed ego pono eam a meipso; et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo, iterum sumendi eam.* (Jo. 10, 18). *Acceptatio* vero ex parte Dei includitur in incarnationis decreto: *Misit Deum Filium suum, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* (Gal. 4, 4. sq.)

527. Demonstr. ii. p. Mortem Christi in cruce fuisse verum et proprium sacrificium his probatur argumentis:

I. *a)* Non solum ex indole veteris Legis, quae *umbram habet futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum* (Hebr. 5, 1), sed ex diserta doctrina Pauli (Hebr. 10, 1. sq.) sacrificia cruenta V. T. erant typi oblationis Christi in cruce (2). Atqui quod typo, quatenus typus est, asseritur, id potiori jure asseri debet de antitypo. Ergo mors Christi in cruce, qua antitypus, potiori et praestantissima ratione sacrificium dici debet.

b) Sacerdotis est sacrificium offerre et maxime sacrificium pro peccatis offerre (Hebr. 5, 1). Ergo illud potissimum sacerdotis sacrificium censeri debet, quo peccata expiat hominesque cum Deo reconciliat. Atqui divinae litterae passim exhibent Christum peccata nostra expiantem nosque cum Deo reconciliantem atque adeo redemptorem nostrum per mortem et sanguinem suum. Ergo in morte Christi vera inest ratio sacrificii pro nobis oblati.

c) Mors Christi in scriptura iis exhibetur loquendi formulis, quae nonnisi de vero proprioque sacrificio in divinis litteris usurpantur. Huc pertinet Is. 53, nominatim vero haec: *Oblatus est* (nigas - sacrificatus est), *quia ipse voluit, et non aperuit os*

---

(1) p. 3. q. 48. a. 2 et q. 49. a. 1.

(2) « Hic (Christus) est, qui nunc in hoedi typo, nunc in ovis, nunc in vituli offerebatur. Hoedi, quod sacrificium pro delictis sit; ovis, quod voluntaria hostia; vituli, quod immaculata sit victima. » Ambrosius *prolog. op. de Spiritu s.* n. 4.

suum, sicut ovis ad occisionem ducetur (i. e. sacrificatus est voluntaria occisione). Mors igitur Christi veram sacrificii rationem habuisse edocemur. Mox subdit Propheta: *Si posuerit pro peccato* (asam - sacrificium pro delictis) *animam suam, videbit semen longaevum;* ergo mors Christi significatur fuisse sacrificium propitiatorium et satisfactorium pro peccatis. — (Eph. 5, 2): *Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* Christus tradidit semetipsum pro nobis, mortem obeundo pro nobis. Quum igitur Christus perhibeatur tradidisse semetipsum pro nobis *προσφορὰν καὶ θυσίαν,* mortem Christi rationem sacrificii ejusque cruenti habuisse docemur. — (1. Cor. 5, 7.): *Pascha nostrum* (agnus paschalis) *immolatus est (ἐτύθη* cruento sacrificio) *Christus:* mors ergo Christi exhibetur ut immolatio veri agni paschalis, ut sacrificium proinde cruentum pro nobis oblatum. — Est Christus *propitiatio ἱλασμός* (victima expiatoria) *pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (1. Jo. 2, 2; 4, 10). Eodem sensu *ἱλαστήριον* dicitur (Rom. 3, 25), et *peccatum* seu victima pro peccato (2. Cor. 5, 21). Huc etiam referri debent textus, in quibus menti sistitur ut *agnus tollens peccatum mundi, ut agnus occisus sanguine suo nos redimens, ut agnus immaculatus, cujus pretioso sanguine redempti sumus.* (Jo. 1, 29; Ap. 5, 6; I. Pet. 1, 18).

d) In morte Christi omnia reperiuntur elementa, quae sacrificii notione contineri supra (n. 519 sq.) demonstravimus. Adest materia seu *victima* nobilissima, scilicet ipse Christus Deus secundum humanam naturam. Adest *substitutio* pro genere humano, ut probavimus. Adest *oblatio* et *mactatio* victimae; seu *actio sacrificalis* et *sacerdotalis,* qua fit destructio. Haec autem non est materialis occisio per carnifices peracta; quae potius pertinet ad proximam victimae dispositionem ut apta sit quae per actionem sacerdotalem offeratur; sed est ipsius sacerdotis Jesu Christi voluntaria sui ipsius oblatio, quam non modo intentione interna fecit, sed etiam extrinsecus manifestavit in ipsa tormentorum et mortis *voluntaria admissione* ac *directione ad seipsum Patri offerendum,* atque in ipsa *libera spiritus emissione* in cruce. Nam si mactatio materialis victimarum etiam in sacrificiis V. T. non necessario pertinebat ad sacram functionem sacerdotis, qui ad

eam materialem occisionem privatos homines adhibere poterat; multo magis hoc verum esse debet in sacrificio, ubi idem est sacerdos et victima. Adest *legitima institutio* (Hebr. 10, 5. sq.) et *finis*, qui restitutione continetur honoris divini. Ergo mors Christi in cruce est perfectissimum sacrificium.

528. II. Leo M.: « Dicant, quo sacrificio reconciliati, dicant, quo sanguine sint redempti? Quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis, aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suae carnis imposuit? » (1) Augustinus: « Per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, quod unum multae in lege victimae praefigurabant, pacificantur coelestia cum terrestribus, et terrestria cum coelestibus » (2). — In anathematismo 10 s. Cyrilli, approbato a conc. Ephesino, dicitur: « Pontificem et Apostolum confessionis nostrae factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri ». Cf. Conc. Tridentinum sess. 22. cap. 1.

529. **Corollarium** 1. His corruit systema Socinianorum, mortem Christi non fuisse sacrificium, sed tantum quandam victimae et sacrificii praeparationem; Christum tum demum fuisse sacerdotem, cum idem coelos ascendit, ejusque sacrificium contineri apparitione ipsius coram Deo pro nobis, per ingressum in coelum. Etenim Christus in cruce moriendo verum et perfectum explevit sacrificium. Atqui simul proprium est sacrificii Christi, quod fuerit *unicum*, seu *semel* oblatum, ut testatur Paulus: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Jam non relinquitur pro peccatis hostia* (Hebr. 9 et 10). Ergo sacrificium crucis est in se et in suo effectu completum, et praeter illud nullum aliud restat a Christo offerendum in coelo. Praeterea Paulus exhibet Christum ingredientem in coelum, sicut Pontifex Judaeorum ingrediebatur sancta sanctorum (Hebr. 9). Atqui hic Pontifex ingrediebatur cum sanguine sacrificali adeoque sacrificio per victimae mactationem jam peracto. Ergo ita et Christus ingressus est coelum in sanguine suo sacrificali, sane quia prius in cruce, sanguinis effusione, verum jam obtulerat sacrificium.

---

(1) *Ep.* 124. c. 4. — (2) *Enchirid.* n. 62.

Quo ergo spectat jugis Christi in coelo pro nobis interpellatio (*semper vivens ad interpellandum pro nobis* Hebr. 7, 25)? « Interpellat pro nobis, respondet s. Thomas *Comm. in Hebr.* primo humanitatem suam (cicatricibus signatam, ut alibi dicit), quam pro nobis assumpsit, repraesentando; item sanctissimae animae suae desiderium, quod de nostra salute habuit, exprimendo; » et Augustinus *in Ps.* 85: « Orat pro nobis, ut sacerdos noster; orat in nobis, ut caput nostrum; oratur a nobis, ut Deus noster.... oramus ergo ad illum, per illum, in illo ».

530. **Corollarium** 2. Christus secundum divinam naturam is erat, cui cum Patre et Spiritu sancto offerebatur sacrificium; idemque secundum humanam naturam et sacerdos offerens et victima oblata erat, quae duplex ratio sacerdotis et victimae tantum *ἐπινοία,* secundum actionem nempe et passionem, distinguitur. Unde Augustinus: « Cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quam sumere.... Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio » (1). Fuit autem Christus hostia tripliciter, nempe hostia pro peccato, hostia pacifica et holocaustum (2).

ARTICULUS IV.

De fructu sacrificii crucis respectu nostri, seu de redemptione.

531. *Praenotanda.* Peccato homo laedit jus, quod Deus habet, ut nempe libere ei homo subiectus sit honoremque debitum ei deferat. Peccatum proinde verissimo sensu *iniuria* est divinae Majestati illata. Ex peccato consequitur obligatio ad subeundam poenam peccato proportionatam. Poena porro proxime et velut connaturaliter cum peccato, quod est aversio a Deo, coniuncta, est subtractio gratiae sanctificantis atque cujusque prorsus doni quod ad eam recuperandam refertur; poena vero remote cum eodem connexa, est mors aeterna, quae in privatione fruitionis Dei et in perpessione omnium malorum torquentium consistit. Quare peccator incurrit hinc *debitum* reparandi iniuriam Deo illatam

---

(1) *De Civ. Dei* l. 10. c. 20. — (2) Cf. S. Thom. p. 3. q. 22. a. 2.

seu reparandi honorem divinum laesum; inde *debitum* poenae subeundae cum impotentia recuperandae gratiae et consequendae vitae aeternae. Duplex haec peccati clades partim *satisfactione*, partim *merito* reparatur. *Satisfactio* sumpta *active* est compensatio honoris laesi sive illatae iniuriae; *obiective* intellecta est ipsum opus et obsequium, quo quis compensat iniuriam vel a se vel ab alio illatam. *Meritum* est dignitas ad remunerationem opere comparata. Videlicet merens, per opus aliquod, dignum se reddit, ut sibi vel, intuitu sui, aliis bona retribuantur.

Eidem operi Christi utraque inest ratio satisfactionis et meriti: qua satisfactorium ad iniuriam compensandam, qua meritorium ad mercedem consequendam ordinem dicebat.

Utrumque porro, i. e. satisfactio et meritum, uno *redemptionis* nomine significatur. Redemptio enim est *restitutio ex servitute in libertatem pristinam, soluto pretio.* Cum itaque status hominis sub peccato gementis et de gratia dejecti a divinis litteris *servitus* (1) appelletur, liberatio ex hoc statu, quae fit satisfactione pro peccato et merito pro gratia, redemptionis nomine non immerito designatur, opus autem ipsum, quo ipse satisfecit et meretur, pretium redemptionis ab eo solutum nominatur.

532. Prop. 74. **Christus passione et morte sua in ara crucis vice nostra satisfecit pro peccatis nostris, satisfactione quidem adaequata et superabundante, simul nobis uberrimas promeruit gratias.**

Declar. Dicimus *passione* et *morte,* non ad excludenda cetera opera mortalis vitae Christi; nam et his satisfecisse et me-

---

(1) Est sane status servitutis durissimae *sub peccato,* ut excludit dignitatem et libertatem filiorum Dei; *sub concupiscentia et ignorantia,* ut est mancipatio quaedam in peccatum; *sub aerumnis et poenis* absque ullo merito jam in hac vita mortali, potissimum vero in morte aeterna tollerandis; quae omnia simul, spectato persuasore mali operis et supplicii exactore, ut loquitur Augustinus *in Ps.* 162. n. 8, dici possunt *servitus sub diabolo* tentatore et tortore. Cf. Franzelin *Sect.* 4. *praenot.* 2. Cave tamen, ne inde deducas, redemptionis pretium persolutum fuisse diabolo. Illi enim persolvitur pretium, qui jure suo captivos detinet, qui creditor est, persona laesa ac supremus judex, cujusmodi in casu nostro est solus Deus, qui potestatem habet mittere in gehennam (Luc. 12, 5); non autem ei, qui jure alieno detinet captivum tamquam carceris custos, judicis minister atque executor, prout diabolus est.

ruisse certum est, sed ad significandum ultimum fastigium, consummationem ac veluti formam, ex qua et cum qua ratio meriti singulis actibus spectans, ex ordinatione Christi et acceptatione Dei formaliter completa in actu secundo existebat.

Propositio est contra Socinianos redemptionem Christi ad doctrinae praeconium ea ad patientiae ac fortitudinis exemplum reducentes, et quidem prima pars de *fide* tenenda est ex apertissima inter Christianos doctrina, prouti eam tamquam indubiam supposuerunt Tridentini Patres (sess. 22, cap. 1, 2, can. 3, 4); altera pars de satisfactione *adaequata et superabundanti*, quatenus longe excedit quamcumque compensationem debitam pro quavis gravitate et pro quovis numero iniuriarum, generatim accepta de *fide* est; si vero ea satisfactio intelligatur condigna et superabundans *ex se* et in *actu primo*, independenter ab acceptatione divina, tum est inter catholicos *certa* doctrina; tertia denique pars, generatim accepta, *de fide* est ex aperto testimonio Ecclesiae docentis: « Justificationis nostrae causam meritoriam esse Christi passionem » Conc. Trid. (sess. 5, can. 2).

533. Demonstr. i. p. Ut quis pro alio *vere* et *vice* ejus satisfaciat, requiritur ut *eum repraesentet*, ut opus talem aptitudinem habens *ordinet* ad satisfactionem pro illo, et ut hoc opus a *laeso acceptetur*. Atqui haec omnia verificantur de satisfactione Christi pro nobis acta. Ergo. Primum scilicet Christum constitutum esse *caput juridicum totum genus humanum repraesentans* supra demonstratum est; tertium, scilicet *acceptationem* ex parte laesi ipsa Filii Dei missione et incarnatione continetur explicitque enuntiatur ad Hebr. 10, 5. 6. 7. Remanet itaque alterum probandum, nempe Christum ea praestitisse, quibus iniuriam a nobis Deo illatam compensaret, poenasque sustinuisse peccatis nostris debitas, quibus patienter tolleratis satisfieret divinae justitiae.

a) Quot argumentis supra confecimus, passionem Christi et mortem fuisse verum et proprium sacrificium pro peccatis nostris, totidem argumentis non metaphorice sed *vere* a Christo pro nobis satisfactum, ut exploratum haberi debet. Ipse enim in locum nostrum se suffecit, suique immolatione honorem Dei peccato laesum infinite reparavit, iniuriaque perfecte compensata, iram Dei placavit nosque Deo reconciliavit, simulque obsequium infinite meritorium, quo ad iterum concedendas gratias moveretur,

Deo praestitit. Ergo ejus in cruce sacrificium fuit vere pro nobis *satisfactorium.* — *b)* (1. Tim. 2, 6): *Qui dedit redemptionem (ἀντίλυτρον) semetipsum pro omnibus;* (Matth. 20, 28): *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem (λύτρον) pro multis.* Atqui *λύτρον* et *ἀντίλυτρον* est pretium ad redimendum captivos solutum: Christus itaque dedit semetipsum ac animam suam pretium redemptionis, quo a captivitate solvantur et in pristinam libertatem redeant multi. Atqui pretii exhibitio, cujus fructus sit restitutio in pristinam libertatem et debiti relaxatio, est ipsamet satisfactio: ergo. — *c)* Nominatim vero (1. Petr. 1, 18. sq.): *Scientes quod non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati;* (Coloss. 1, 19): *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.* Sanguis igitur J. Christi est pretium ab ipso solutum ad redimendos homines, ad reconciliandum cum his Deum; ergo sui sanguinis effusione pro nobis satisfecit. (Cf. Eph. 2, 14. sq.; Tit. 2, 14; Apoc. 5, 6). — *d)* Luculenter hoc dogma traditur c. 53. Js. In hoc *α)* exhibetur Messias vulneratus, attritus (v. 5); despectus et novissimus virorum, vir dolorum et sciens infirmitatem (v. 2 et 3); horum dolorum causa non sunt propria ejus peccata; neque enim fecit malum, neque dolus inventus est in ore ejus (v. 9); sed *β)* eos pertulit ob iniquitates nostras (v. 5), quas Dominus omnes in eo posuit (v. 6), et idcirco in eo posuit, ut nobis mederetur pacemque obtineret (v. 5). *γ)* Has voluntarie (v. 7), in se suscepit seseque sacrificium propitiationis pro nobis obtulit (v. 10); *δ)* hujus oblationis fructus est multorum justificatio: in se enim suscipiens peccata nostra, justitiam nobis impertit. Ergo *vice* nostra Christus satisfecit, iramque placavit divinam. In eandem sententiam dictum est a Petro (1. ep. 2, 24): *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus, cujus livore sanati sumus;* et a Paulo: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (hostiam pro peccato), *ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* (2. Cor. 5, 21), et: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in ligno* (Galat. 3, 13).

Huc spectant et illa testimonia, in quibus Christus dicitur *propitiatio nostra, posuisse pro nobis animam suam, mortuus pro nobis, Deum Filium suum pro nobis tradidisse.*

534. Demonstr. ii. p. *Satisfactio* si absolute non adaequat iniuriae gravitatem, ea tamen laesus contentus sit, dicitur *congrua;* si adaequat, *condigna*, seu etiam *plena, perfecta, adaequata*, quae fere synonima sunt; si excedit, *superabundas*, si immense, *infinita.* Valor satisfactionis derivatur primario ex dignitate personae satisfacientis; secundario etiam ex ipsius operis intrinseco pretio. Nam pariter iniuriae gravitas desumitur primario ex dignitate personae lesae et secundario etiam ex obiectiva facti iniuriosi turpitudine. Unde sequitur, quod si infinita erit personae et rei oblatae dignitas; etiam valor satisfactionis censeri debet in *ordine morali* infinitus. Haec omnia valent etiam de merito, cum satisfactio et meritum ex parte rei sint idem opus, idem valor, solum differens intentione vel ordinatione operantis. Sic eadem Christi opera, quae fuerunt satisfactoria quatenus ordinata ad placandum Deum, fuerunt meritoria quatenus ordinata ad obtinendum praemium.

(1. Cor. 6, 20): *Empti enim estis pretio magno;* quod proinde non sufficiens tantum, sed abundans est; (1. Petr. 1, 18): *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati;* (Hebr. 10, 14): *Una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos;* (Rom. 5, 20): *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* — Cyrillus Hieros.: « Non tantum peccavimus, quantum ille justitia excelluit » (1); Chrysostomus: « Multo plura quam debemus, Christus pro nobis solvit; tantoque plura, quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensum » (2). Clemens VI: « In ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse. Quare ut non inanis tantae offensionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, ut sic sit *infinitus thesaurus hominibus* » (3). — Valor operis derivatur

---

(1) *Catech.* 13, n. 33. — (2) Hom. 10. *in Cap. 5. ad Rom. n. 2.* — (3) In extrav. *Unigenitus.*

primario ex dignitate personae operantis; atqui omnes operationes humanae Christi tribuendae sunt Verbo divino tamquam principio eas per humanam naturam elicienti, atque omnes non secus propriae Verbi censeri debent, quam propria Verbi est humana natura assumpta. Ergo opus quodcumque Christi quamquam secundum *valorem physicum,* i. e. ratione suae entitatis praecise, quia est v. g. actus talis virtutis, tali perfectione elicitus, est finitum, secundum *valorem moralem* tamen i. e. ratione personae, cujus opus est, est simpliciter *infinitum,* sicut infinita est persona operans (1).

535. **Corollarium.** Ex hoc sequitur, opera Christi condignitatem habuisse non, ut quidam putabant, per *denominationem extrinsecam,* ab acceptatione Dei, a qua etiam opera puri hominis potuissent condignitatem mutuari: non secus ac si quis creditori acceptanti unum aureum pro centum debitis solveret, posset dici condigne solvisse; sed valorem et superabundantiam satisfactionis et meriti Christi utpote in actu primo fundatam in dignitate infinita Verbi et in excellentia obiectiva operis *intrinsece* jam in *actu primo* fuisse condignam et superabundantem ex sese, *independenter* ab acceptatione divina.

536. Demonstr. iii. p. Cum eidem operi Christi ratio et satisfactionis et meriti competat, ex iis, quae de veritate et valore satisfactionis diximus, constat jam Christum actionibus suis *vere* meruisse et *infinitum* esse ejusdem meriti valorem. Et sane, satisfactio, quum in exhibitione honoris subiecto laeso et irato ad aliscendum praestita consistat, hujusmodi autem exhibitio actio sit, cui omnes conditiones conveniunt, quae ex parte actionis ad rationem meriti requiruntur, nequit esse infiniti valoris, quin eo ipso meritum sit infiniti valoris. Insuper infinite valentem satisfactionem concipere non valemus, nisi Deum movere possit et mo-

---

(1) *Quaeri* solet, utrum Christus ad rigorosae justitiae apices satisfecerit. *Resp.* Christus satisfaciendo exercuit actum aliquem justitiae saltem latae dictae, tum quia exhibuit satisfactionem aequalem debito et offensae, imo superabundantem, tum quia satisfecit alterius debito rigoroso, quod in se susceperat, acceptando mortem ad satisfaciendum pro hominibus: cui acceptationi et executioni Deus promiserat redemptionem generis humani.

Utrum autem haec satisfactio sit actus strictae justitiae, ideo controvertitur, quia alii ad strictam justitiam certas conditiones exigunt, quas alii minime necessarias putant. Quare haec quaestio videtur esse de nomine.

veat ad remittendum peccatum et condonandam poenam tam proxime et connaturaliter, quam remote cum peccato connexam. Iam vero satisfactio, ut ad haec Deum moveat, manifeste induit rationem operis digni, cui velut merces remissio peccatorum et restitutio gratiae rependatur. Quare ratio satisfactionis infiniti valoris in se includit rationem meriti ejusdem valoris. Idem vicissim de merito quoad satisfactionem dici debet. — Itaque ostendendum potius est, *quid nobis meruerit*. Christus meruit nobis primo gratiam justificantem et remissionem peccatorum. Dum enim is Deo offenso infinitam reddit compensationem, hoc ipso illum movet infinite ad peccati remissionem; remissionem autem peccati infinite mereri non potest, nisi mereri etiam valeat restitutionem gratiae. Hinc Paulus: *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiae suae propter remissionem praecedentium delictorum* (Rom. 3, 24), qua apostoli sententia, redemptio exhibetur ut causa nostrae justificationis *meritoria*. Nobis meruit secundo omnia gratiae dona, quae sequuntur primam gratiam sanctificantem; cujusmodi sunt auxilia gratiae, merita bonorum operum, augmentum gratiae, donum perseverantiae, remissio peccatorum venialium, remissio poenae temporalis, ut colligitur ex Eph. (1, 3): « *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus, in Christo* i. e. per Christum, seu per merita Christi, et ex Jo. (15, 1. sq. coll. conc. Trid. sess. 6. cap. 16). Tertio meruit nobis vitam aeternam, juxta illud Pauli: *Gratia Dei vita aeterna, in Christo Jesu Domino nostro* (Rom. 6, 23). Et hoc sensu dici solet, Christum sua morte aperuisse nobis januam regni coelorum, quae antea erat clausa propter peccatum primi parentis (cf. Hebr. 10, 19). Juxta communem sententiam meruit quarto nobis omnia auxilia gratiae excitantis et adiuvantis, quibus disponimur ad gratiam justificantem, et consequenter meruit nobis motionem fidei, spei, dilectionis et contritionis. Hinc et auxilia gratiae, quae nunc dantur ipsis infidelibus, non dantur nisi ex meritis Christi. Huc pertinet illud Pauli: *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est in Christo Jesu* (2. Tim. 1, 9). Illud igitur generatim retineatur, quod docet s. Thomas: Christo datam esse

gratiam, tamquam principio cuidam universali, cujus virtus sese extendat ad omnes gratiae effectus et operationes (1).

537. Prop. 75. **Haec autem Christi satisfactio et meritum est pro omnibus hominibus, seu Christi redemptio est universalis.**

Declar. Propositio est contra Praedestinatianos, Calvinistas et Jansenistas, sententiamque enuntiat *piam* et *communem* theologorum; sed quatenus significat *Christum non tantum mortuum esse pro praedestinatis,* complectitur dogma catholicum (cf. n. 202). Est porro redemptio universalis non quoad *efficaciam,* sed quoad *sufficientiam,* ita scilicet ut omnibus per Christi meritum salutis possibilitas adeoque media ad hanc necessariam praesto sint.

538. Demonstr. (Matth. 18, 11): *Venit Filius hominis salvare quod perierat;* (1. Tim. 2, 5): *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus;* et (Jo. 1, 29): *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi;* (1, Jo. 2, 2): *Propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi;* (2. Cor. 5, 14): *Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt,* ne iis quidem exceptis, qui pereunt (2. Petr. 2, 1; 1. Cor. 8, 11 etc.). Huc pertinent omnia quibus probavimus universalitatem voluntatis salvificae Dei, et ea quoque quae de Christi pro toto genere humano substitutione deque ejus in cruce pro omnibus oblatione n. 526 dicta sunt. — S. Clemens Rom.: « Animum intendamus in sanguinem Christi, cernamusque quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus toti mundo poenitentiam obtulit » (2); et conc. Carisiacum (a. 853) cap. 4: « Christus Jesus D. N. sicut nullus hominum est, fuit vel erit, cujus natura in Christo assumpta non fuerit, ita nullus est fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur; » et Trident. (sess. 6. cap. 3) : « Verum etsi ille pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipient. » Cf. prop. 5 Jansenii.

539. *Nota.* Pro iis, qui ante ejus adventum damnati sunt, Christus dici potest mortuus, quatenus et illis Deus intuitu mor-

---

(1) 3. q. 7. a. 9. — (2) Ep. 1. *ad Corinth.* n. 7.

tis Christi sufficientia, dum viverent, preparavit et concessit media salutis, non vero eo sensu, quod cognita jam eorum damnatione serio cogitaverit de applicando ipsis suae passionis fructu.

540. **Corollarium.** Quaecumque gratia inde a lapsu primi hominis collata unquam fuit vel conferetur, quaecumque fuit vel est mediorum sanctificantium generatim dignitas et virtus ad salutem, id totum est ex meritis Christi.

541. *Obi.* 1. Iniquum est, innocentem puniri pro nocentibus. Sed hoc factum esset, si Christus vere pro peccatis nostris satisfecisset. Ergo.

Resp. Dist. maj. Si innocens ipse et libere et sponte vadem se et sponsorem dederit pro nocentibus, *neg.;* secus, *transeat.* Dico *transeat,* quia Deus ut supremus vitae ac necis dominus, potest juste quemlibet etiam innocentem morti tradere, maxime ob salutem omnium. Porro animadvertatur, sponsorem peccatum alterius in se suscipere, non quidem quoad *culpam,* quae est aliquid personale, sed quoad *poenam,* quam utique unus pro alio luere potest, dummodo *voluntarie* suscipiatur, et ab offenso *acceptetur.*

Obi. 2. Satisfactio debet fieri ad *alterum;* atqui ex doctrina catholica sequitur Christum sibimetipsi satisfecisse, cum et ipse sit Deus; ergo non vere et proprie satisfecit.

Resp. Propter hanc difficultatem aliqui dicunt, Christum non sibi sed Patri tantum satisfecisse, sed falso, cum satisfactio eidem exhibenda fuerit, cui illata erat iniuria, atque adeo non soli Patri, sed uni trinoque Deo. Itaque dicendum, ad satisfactionem non requiri suppositorum distinctionem, sed sufficere naturarum distinctionem. Duplex enim natura, si cui inest, efficit, ut non obstante unitate personae physicae, duplex in eo distingui possit *moralis* persona. Nam ubi duplex est natura, ibi duplex est voluntas et libertas, duplexque fundamentum dominii et juris; unde una persona physica duas illas habens naturas, diversa jura repraesentat secundum diversitatem naturarum, adeoque duplici aequivalet personae *morali.* Quae si est sufficiens, ut Christus quatenus homo vere obediens fuerit non solum Patri, sed et sibi et Spiritui sancto, ab iis praeceptum acceperit; debet sufficere etiam ut Christus seu Verbum quatenus formaliter subsistit in humana natura satisfecerit sibi quatenus formaliter subsistit et consideratur sub ratione divinae naturae. Haud dissimili ratione ille, qui si-

mul est creditor et tutor pupilli, potest qua tutor solvere, et qua creditor accipere debitum.

542. Scholion. Ex quo Christus pro nobis perfecte satisfecit, ne inde concludas, nihil ex parte nostra requiri ad plenum (1) fructum ejus satisfactionis percipiendum. Hoc quidem verum esset, si ageretur de debito reali, cujus solutio fiat per modum restitutionis, in qua comparatur res cum re, pretium cum damno illato, nulla habita ratione personarum: sic v. g. si sponsor totum debitum solvat, etiam invito debitore, creditor nihil habet repetendum, quia justitia id unum exigit, ut in rebus ponatur aequalitas; sed si debitum sit personale et solutio fiat per modum satisfactionis, quae tendit ad reconciliandum reum cum persona laesa, duo requiruntur: 1.° ut fiat adaequata iniuriae compensatio, tantumque honoris personae laesae rependatur, quantum per iniuriam fuit depressa, et illud sponsor per se solum praestare potest; 2.° ut reus fruatur beneficio compensationis, reconcilietur personae laesae, redeatque in ejus amicitiam; quod fieri nequit, nisi reus cum sponsore concordet, crimen retractet, de eo doleat, spemque creditori iniiciat, fore ut illum deinceps honorifice observet. Alioquin si reus a sponsore dissentiat, personam laesam negligat, nec facti eum poeniteat, quantacumque fuerit abundans et superabundans sponsoris satisfactio, nullum ex ea fructum percipiet.

Accedit quod, quum homo propria voluntate diabolo assensum praebens venundatus sit sub peccato, ut venditioni respondeat redemptio, non solum Christus pretium solvit, sed etiam voluit, ut erueretur non invitus, sed Deo libere obtemperans, ad quod obtinendum munus propheticum et regium Christi, seu praedicatio et legislatio maxime spectant. Ex hoc sequitur ad redemptionis peractae *applicationem* requiri generatim cooperationem nostram et nominatim *quasdam conditiones* a nobis adimplendas, cujus-

(1) Dico *plenum* fructum, qui continetur vel vita gratiae, vel vita gloriae. Constat namque satisfactionem Domini multos omnino effectus habere, nihil nobis agentibus. Huc pertinent totius oeconomiae applicationis vis et valor, quo in se viget; huc nominatim sacramentorum institutio et efficacia, qua per se ad effectum valent, ad quem producendum ordinata sunt; huc denique prima gratia actualis, quae adultis confertur. Imo si de infantibus agitur, etiam justificatio, et, siquidem infantes diem supremum obeant, gloria aeterna, quum haec eis per baptismum obveniant sine propria ipsorum cooperatione, quamvis non sine aliqua adultorum cooperatione.

modi sunt fides, poenitentia, usus sacramentorum, opera etiam satisfactoria etc.: quo sensu Paulus dixit: *Adimpleo ea quae desunt, passionum Christi* (Coloss. 1, 24).

Necessitas haec cooperationis nostrae cum non ad causam nostrae salutis aut costituendam aut complendam, sed ad ejus in nobis effectum habendum, referatur, doctrinae de sufficiente per Christum redemptione nullo modo opponitur; idque eo vel minus, quod quaecumque ad applicandam nobis redemptionem aguntur, nonnisi per redemptionem valeant (1). Nam ex Christi tantum meritis nobis satisfaciendi et merendi principium i. e. gratia confertur; ex illis repeti debet, quod Deus praemium nostris meritis promitteret eaque ad merendum acceptaret in actu secundo; ex illis denique provenit, quod Christus, ut Caput, cum suis meritis merita quoque nostra, sicuti suorum membrorum, Patri offert; nosque ipsi in ordine ad merendum acceptiores Deo efficimur, quia membra Christi sumus (2). Idem dicendum de satisfactionibus. Tantum igitur abest, ut quidquam hac doctrina de redemptionis Christi dignitate detrahatur, ut ea hinc magnopere extollatur.

---

(1) Exemplum est in principe, qui Turcica servitute pressos ita liberaret, ut soluto competenti lytro, plenam faceret potestatem captivis libere e servitute exeundi patriamque repetendi, si modo ipsi acceptata tam liberali redemptione, sua vincula, quibus dissolvendis liberaliter eis clavis offertur, dissolvere, et suscepto itinere patriam repetere velint. Hoc belle significat Prosper *in resp. ad obi. 1. Vincentii* paucis verbis: « Poculum immortalitatis, quod confectum est infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. »

(2) Quamquam eidem operi Christi ratio et meriti et satisfactionis inerat, meritum tamen latius patet quam satisfactio. Hinc non nobis solum, sed et aliis meruit, nominatim *Angelis* et *sibi*. *Angelis* putant nonnulli meruisse omnem gratiam, sed alii melius negant, quia pro eis non est mortuus, et tam gratia quam gloria decreta sunt angelis ante praevisionem peccati originalis adeoque ante incarnationis decretum; sed meruit eis quasdam illustrationes et gaudia aliaque dona accidentalia, v. g. revelationem aliquorum mysteriorum. *Sibi ipsi* meruit gloriam corporis, nominis exaltationem, gentium cultum et adorationem. — Christus vero meruit per *omnes actus* liberos humanae naturae, *toto tempore* vitae suae a primo instanti conceptionis, usque ad instans mortis.

Sectio III.

MARIOLOGIA.

543. Cum Verbi incarnati mysterio intime conserta est doctrina de B. Virgine Maria. Haec enim cum Jesum Christum Deum hominem genuerit, vere *Dei genetrix (θεοτόκος)* et est et dicta fuit. Hujus vero dogmatis professione compendium continetur totius doctrinae catholicae de incarnatione Filii Dei. Imo sicut quondam quoad dogma sanctissimae Trinitatis Patres catholicae fidei doctrinam colligebant in professione *τοῦ ὁμοουσίου,* eo quod illa et distinctionem personarum contra Monarchianos et unitatem naturae contra Arianos exprimeret; ita praedicatio *τῆς θεοτόκος* in Ecclesia catholica magno studio tamquam symbolum quoddam et tessera orthodoxae de incarnatione Domini fidei frequentata est, quod et hypostaseos unitatem et distinctionem duarum realium naturarum in eadem hypostasi declararet. Sane dum dicimus Virginem *Dei genitricem,* dicimus Filium ejus esse verum hominem; neque enim aliter Virgo esset *genitrix:* et eundem esse verum Deum; neque enim aliter genitrix esset *Dei*; ac proinde eundem, qui secundum divinam naturam praeexistit ab aeterno genitus Deo Patri consubstantialis, suam fecisse per generationem ex matre humanam naturam, qua est homo et matris consubstantialis (1).

Si vero dogma hoc tam intime cum universo Dominicae incar-

---

(1) « Hoc enim nomen *θεοτόκος,* inquit Damascenus, totum incarnationis commendat mysterium. Nam si Dei mater est, quae genuit, profecto *Deus* est, qui ex ipsa genitus est. Sed idem *homo* est etiam omnino. Nam qui fieri potuisset, ut Deus, qui ante saecula extabat, ex muliere nasceretur, nisi homo factus esset? Siquidem filius hominis utique est homo. Quod si ille ipse, qui ex muliere natus est, Deus est; *unus* procul dubio atque *idem* est, qui ex Deo Patre genitus est, quod ad divinam et initii expertem substantiam attinet; quique extremis temporibus eâ substantiâ, quae initium habuit temporique subiecta est, hoc est humanâ, ex virgine natus est. Hoc vero *unam* D. N. Jesu *personam duasque naturas* et *duas generationes* significat. » *De fide orthod.* l. 3. c. 12.

nationis sacramento cohaeret, vix ullam ab eo de B. Virgine quaestionem alienam reputaveris. Misso enim etiam, quod mater non potest a Filio separari, illud mente reputes, ex divina maternitate, tanquam ex ejus munere, ad quod B. Virgo fuit electa, consequi plane singularem ejusdem dignitatem, omnesque alias, quae eam tum in se, tum quoad nos mirabilem prorsus reddunt, praerogativas.

Ad complementum itaque tractationis de Verbi incarnatione, agemus de B. Virgine ejus matre, et nominatim 1.° de dignitate genetricis Dei; 2.° de aliis Matris Dei praerogativis; 3.° de munere Mediatricis, quod eidem Matri Dei competit.

ARTICULUS I.

De dignitate Genitricis Dei.

544. Prop. 76. **Beata Virgo Maria vere ac proprie est Dei genitrix** *(θεοτόκος)*, **ex quo tanta in eam derivatur dignitas, ut augustius vel excelsius quid post Deum Dei matre cogitari nequeat.**

Declar. Est contra Nestorium, qui negatae unionis hypostaticae haeresim primum manifestavit eo, quod publico sermone populum monuit, Mariam esse utique *χριστοτόκον*, sed nullatenus *θεοτόκον* dicendam, qua assertione fideles haereticum hominem illico dignoverunt. Quod si aurium christianarum offensionem timens, hanc appellationem permittere videtur, illius sensum plane pervertit. Tenendum siquidem est, Mariam esse vere Dei matrem, imo Dei genetricem, idque non *sensu diviso*, quasi eum genuerit, qui *postea* factus sit Deus, quo sensu dici potest Monica genuisse *sanctum* Augustinum; sed omnino in *sensu composito*, quatenus terminus generationis erat persona *divina* carne utique induta. Hoc vero non id sibi vult, eam communicasse Verbo generatione divinam naturam. Sed significat, Virginem e sua substantia, vera generatione materna, licet Spiritu s. cooperante, communicasse naturam humanam personae divinae. Atque ita is, qui est Deus Verbum subsistens in humana natura, non quidem secundum suam naturam divinam, sed secundum suam naturam humanam et quatenus homo est, vitali subministratione materna

in similitudinem naturae ac matri consubstantialis est productus. Hinc B. Virgo *veraciter* genuit, quum id omne praestiterit, quod ad generationem maternam pertinet, ac *proprie* Deum genuit, quia terminus productus non est aliqua persona humana, in qua Verbum inhabitaret, sed est ipsa divina persona Verbi in humana natura subsistens.

Thesis continet *dogma fidei* definitum in conc. Ephes. oecumenico III. can. 1: « Si quis non confitetur Emmanuelem esse verum Deum, et propterea Dei genitricem s. Virginem: peperit enim secundum carnem factum Dei Verbum... a. s.; » et V. can. 6. coll. 8.: « Si quis abusive, sed non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam, a. s. »

545. Demonstr. i. p. I. *a)* Ex superius demonstratis de Christo vero Deo veroque homine in unitate personae. *α)* Beata Virgo est mater Christi, ut est evidens ex divinis litteris. Atqui J. Christus est verus Deus, et quidem a conceptionis exordio (n. 437 sq.). Ergo Maria est Dei genetrix. — *β)* Verbum aeternum non tantum homo factus est, sed etiam, mediate quidem ex lumbis Adam, Abraham, Isaac, David, immediate vero ex muliere benedicta atque purissima Virgine Maria, veraci et proprie dicta generatione factus est homo (n. 449 sq.). Genuit igitur Beata Virgo Verbum hominem; atque adeo Verbi seu Dei Genetrix appellanda est. — *γ)* Unus tantum est Christus, unusque Filius, qui est Filius Patris et etiam Filius Matris Virginis. Atqui Filius Patris est Deus Verbum: ergo Deus Verbum est Filius Matris Virginis, ideoque haec vere et proprie est Dei genetrix.

b) Ex disertis Scripturae verbis. *α)* Angelus annuntiat Filium Mariae esse Filium Dei: *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur.... quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 31). — *β)* Filius Dei, ideoque Deus, dicitur factus seu generatus ex Maria: *Misit Deus Filium suum factum (γεγόμενον)* ex muliere (Gal. 4, 4). — *γ)* Expresse Mater Dei vocatur Maria ab Elisabeth: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* (Luc. 1, 43).

546. II. Eandem doctrinam exhibent *α)* symbola, quae omnia profitebantur fidem in « Jesum Christum Filium Patris conceptum ac natum *(γεννηθέντα)* ex Maria Virgine. » — *β)* Patres tum ae-

quivalenter tum diserte. *Aequivalenter* quidem, cum Verbum secundam generationem ex Maria subiisse testantur, ut s. Ignatius, qui scribit: « Deus noster Jesus Christus parturiebatur a Maria ex semine David (1); uti Dionysius Alex., qui ait: « Una sola Virgo filia vitae genuit vivens Verbum et subsistens » (2); et alii Patres passim, quos longo agmine recenset Petavius. *Diserte* autem B. Virginem Dei genetricem praedicant, cujus rei testes habemus duos Nestorii fautores. Joannes enim Antiochenus haec scribit ad Nestorium: « Hoc nomen (*Dei genetrix*) nemo doctorum ecclesiasticorum repudiavit. Nam et plures eo usi sunt, iique celebres, et qui usi non sunt, utentes non reprehenderunt » (3). Theodoretus autem testatur: « *Antiquissimos* orthodoxae fidei praecones *secundum apostolicam traditionem* docuisse, Matrem Domini dicendam credendamque esse *Dei genetricem* » (4). Hoc apparet etiam ex amara irrisione, qua Julianus apostata christianos exagitabat « quod Mariam *Dei genetricem* appellare non cessarent » (5). — Ex antiquis Patribus nominatim citari possunt Origenes, Dionysius Alex., Methodius, Alexander alex., Athanasius, Eusebius, Basilius, Gregorius naz., qui hanc appellationem frequentarunt (6). Quare concludere licet cum s. Gregorio naz.: « Si quis Christum per Virginem tamquam per canalem fluxisse, non autem in ea divino simul et humano modo formatum esse dixerit, divino, quia absque viri opera, humano, quia humana conceptus lege, aeque atheus est. Si quis formatum hominem fuisse Deumque postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est. Hoc enim non Dei generatio fuerit, sed generationis fuga » (7).

547. III. Ratio vero hujus divinae maternitatis inde peti debet, quod terminus *completus* generationis seu is, qui generatur, est persona, non natura, quae tantum terminus *formalis* est, seu *principium quo*. In Christo vero una est persona eaque divina, regens utramque naturam; unde B. Virgo, qui Christum genuit verum Deum in assumpta carne, est vere Dei genetrix.

548. *Obi.* Filius Dei non potuit generari a B. Virgine, cum sit ab aeterno. Ergo Filius Mariae non est Filius naturalis Dei.

---

(1) Ep. *ad Eph.* n. 7. — (2) Ep. *adv. Paul. Samos.* — (3) Ep. 1. n. 4. — (4) *De haeres.* l. 4. c. 12. — (5) Cyr. Alex. l. 8. c. *Julian.* — (6) Petav. *de Incarn.* l. 5. c. 15. n. 9 et seq. — (7) Ep. 101 *ad Chledon.*

Resp. Dist. antec. Filius Dei non potuit generari a B. Virgine ut Deus est, *conc.;* ut homo est, *neg.* Ut Beata Virgo sit Mater Dei et vere dicatur genuisse Deum et Filium Dei, non necesse est, ut Verbi personalitatem vel divinitatem genuerit, sed satis est, ut natura, quam generavit, fuerit instanti generationis assumpta a Verbo per unionem substantialem ac personalem; nam vi hujus assumptionis terminus adaequatus ejus generatione resultans est homo-Deus, Filius Dei verus et homo. Sic aliae foeminae, quamvis animam rationalem hominis constitutivam non genuerint, vere tamen dicuntur et sunt matres hominis, quia scilicet terminus adaequatus generationis est homo. Sicut igitur ut mulier dicatur mater hominis sufficit ut generet corpus, quod unitum animae constituit hominem: sic ut B. Virgo vere dicatur et sit Mater Dei, sufficit quod genuerit corpus, quod unitum animae constituat hominem, et ille homo eodem instanti uniatur personaliter Filio Dei, vero Deo; nam tunc totalis terminus generationis est homo Deus, Deus homo.

Inst. Maria non est consubstantialis Filio Dei; ergo non est eius Mater. — *Resp. Dist. antec.* Non est consubstantialis Filio Dei secundum naturam divinam et ut Deus est, *conc.*, secundum naturam humanam et ut homo est *neg.* B. Virgo est mater Filii naturalis Dei, non ut Deus est, sed ut homo est. Hinc etiam Filius Dei est Filius Mariae non ratione divinitatis, sed ratione humanitatis Verbo personaliter unitae.

549. Demonstr. ii. p. Ut, quanta sit *Matris Dei* dignitas, rite aestimetur, consideranda est ipsa maternitas tum *ontologice* et per se, tum *moraliter.*

1.° Si B. Virginis maternitas *ontologice* spectetur, in eo est sita, quod operante Spiritu s. pars substantiae virgineae matris, ex qua Christi corpus primum constitutum et postea nutritum et auctum est, hypostatice fuerit Dei Verbo unita et facta ipsius Verbi natura ita, ut Verbum per eam matris substantiam, factum fuerit homo. Hinc vero duplici ex capite maxima redundat in B. Virginem dignitas: *a)* quod inde exurgit *affinitas quaedam naturalis* B. Virginis cum Christo Deo-homine, plane sicuti quivis filius intimam affinitatem physicam habet cum propria matre. Sub ratione maternitatis h. e. ratione termini, ad quem refertur

et a quo suam dignitatem habet, quatenus est maternitas, haec dignitas potest dici infinita. « Filius infinitat Matris bonitatem, inquit Albertus M.; infinita bonitas in fructu infinitam quandam adhuc ostendit in arbore bonitatem. » (1). — *b)* Quod in hac intima affinitate cum Filio Dei, qui est et Filius Virginis, includitur singularis ac plane mirabilis quaedam relatio matris Dei ad Deum Patrem generantem Filium eundem secundum divinam naturam, quem ipsa generavit secundum naturam humanam, et ad Spiritum s., cujus ipse Filius Virginis, ut Deus, est cum Patre principium, et, quatenus homo, fructus quidam atque effectus per Spiritus s. supernaturalem in ipsam Virginem Matrem operationem, quae Spiritui s. tribuitur. Haec porro est veluti *cognatio*, quam Maria per Filium suum habet cum Patre et Spiritu s. etiam hypostatice consideratis. Hanc cognationem describit s. Bernardus: « Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis, sed et Dominus Spiritus s., de quo concipis, et Dominus Pater, qui genuit, quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit et tuum, Filius tecum... Spiritus s. tecum qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum » (2).

2.° Maternitas ista divina spectari potest *moraliter*, h. e. relate ad sanctificationem cum ipsa coniunctam. Maternitas videlicet in se est potius donum gratis datum in ordine ontologico; sed ea est radix et fundamentum plenitudinis gratiarum, quibus ab immaculato conceptu usque ad ejus exaltationem in coelesti gloria B. Virgo super omnes puras creaturas ornata est. Porro sub hoc aspectu tanta est B. Virginis dignitas, quanta gratiarum omnium ex maternitate divina tamquam e radice derivata, plenitudo (3). Hanc vero ut assequaris, teneas quod Patres loquen-

---

(1) In *Mariali* super *Missus est* q. 197; et s. Thomas 1. q. 25. a. 6: « Humanitas Christi, ex hoc quod est unita Deo, et beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, et B. Virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus; et ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid esse melius Deo. »

(2) Homil. 3. *super Missus est*.

(3) Quum divina maternitas radix sit et causa reliquorum donorum, quae B. V. Mariae collata sunt a primo ejus immaculato conceptu usque ad exaltationem in gloria super omnes Angelos et Sanctos, ea se habet ad huiusmodi dona, proportionata ratione, uti *aseitas* in Deo ad alias perfectiones divinas, ac uti *unio hypostatica* in Christo ad gratias et dona alia, quibus humana Christi natura ornatur.

tes de sanctitate et gloria Virginis inter omnes creaturas eminente, passim docent, tam in ordine sanctificationis quam in eo glorificationis plenitudinem gratiarum *a)* amplitudini amoris Dei erga Mariam *b)* muneris nobilitati ad quod fuit electa, *c)* ejusdem propinquitati ad ipsum omnis gratiae auctorem ac fontem commensurasse divinam sapientiam et bonitatem. Quod hac ratione declarari potest. Primum quod attinet, certum est gratiam in animabus justorum esse effectum amoris supernaturalis Dei erga ipsos, quippe qui Deus in eisdem producit bonum quod amat; et illud bonum est gratia; proindeque mensuram in anima gratiarum esse amoris gradum; amorem vero, quo supernaturaliter Deus amat creaturas, commensurandum esse ex supernaturali unione quam quis cum Deo vel habet, vel habere destinatus est; quia Deus directe non amat nisi seipsum, alia a se amat propter seipsum et juxta ordinem, quem ad se habet. Iam vero unionem Mariae cum Deo omnium, quae cogitari possunt, esse arctissimam, ex dictis jam manifestum est: ergo. — Quoad alterum docet s. Thomas (1) « Illos quos (Deus) ad aliquid elegit, ita praeparare et disponere, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei. » Porro cum Maria ad dignitatem Matris Dei fuerit electa, pronum est ex ea proportionatam ad illam gratiarum praeparationem colligere. — Tertium denique ita demonstrat et illustrat idem s. Thomas: « Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii... Christus autem est principium, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter.... B. autem Virgo Maria propinquissima Christo fuit secundum humanitatem, quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo prae ceteris majorem debuit a Christo gratiae plenitudinem accipere. » (2) — Haec porro plenitudo, quae inde a *primo instanti suae conceptionis* in ipsa attendenda est, per fidelissimam gratiis cooperationem, per congruam mysteriis Dominicae incarnationis Dei elargitionem, praesertim in conceptione Verbi et in materna cum eodem per totam vitam conversatione, continua usque ad vitae exitum habuit incrementa.

Merito itaque ab angelo salutari potuit: *Ave, gratia plena*

---

(1) 3. p. q. 27. a. 4. — (2) Ib. a. 5.

(Luc. 1, 28), in quam salutationem Patrum commentaria paucis complectitur Pius IX (Bulla *Ineffabilis Deus)*: « Hac singulari solemnique salutatione numquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse *omnium divinarum gratiarum sedem* omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, imo eorumdem charismatum *infinitum prope thesaurum abyssumque inexhaustum*, adeo ut numquam maledicto obnoxia et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: *Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui* (Luc. 1, 42).

Cum ea gratiarum nexa erat ab illaque promanabat virtutum quoque plenitudo, quarum magistra plene singularis exemplumque excellentissimum omnibus exstitit (1).

---

(1) Has praeclare describit s. Ambrosius (l. 2. *de Virginib.* c. 2. n. 6. sq.): « Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit? Nam de caeteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat, non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum; corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior; non in incerto divitiarum, sed in prece pauperum spem reponens; intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere; nullum laedere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, aequalibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.... Nihil torvum in oculis, nihil in actu inverecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis... Quid ego exsequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam: alterum ultra naturam superfuisse, alterum paene ipsi naturae defuisse; illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos jejunio dies? Etsi quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit; et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat... Haec est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probemus; ut quaecumque sibi ejus exoptat praemium, imitetur exemplum. Quantae in una virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiae, vexillum fidei, devotionis obsequium: virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Haec thorum filii mei, haec thalamos nuptiales immaculato servavit pudore! Quemadmodum eas ipse Dominus commendabit Patri; nimirum illud repetens suum: *Pater sancte, istae sunt quas custodivi tibi, in quibus Filius hominis caput reclinans quievit; peto ut ubi ego sum, et ipsae sint mecum.* (Cf. Jo. 17, 24). »

ARTICULUS II.

De specialibus Dei genitricis privilegiis.

550. In summa gratiarum copia, quam generatim ex divina maternitate ac Virginis dignitate profluxisse vidimus, quaedam eminent privilegia plane singularia. Filii enim praerogativae, debita servata proportione, matris privilegia fiunt. Videlicet, ex summa et omnino divina Filii sanctitate eam matris sanctitatem et gratiam arguis, qua ipsa immunis fuit a quovis peccato sive originali sive actuali et consequenter etiam ab ipso concupiscentiae fomite; item ex aeterna et purissima ejusdem Filii, qua Deus est, generatione a Patre, recte deducis ipsum, etiam qua homo est, purissimam et virgineam habuisse in tempore generationem a matre; pariter ex eo, quod Christus sua virtute post mortem resurrexerit et coelos conscenderit, matrem quoque intelligis, non sua sed Filii virtute, denuo post mortem ad vitam revocatam et ad coelos in corpore assumptam. De his itaque B. Virginis privilegiis distinctis §§. agemus, et quidem 1.° de immaculata Mariae conceptione, 2.° de Mariae ab omni actuali peccato immunitate, 3.° de Mariae perpetua virginitate, 4.° de gloriosa ejusdem corporis in coelum assumptione.

§. 1.

De B. M. Virginis immaculata conceptione.

551. Prop. 77. **Doctrina, quae tenet beatissimam Virginem Mariam, in primo instanti suae Conceptionis, fuisse, singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, est a Deo revelata; atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credenda.**

Est *de fide* ex Bulla dogm. Ineffabilis Deus, ex qua thesis verba desumpta sunt.

Declar. Duo praestabimus, quorum unum *remote,* alterum

proxime ad propositionem declarandam conferunt, scilicet: primo principium quoddam generale, quod saepe in rebus theologicis usu venit, praemittemus, ut robur argumentorum percipiatur et difficultates ex traditione praesertim petitae solvantur; secundo ipsam propositionem, ut dogmatis sensus rite intelligatur, explicabimus. Itaque:

1.° Suppono ut certum, revelationem per Christum et apostolos completam esse et nullum amplius fidei incrementum obiectivum esse expectandum. Ast in deposito fidei seu obiectivae revelationis possunt esse et sunt veritates, quae non semper explicite propositae erant in praedicatione ecclesiastica, sed implicite potius continebantur quaeque saltem aliquo tempore transmittuntur per traditionem implicite in aliis explicitis donec rerum et controversiarum adiuncta postulent, et Spiritus sanctus per magisterium Ecclesiae efficiat explicationem impliciti, declarationem et expolitionem illius, quod minus clarum erat, distinctam definitionem illius, quod minus diserte proponebatur. Hae veritates, de quibus aliquo tempore inter catholicos controvertitur, versari solent, uti iam Augustinus animadverterat, in triplici stadio.

Primum stadium est, quando nulla adhuc exorta controversia neque quaestione adhuc diligenter examinata, caput aliquod doctrinae tenetur vel implicite in professione propositionis universalioris, vel tenetur usu et praxi magis quam theoretica et instanti praedicatione. Sic ab initio in doctrina, qua universali modo docebatur gratiam ad omne opus salutare necessariam esse, continebatur implicite veritas illa, quam Semipelagiani negabant, eam necessariam esse ad initium fidei et ad perseverandum; et usu ac praxi tradebatur doctrina de validitate baptismi ab haereticis collati usque ad tempora Agrippini Episcopi Carthaginensis ineunte saec. III, et de canone Scripturarum sacrarum V. T. usque ad saec. IV iniens. — Alterum stadium est, quando huiusmodi doctrinae caput incipit vocari in controversiam, et ideo examinari et inquiri diligentius. Orta et durante controversia, ex rei natura fluctuatio aliqua inducitur donec paulatim inquisitione ipsa sub assistentia Spiritus s. res ad liquidum deducitur. — Sequitur tertium stadium, quando vel Ecclesiae solemni judicio vel aliter consensu invalescente, de dogmatis revelatione certo constat, illudque quaestione eliquata transit in explicitum in-

tellectum catholicum et in manifestam praedicationem ecclesiasticam.

Hujus generis est etiam veritas de immaculata B. M. Virginis conceptione, triplexque illud stadium in ejusdem quoque propositione obtinuit. Primo, nulla adhuc urgente controversia, hoc doctrinae caput praesertim tenetur implicite in professione veritatis universalioris de omnimoda sanctitate et puritate B. M. Virginis, nec non se manifestat in praxi fidelium et variarum ecclesiarum colendi B. M. Virginis conceptionem. — Dein, exorta per s. Bernardum controversia, saec. XII quaestionem invenimus inter ipsos catholicos vehementer agitatam, ita ut sedula inquisitione sub assistentia Spiritus s. in ipsis scholis catholicis eliquetur. — Postremo successit tertium stadium, in quo solemni R. Pontificis judicio dogma definitum fuit, et iam manifesta diserta et instanti praedicatione in toto orbe terrarum proponitur.

2.° Propositio duo complectitur: *exemptionem* a peccato, et exemptionis *causam*.

a) Quoad *exemptionem α)* dicitur *ab omni originalis culpae labe praeservata immunis*, atque adeo, quum peccatum originale sit mors animae, gratiae sanctificantis vita ornata. *β)* Dicitur *in primo instanti suae conceptionis*, quae verba non sunt intelligenda de conceptione *activa*, quatenus scilicet est opus parentum, sed de *passiva* et quidem non de passiva *inchoata*, quae sit corporis efformatio, sed de passiva *adaequata*, quae est ipsa animae infusio et vocari solet animatio. Ne unum ergo momentum B. Virgo vel ejus anima in peccato et absque gratia fuit. Longissime ergo differt sanctificatio in utero Ioannis ab immaculata conceptione B. M. Virginis.

b) Quoad hujus exemptionis *causam* et rationem *α)* dicitur *singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio* praeservata, quibus significatur Mariam non *jure proprio et virtute sua*, sicuti Christus, sed Dei *gratia* a peccato fuisse exemptam. Unde refellitur vesana incriminatio dicentium dogmate nostro Mariam, ex mera quae sit creatura, divinum quoddam numen effici, quin potius dogmate catholico de immaculato Mariae conceptu expressius declaratur, quidquid sanctitatis et puritatis B. Virgini tribuitur, totum divinae gratiae deberi et in laudem divinae bonitatis cedere. *β)* Et gratia a peccato fuit praeservata non lege providen-

tiae ordinariae, sed *singulari privilegio* (1) Lege enim universali omnes ex semine Adae progeniti filii irae nascuntur, Maria sola hac lege exempta fuit, qua exemptione lex universalis non tollitur sed confirmatur. (2) *γ)* Hoc vero factum esse dicitur *intuitu meritorum Christi,* quibus verbis causa meritoria hujus exemptionis proponitur. Christus ergo sicut universi generis humani ita et matris suae exstitit salvator, sed eminentiori modo eandem redemit, a peccato scilicet eam, non sicut ceteros *reparando,* sed *praeservando.* Unde intelligitur debitum quoddam, saltem remotum (3), contrahendi originale peccatum in Maria fuisse eo ipso, quod redemptione indiguit *praeservativa,* scilicet incidisset in illud malum, nisi per Christi merita praeventa fuisset; non vero illud *actualiter* contraxit, quia non indiguit, sicut

---

(1) Aliqui recentiores auctores ascetici, qui habent pietatem sed non secundum scientiam, sine ullo fundamento theologico somniati sunt de immaculata conceptione b. Joseph *(Vide decretum s. Cong. Indic.* 19 Febr. 1879). Notatu digna est animadversio Suaresii *(de Verb. inc. disp.* 8), qui postquam multa praeclare de laudibus b. Joseph dixerat, concludit (n. 6. sq.): « Nihilominus tamen cordati et prudentis hominis esse existimo, nihil temere aut nimis asseveranter affirmare, quia revera ubi deest Scripturae auctoritas aut Ecclesiae traditio nulla potest esse sufficiens certitudo.... Multo autem minus censeo esse asserenda vel credenda quaedam privilegia, quae nonnulli huic Sancto tribuunt, ut fuisse sanctificatum in utero matris, caruisse fomite vel omni actuali peccato, ut videre licet in Gersone. Haec enim et similia, quae sunt praeter generales canones Scripturae, non sunt sine convincente ratione et magna auctoritate Ecclesiae vel ss. Patrum approbanda. » Egger *op. cit.* n. 315.

(2) Ceterum in aliis quoque Maria a lege communi eximitur, ut v. g. in fomite, in dolore partus, in morte etc.

(3) Duplex distinguitur peccati originalis contrahendi debitum, *proximum,* et *remotum. Proximum* situm est in inclusione illius legis, qua Adam constitutus fuit *caput morale* totius humanitatis, ita ut eo peccante, omnes in lege inclusi peccarent. *Remotum* situm est in ortu ab Adamo per viam naturalis generationis, ita ut omnes, qui sic ab eo descendunt, includi debeant in illa lege, nisi speciali privilegio excipiantur. Hinc, si assereretur in B. Virgine debitum *proximum,* incurrisset necessitatem contrahendi peccatum, quatenus, Adamo peccante, ipsa, sicut ceteri, in eo peccavisset: deinde tamen ex speciali privilegio, intuitu meritorum Christi, praeservata fuit *ab actuali infectione peccati.* Si vero asseratur in ea solum *debitum remotum,* habuit necessitatem peccandi, quatenus naturali generatione ab Adam descendens, inclusa fuisset in illa lege: ex speciali tamen privilegio, intuitu meritorum Christi, praeservata fuit immunis sicut ab actuali infectione peccati, *ita etiam ab inclusione sub lege, qua Adamo peccante, omnes peccaverunt.* Theologi alii remotum tantum, alii etiam proximum asserunt debitum. Cf. Mazzella, *de Deo Creante* n. 1129 et sq.

ceteri homines, redemptione *reparativa,* qua scilicet quis liberatur a malo in quod inciderat.

552. Demonstr. i. *a)* (Gen. 3. 15): *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum; et tu insidiaberis calcaneo ejus* (1). Docet Ecclesia *serpentem,* ad quem verba diriguntur, esse diabolum; *mulierem,* veluti antonomastice, B. Virginem Mariam; *semen mulieris,* esse Christum; *semen* vero *serpentis* esse peccatum et peccatores, qui peccando fiunt veluti *filii diaboli.* Jam vero in hoc oraculo duplex veluti sistitur acies: ex una parte diabolus et asseclae ejus, ex altera Christus et mater ejus B. Virgo Maria; et status, qui inter utramque aciem viget, est status belli et inimicitiae: uti iunguntur daemon et semen ejus tamquam unum quid et indivisibile, ita et mulier et semen ejus uniuntur hic tamquam unum quid et indivisibile, communisque et eadem est inimicitia contra Satanam communisque et idem contra Satanam triumphus. Hisce positis sic argumentamur: *a) ex identitate inimicitiarum.* Eadem inimicitia praenuntiatur tum inter semen mulieris et daemonem, tum inter daemonem et mulierem ipsam. Atqui inimicitia inter semen mulieris (Christum) et daemonem est absoluta et perpetua; ergo pariter absoluta et perpetua est inimicitia inter daemonem et mulierem (Mariam). Sed talis non fuisset haec inimicitia, si vel unum instans V. Maria fuisset in peccato ideoque inimica Dei et amica daemonis: ergo. — *β) ex identitate triumphi.* Triumphus de serpente ejusque semine indenticus est Christo et Mariae; sed Christi triumphus fuit perfectus, semper enim contrivit caput serpentis; ergo etiam Mariae triumphus perfectus fuit, ac proinde nunquam daemonis imperio subiacuit. Discrimen tantum est, quod Christus per se, Maria per Filium suum triumphum retulit.

b) Idem eruitur ex verbis, quae angelus et Elisabeth divino acta Spiritu ad Mariam dirigunt: *Ave, gratia plena, benedicta*

---

(1) Transmittimus deductionem illam, quam nonnulli urgent ad dogma probandum ex lectione vulgatae *Ipsa conteret caput tuum* tum quia fusior requireretur disputatio de lectione illius versus, (alii legunt *ipsa,* alii vero *ipsum* aut *ipse* legendum censent), tum quia verba illa potius nobis exprimere videntur actionem et opera, quibus B. Virgo et Christus Dominus regnum diaboli destruxerunt.

tu inter mulieres (Luc. 1. 28). Cum verba haec nullam admittant restrictionem, plenitudo gratiae non solum intensive, sed *extensive* quoque intelligenda est, ita ut nullum sit instans, in quo Maria gratia plena non fuerit. Item cum Virgo inter mulieres Evae maledictioni subiectas praedicatur benedicta, hoc ipso ab Evae maledictione excluditur.

c) Sunt et alia testimonia quae Patres et Ecclesia antiquissimo usu sensu *accomodato* applicant ad Mariam, quod facere nequivissent, nisi eam ab omni prorsus labe liberam credidissent. Praecipua sunt: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (Cant. 2. 2); *Tota pulchra es amica mea et macula non est in te* (Ib. 4, 6); *Una est columba mea, perfecta mea* (Ib. 6, 8), et multa ex psalmis. — Huc referuntur *figurae* et *typi*, quibus Deiparae illibatam innocentiam et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenuntiatam fuisse, Patres tradiderunt. Praecipui sunt: *arca* Noë a communi naufragio plane salva; *scala* Jacob de terra ad coelum usque pertingens, cujus vertici ipse innitebatur Dominus; *rubus* inter flammas incombustus; *inexpugnabilis turris; hortus* conclusus, qui nescit violari; coruscа Dei *civitas*, cujus fundamenta in montibus sanctis; augustissimum Dei *templum* divinis refulgens splendoribus, plenum gloria Domini; aliaque ejusdem generis omnino plurima (1).

553. II. Ex traditione vero probatur *a)* ex *Patribus*, quorum doctrina ad haec capita revocari potest: *α)* B. Virginem frequenter cum Eva comparantes urgent oppositionem inter utramque in eo sitam, quod haec maledicta esset et maledictionis causa, illa omni ex parte benedicta et benedictionis causa. Ita Irenaeus, Iustinus, Ephraemus aliique. — *β)* B. Virginem salutant innocentem et immaculatam penitusque illibatam (Germanus); solam puram solamque sine macula (Damascenus); solam filiam vitae (s. Modestus); quae ipsorum coelestium spirituum nitentissimam puritatem immenso intervallo superat (Germanus), quae nitet ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi (Anselmus); lilium inter medias spinas germinans (Theodotus); terram immaculatam ex qua novus Adam formatus est (presbyteri Achajae); lignum immarcescibile (s. Hip-

(1) Cf. Bullam *Ineffab. Deus.*

polytus M.); thronum sanctum quem sibi Deus praeparavit (Graeci *in menaeis* die 8 sept.); germen semper viride semperque floridum (Andreas cretensis). — *γ)* Disertius eam vocant virginem ab omni integram labe peccati, uti Ambrosius (1); Virginem Christo oppignoratam in utero cum fieret, ut Petrus chrys. (2); nulli unquam culpae affinem, ut s. Saba (3); Dieparam omni tempore puram uti Copti (4); civitate munitissimam, in qua numquam dominatum est peccatum, ut Syri (5). Huc pertinet etiam insigne illud Augustini testimonium: « Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini *nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem*.... Inde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum *omni ex parte peccatum,* quae concipere et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum, » (6) disertissimaque s. Paschasii Radberti sententia: « Nullis, quando nata est, subiacuit delictis, *nec contraxit in utero sanctificata peccatum originale* » (7). — Hae porro laudes et celebrationes cum originalis peccati macula conciliari nequeunt, immaculatamque conceptionem vel supponunt vel includunt.

b) Ex festo conceptionis, considerata simul R. Pontificum hac in re *agendi ratione.* Festum illud jam saec. V in Ecclesia orientali celebrari coeptum, ut liquet ex *Typico* s. Sabae, saec. vero X erat in eadem Ecclesia solemne et commune, deinde vero per omnes etiam occidentis Ecclesias propagatum est. Jam vero ut docent ss. Augustinus et Thomas Ecclesia non celebrat et colit nisi quod sanctum est. — Ipsi Pontifices tale festum omni studio promoverunt suamque mentem tum circa illud tum circa ejusdem obiectum non semel manifestarunt. Sixtus IV a. 1476 festum conceptionis celebrantibus indulgentias concessit, et a. 1482 reprobavit assertiones eorum, qui affirmare praesumerent, Romanam Ecclesiam dumtaxat de spirituali conceptione et sanctificatione festum celebrare, quae tempore naturalem conceptionem subsecuta est. Tridentini Patres a. 1546 declararunt « non esse suae intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et immaculatam V. Mariam

---

(1) Serm. 22 *in Ps.* 118. n. 30. — (2) *Serm.* 140. — (3) *Ode* 2. *ad Deiparam.* — (4) In eorum *theotoch.* — (5) *In proëm.* 1. Noct. in *festo nativ.* — (6) *De nat. et grat.* c. 36 — (7) *In partu Virginis.*

Dei genetricem, sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis Sixti IV, sub poenis in ejus constitutionibus contentis, quas innovat » (1). Pius V Festum extendit ad universam Ecclesiam damnavitque Baii prop. 73 asserentem quod: « Nemo praeter Christum est absque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum. » Paulus V. a. 1616 prohibuit, ne quis *publice* conceptionem Mariae pollutam assereret; Gregorius XV prohibitionem extendit etiam ad privata colloquia et scripta. Idem confirmavit Alexander VII, et Gregorius XVI concessit, ut in praefatione Missae et in litaniis lauretanis *immaculatus ejusdem Virginis proclamaretur conceptus.* Verissime itaque R. Pontifices opinionem huic doctrinae contrariam « multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt » (2).

c) Ex sensu fidelium. Negari nequit inde a saec. XII. invaluisse in Ecclesia fidem explicitam de immaculatata B. Virginis conceptione et gradatim totam Ecclesiam pervasisse, non modo *occidentalem,* sed etiam *orientalem,* tam orthodoxam quam schismaticam, ita ut ante definitionem et tot centenis pastoribus vix unus aut alter de ea dubitet. Crevit haec persuasio non obstante auctoritate ss. Bernardi et Thomae (3), qui huic sententiae contrarii credebantur; in eamque conspirant non solum rudes sed *doctissimi* quique, non solum viri privati sed integrae studiorum *universitates,* non solum oves sed et *pastores* et *pastorum principes,* R. Pontifices; neque vero conspirant levitate ducti, sed *ex-*

---

(1) *Sess.* 5. *can.* 5. — (2) *Bulla dogm.* Pii IX.

(3) S. Bernardus a. 1140 scribens ad Canonicos Lugdunenses, improbat imprimis festum de immaculata conceptione, in ea Ecclesia tunc institutum, eo praesertim, quod sine apostolicae sedis auctoritate id factum esset. Deinde animadvertens cultus obiectum debere esse sanctum; quaerit utrum sancta fuerit B. V. Mariae conceptio; et videtur illud negare. Verum s. Bernardus intelligi congrue potest de conceptione *activa,* de qua scribit Contenson (*Mariologia;* Theol. l. 10, dissert. 6. c. 1): « Sciendum est corpus Marianum more solito conceptum et formatum fuisse, fingere enim miraculosa et Patribus incognita miracula, quibusdam novatoribus placentia, non decet; nec enim fictitiis et phantasticis eget honoribus immensa Mariae gloria, quae veris abundat. » — De mente vero s. Thomae quoad hanc quaestionem, utrum scilicet a sententia, quam in 1. sent. dist. 44. q. 1. a. 3. tradit: « Talis fuit puritas Virginis, quae a peccato originali et actuali immunis fuit; » recesserit, vel in ea perseveraverit cf. Mazzella *de Deo* Creante n. 1121 et sq. et Jungmann *de Deo Creatore* n. 403 et sq.

cussis rationum momentis, non tacite et speculative tantum, sed *solemniter* et *practice*, libris scriptis, institutis congregationibus et festis, fusis precibus, *murmure* populi fidelis de sententia opposita. Atqui, misso etiam quod philosophice universalis haec persuasio explicari nequit, nisi ei subesset veritas, ratio ipsa theologica satis indicat, consensionem hanc in ipso Ecclesiae sinu invalescentem et gradatim ubique praevalentem, si ei subesset error, conciliari non posse cum ea Ecclesiae infallibilitate *passiva*, qua populus christianus sub iugi assistentia Spiritus s. in sua communi fide ab omni praeservatur errore. Illi igitur fidelium persuasioni *veritatem certe subesse* dicendum est, quae cum sit per se veritas *supernaturalis*, non aliunde quam ex revelatione primitiva originem habere potuit (1).

554. III. Tres dogmatis praecipuas *congruentiae* rationes, relationem nempe Virginis ad Patrem, ad Filium, et Spiritum s. ita proponit cit. Bulla: « Decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus s. voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit » (2).

555. **Corollarium.** 1. *B. Virgo a fomite concupiscentiae fuit immunis* — Deficiente enim causa, effectus quoque abesse debet. Hic enim quamvis in renatis peccatum formaliter non sit, tamen ex peccato est et ad peccatum inclinat, et a theologis *materiale* peccati nuncupatur. Habet itaque magnam indecentiam, adeoque ab eo eximi debuit ea, quae tanta puritate nitebat, qua major sub Deo intelligi nequit, quaeque, ut statim videbimus, ab omni veniali peccato fuit immunis. — Ceteras vero poenalitates, ut mortem et vitae aerumnas Maria pertulit quidem non ad poenam

---

(1) Cf. Hurter n. 449 et sq., et Sala t. 3. n. 74.

(2) Has rationes et illas cum his consertas ex titulo *Reginae Angelorum*, et ex efficacia redemptionis petitas cf. apud Monsabrè op. cit. *Conf.* 30, cui titulus: *Il Paradiso dell' Incarnazione.*

sed ad meritum. Docent enim Patres, non decuisse ut mater iis careret poenalitatibus, quibus pro nobis sese subiecit Filius.

Corollarium 2. *Maria fuit immunis ab omni vel levissimo peccato veniali.* Ita docet contra Protestantes conc. Tridentinum (sess. 6. can. 23): « Si quis hominem semel justificatum dixerit.... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, *quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia,* a. s. » Hoc probant omnia argumenta superius allata, cum peccatum actuale majorem adhuc indecentiam includat, quam originale. Hoc diserte tradunt Patres, inter quos s. Bernardus haec scribit: « Copiosior sanctificationis benedictio in eam descendit, quae ipsius non solum significaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum reginam virginum singularis privilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam, quae dum peccati mortisque pareret redemptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtinuerat » (1) Consentit universa schola (2). — Porro B. Virgo in hac vita non fuit impeccabilis ab intrinseco per visionem beatificam, aut unionem hypostaticam, sed *per confirmationem in bono et in gratia.* Habuit enim talia dona et auxilia gratiae, ut infallibiliter nunquam peccaret. Et hoc est speciale privilegium, quod juxta Trident. illi concessum est.

---

(1) *Epist.* 174.

(2) S. Thomas has reddit rationes theologicas p. 3. q. 27. a. 4: « Illos, quos Deus ad aliquid elegit, ita praeparat et disponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei, secundum illud (2 Cor. 3, 6.): *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Beata autem Virgo fuit electa divinitus, ut esset mater Dei. Et ideo non est dubitandum, quin Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit. secundum quod angelus ad eam dicit (Luc. 1, 30): *Invenisti gratiam apud Deum: ecce concipies* etc. Non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando; tum quia honor parentum redundat in prolem, secundum illud (Prov. 17, 6): *Gratia filiorum patres eorum;* unde etiam per oppositum ignominia matris ad Filium redundasset; tum etiam, quia singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit. Dicitur autem (2. Cor. 6. 15): *Quae conventio Christi ad Belial?* tum etiam, quia singulari modo Dei Filius, qui est Dei Sapientia, in ipsa habitavit. non solum in anima, sed etiam in utero. Dicitur autem (Sap. 1, 4): *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ideo simpliciter fatendum est, quod B. V. nullum actuale peccatum commisit, nec mortale, nec veniale, ut sic in ea impleatur quod dicitur (Cant. 4, 7.): *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* »

§. 2.

De perpetua Mariae virginitate.

556. Prop. 78. **Beatissima Dei genetrix Maria, Virgo concepit, Virgo peperit, iugiterque Virgo inviolata permansit, ideoque dignissima est, quae semper Virgo salutetur.**

Declar. Thesis tria distincta dogmata enuntiat, scilicet Mariam fuisse Virginem ante et in ipsa conceptione, in partu et post partum. Primum negarunt Ebionitae, Sociniani, et Rationalistae, alterum Iovinianus, tertium Elvidius.

Est *de fide* quoad omnes partes, ut constat ex symbolo apostolico in quo profitemur Filium Dei « conceptum de Spiritu s., natum ex Maria *Virgine*; » ex conc. Later. (a. 649 sub Mart. I) can. 3: » Si quis secundum ss. Patres non confitetur proprie et secundum veritatem Dei genetricem sanctam semperque Virginem immaculatam Mariam.... absque semine concepisse ex Spiritu s., et incorruptibiliter eam genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem virginitate, a. s.: et ex Constp. III (a. 680), in quo celebratur: « Mariae illibata virginitas, *ante partum, in partu, et post partum interminabilis.* »

Demonstr. i. p. — Duo Evangelistae, i. e. Lucas et Matthaeus, cujusmodi fuerit conceptio Domini nostri, accurate referentes *a)* insistunt, absque opera viri Jesum Christum esse conceptum et genitum ex ss. matre per Spiritum s. foecunda, idque repetunt tam diligenter, ut Matthaeus praesertim scopum polemicum jam tunc prae oculis habuisse videatur (1). — *b)* Disertis verbis totum virginitatis decus integrum illibatumque servatum esse demonstrant. Nam angelus apud Luc. 1, 34. Mariae, ut eam securam redderet in sua voluntate, quam expresserat, non cognoscendi virum, exponit modum supernaturalem conceptionis, qui, salva virginitate, fiet opera Spiritus sancti, huicque paral-

---

(1) Ex scopo bene demonstrandi Josepho nullas partes fuisse vel esse potuisse in generatione virginea Jesu Christi, explicatur modus loquendi: *et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum* etc.

lelam expositionem mysterii ab Angelo delatam s. Joseph, ut illum de utero ejus turbatum redderet tutum, refert Matthaeus 1. 19 — *c)* Idem luculenter continetur celebri (Is. 7. 14). oraculo: *Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (hebraice: « Ecce ipsa Virgo praegnans et pariens, et vocabit nomen (rem, *Esse*) ejus nobiscum Deus). Oraculum hoc esse messianum patet primo ex duplici natura divina et humana filii (Emmanuel); dein ex praedicatis, quae ipsi in sequentibus tribuuntur; nam c. 8. dicitur esse is, cujus est terra Israel, nempe promissus Messias, et c. 9. salutatur *admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri saeculi, princeps pacis;* tandem peremptorie ex interpretatione Matthaei 1. 22, sq., qui illud ad Christum ejusque mirabilem conceptionem et nativitatem refert. His praemissis, hoc prodit ex illis verbis argumentum. Mater Emmanuelis dicitur *ha alma,* quae vox in sex locis, ubi occurrit, significat *virginem veram;* hic vero ponitur cum articulo ad significandam ejus in virginitate singularem excellentiam *(ἡ παρθένος).* Atqui haec dicitur Virgo non in sensu diviso, sed in sensu *composito,* i. e. incolumi manente virginitate conceptura parituraque Emmanuelem: ergo. *Prob. minor.* Id exigunt *a)* ipsa verba in se inspecta. Quum enim dicit: *Ecce Virgo praegnans et pariens,* eam, quam velut praesentem propheta intuetur, virginem esse significat, dum jam praegnans est et pariens; quî enim, ni ita esset, appellare eam *alma* potuisset? Deinde velut duo adiectiva cum *alma* connectuntur participia *praegnans* et *pariens* (hara et jolodeth), ita ut propriam istius Virginis rationem ea exhibere manifesto appareat. *β)* Ipsa ratio *signi,* quae huic partui inest. Solemnissimis enim verbis Isaias annuntiat, signum mirabile, quod petere Achaz noluerat, Dominum ipsum daturum (1); atque hoc signum futu-

---

(1) Ut regis Achaz fiduciam in divinam protectionem accenderet Isaias nomine Dei eum invitat, ut, quod velit, eligat signum mirabile, quo, quae dixerat propheta, confirmationem acciperent. *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Dubio procul Isaias miraculum presse dictum et in praesentia patrandum regi offerebat. Hic vero, quodcumque eum ad hanc responsionem movit, respondit: *Non petam et non tentabo Dominum.* Qua audita responsione Isaias dixit: *Audite ergo domus David.... Propter hoc dabit Dominus ipse signum. Ecce Virgo etc.* Quum, ita propheta, Achaz recuset miraculum petere, et hac sua recusatione Dominum offendat, Deus ipse annuntiat ei signum, stupendum sane et mirabile, concep-

rum esse Virginem concipientem et parientem. Atqui virgo, quae non *ut Virgo* concipit et parit, sane non est signum mirabile, quum nihil mirabile in eo sit, quod conjux aut sponsa aut puella simpliciter pariat. *γ)* Denique hunc locum sensu *composito* Iudaei usque ad controversias adversus christianos, christiani semper et, quod maximum est, Matthaeus intellexerunt.

557. Demonstr. II. p. I. Non minus stupenda, quam Virginitas Beatissimae Matris in conceptione Christi, est ejusdem Virginitas in partu. Haec porro illibatam dicit virginei corporis in partu integritatem, nominarique solet virginitas materialis, quae sine miraculo una cum editione prolis in lucem consistere nequit. Sane *a)* verba ecce *Virgo praegnans*, constat ex demonstratis, sumenda esse sensu composito, quatenus non solum ante conceptum, sed et post conceptum praegnans virgo sit intemerata. Atqui eâdem sermonis continuatione eâdemque constructione hebraica cum verbis *Virgo praegnans* coniunguntur *Virgo pariens:* ergo ex conceptu et partu, utroque virgineo, prodigium illud constat. *b)* Quod confirmant Evangelistae. Quod enim Angelus beatissimo Joseph revelaverat, de Spiritu s. esse, quod in ejus sponsa natum sit; atque hanc parituram esse filium, qui sit Salvator: id totum factum esse testatur Mattheus, ut vaticinium de Virgine praegnante et pariente adimpleretur. Sed vaticinium de Virgine praegnante eatenus Mattheus docente impletum est, quatenus Maria supernaturali modo ut Virgo concepit. Ergo idem vaticinium, ut est de Virgine pariente, eatenus completum est, quatenus Maria supernaturali modo ut Virgo partum edidit. Item apud Lucam verbis Angeli annunciantis: *ecce concipies et paries* cum sint ipsa applicatio prophetiae Isaiae, subintelligi debet nomen et proprietas *virginis.* Et rursus, sicut sollicitudo Mariae de servanda virginitate referebatur ad utrumque ei nunciatum: *concipies et paries;* ita ad utrumque securitas ab Angelo data extendi debet.

558. II. *a)* Inde ab aetate apostolica ex fide omnium symbolorum et liturgiarum tam orientalium quam occidentalium Beatissimam Matrem omnium ore tamquam appellatione propria

---

tionem scilicet et nativitatem virgineam Emmanuelis, seu *θεανθρώπου.* Cf. Stentrup. th. 11.

salutatam deprehendimus *Virginem, semper Virginem, Virginem matrem.* – *b)* Jovinianus, cujus doctrina erat: Virgo concepit, sed non virgo genuit, tum a s. Siricio P. tum a conc. Mediolanensi damnatus fuit, ex cujus sententia s. Ambrosius ad Siricium scribit: « Haec est virgo, quae in utero concepit virgoque peperit filium suum. Sic enim scriptum est: Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium. Non enim concepturam tantum virginem, sed et parituram dixit. » (1). — *c)* Patres, quorum testimonia collegit Petavius (2), card. Franzelin aliique, non solum cum Leone M. docent: « Nova autem nativitate genitus est, conceptus a virgine, natus ex virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis iniuria; quia futurum hominem Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiae auctorem et humanae carnis inquinamenta nesciret » (3); sed et praeclaris comparationibus mysterium illustrant. Sicut, inquiunt, Pater aeternus citra ullam corruptionem genuit ab aeterno Verbum, sicut mens humana purissime concipit paritque verbum internum, sicut in oculi pupillam incidit radius et sine ulla laesione nascitur obiecti visibilis imago, sicut Christus illaeso sigillo prodit e sepulchro; ita Verbum, illaeso virginitatis sigillo, citra ullam corruptionis vel laesionis maculam, prodit caro factum ex utero Virginis. — Si vero quandam hujus mysterii quaeras intelligentiam, non videtur congruentius concipi posse, quam si participationem aliquam proprietatum, quales sunt corporum glorificatorum, corpori virginali matris a Filio concipias communicatam, et in ea veluti anticipatam, non quidem habitualiter sed transeunter in ipso tantummodo partu et ad hunc scopum.

559. **Corollarium.** Cohaeret cum dogmate de virginitate B. Mariae in partu communis et constans doctrina Patrum, Mariam absque gravamine tulisse, et absque dolore et immunditia peperisse. S. Bernardus: « Sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit » (4). Egressus est itaque in lucem Christus ex utero clauso matris, sicut postmodum ex utero terrae renascens, sepulchro clauso et non per-

(1) *Ep. synod. mediol.*, inter Ambros. 42. — (2) *De Incarn.* l. 14. c. 5. — (3) Serm. 11. *de nativ.* c. 2. — (4) Serm. *in illud Apoc.* c. 12: *Signum magnum apparuit in coelo.*

fracto lapide mirabiliter evasit: quaemadmodum fere solaris radius purissimum transmeat crystallum.

560. III. Rationes congruentiae affert s. Thomas: « Hoc competebat, inquit, proprietati ejus, qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Nam Verbum in corde non solum absque corruptione concipitur, sed etiam absque corruptione ex corde procedit. Unde ut ostenderetur, quod illud esset corpus ipsius Verbi Dei, conveniens fuit ut de incorrupto virginis utero nasceretur... Secundo hoc est conveniens quantum ad effectum Incarnationis Christi. Nam ad hoc venit, ut nostram corruptionem tolleret; unde non fuit conveniens, ut virginitatem matris nascendo corrumperet.... Tertio fuit conveniens, ne matris honorem nascendo diminueret, qui parentes praeceperat honorandos » (1).

561. Demonstr. iii. p. « Quis unquam, scribit s. Epiphanius, ullo tempore extitit, qui s. Mariae nomen appellare auderet, et non rogatus subinde Virginis vocabulum adiiceret?.... Sic s. Maria Virgo nuncupatur, nec appellatio ista aliquando commutabitur. Haec enim perpetuo incorrupta permansit. » (2) Haec persuasio populi christiani constans et universalis constat etiam ex operibus vetustissimorum Patrum (3), ex symbolis et monumentis liturgicis. Jam vero persuasio, quae vinculo adeo intimo cum ipso nomine christiano coniuncta est, ut separari et avelli ab eo prorsus nequeat, non veritatis utcunque, sed veritatis revelatae, cujus nempe ille idem est auctor, qui christianae religionis est institutor, evidens est et ineluctabile argumentum — Cui conclusioni novum pondus accedit ex modo, quo veteres in eos se praebent, qui impuro et impio ore beatissimae Matri virginitatem post partum servatam detrahere ausi sunt. Origenes, commemorato quopiam, qui idem, quod postea Helvidius, senserat; hanc sententiam appellat *insaniam* et *haeresim* (4); Ambrosius, qui data opera Bonosum refellit, eandem opinionem vocat *sacrilegium* (5); Hieronymus, qui integro libro Helvidium

---

(1) 3. q. 28. a. 2. — (2) *Haer.* 78. in ep. *adv. Antidicomarianitas.*

(3) « Nunquid non possem, inquit Hieronymus *contra Helvidium* n. 17, tibi totam veterum scriptorum seriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenaeum, Iustinum martyrem multosque alios apostolicos et eloquentes viros? »

(4) Hom. 7. *in Lucam.* — (5) *De institut. virg.* c. 5–9.

confutat, *scelus, blasphemiam, caecum furorem* (1); Epiphanius *vanum commentum* et *blasphemam suspicionem contra s. Mariam semper Virginem*, et *temeritatem omnem improbitatem impietatemque superantem* (2); Gennadius *insaniam et blasphemiam* (3). Iam vero sententia, quam Patres insaniam, perfidiam, scelus, blasphemiam declarant, haberi debet revelato dogmati adversa. Ad ipsas quoque scripturas appellant Patres. Argumentantur ex commendatione matris a moriente Filio facta Joanni; ex singulari prorsus modo, quo ipsa ab Isaia ἡ παρθένος celebratur; ex certa et revelata ejus in conceptu et partu Salvatoris Virginitate; ex responso, quod Maria dedit Angelo annuncianti incarnationem, quod de certa Mariae voluntate servandi integrum virginitatis decus nuncupato voto interpretantur (4). Atque hac sententia veterum probata vaticinium (Is. 7. 14) tota sua luce splendet, quum isto voto natura velut ipsa Mariae appareat virginea et virgineum totum ejus esse.

562. Rationes congruentiae praecipuas ita complexus est s. Thomas: « Respondeo dicendum, quod absque omni dubio detestandus est error Helvidii, qui dicere praesumpsit, matrem Christi post partum a Joseph esse carnaliter cognitam et alios filios genuisse. Hoc enim primo derogat Christi perfectioni, qui secundum divinam naturam *unigenitus* est Patris, tamquam perfectus per omnia Filius ejus: ita decuit, ut esset *unigenitus* matris, tamquam perfectissimum germen ejus. Secundo hic error iniuriam facit Spiritui s., cujus sacrarium fuit uterus virginalis,

---

(1) *Contr. Helvidium* n. 13 et 15. — (2) *Haeres.* 78. n. 5 et 23. — (3) *De eccles. dogm.* c. 69.

(4) Cf. Petavium *De Incarn.* l. 14. c. 2. — Bellarminus l. 2 *de monach.* c. 22: « Illa verba (Quomodo fiet istud etc.) non significant: actu non cognoscere, sed non licet mihi cognoscere, alioquin ineptissima interrogatio fieret, cum posset statim respondere: etsi nunc virum non cognoscis, tamen paulo post cognosces. Itaque sicut dicimus in quadragesima: ego non vescor carnibus, i. e. non licet mihi hoc tempore carnibus vesci, sic B. Virgo dixit: virum non cognosco, i. e. prohibeor virum cognoscere. Cur autem prohiberetur, nulla ratio potest reddi, nisi votum; nam virum habebat, iuvenis erat... etc. » Et paulo post: « Non promittitur ei conceptus praesens aut praeteritus, sed futurus: *Ecce concipies.* Ad futurum autem conceptum non requirebatur, ut cognovisset, sed ut cognoscere posset ac vellet in futurum; quare nulla omnino sponsa, nisi forte amens a praedicente aliquo conceptum quaereret: Quomodo fiet istud, quoniam virum nondum cognosco; responderetur enim ei: Si nondum cognovisti, postea cognosces. »

in quo carnem Christi formavit; unde non decebat, quod de cetero violaretur per commixtionem virilem. Tertio derogat dignitati et sanctitati matris Dei, quae ingratissima videretur, si tanto filio contenta non esset: et si virginitatem, quae in ea miraculose conservata fuerat, sponte perdere vellet per carnis concubitum. Quarto etiam ipsi Joseph esset ad maximam praesumptionem imputandum, si eam, quam revelante Angelo de Spiritu s. Deum concepisse cognoverat, polluere attentaret. Et simpliciter est asserendum, quod mater Dei sicut Virgo concepit et virgo peperit, ita etiam et virgo post partum sempiterno permansit » (1).

563. **Corollarium.** Quamquam Christus de Spiritu s. est conceptus, non tamen ejus Filius dici potest. Nam ad veram generationem requiritur, ut genitus procedat ex substantia et in similitudinem generantis. Sed « Christus, inquit s. Thomas, conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei; et dicitur ejus Filius. Christus autem secundum quod homo conceptus est de Spiritu s. sicut de activo principio, non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo; et ideo Christus non dicitur Filius Spiritus s. » (2). — Operatio itaque Spiritus s. non per modum generationis facta est, cum nequaquam de sua substantia produxerit sibi naturam similem; sed fuit mirabilis quaedam efficacia, Virginis visceribus divinitus conferens foecunditatem. Porro haec operatio, utpote opus ad extra, totius quidem Trinitatis fuit; quatenus autem opus est amoris et foecundationis, speciali ratione Spiritui s. tribuitur.

564. *Obj.* 1. Mariae virginitati in partu repugnat, quod legitur (Luc. 2, 22. 23): *Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* — *Resp.* Distinguendum est *obiectum, quod* significatur, a *modo, quo* significatur. *Obiectum significatum* est hoc: Omne masculinum *primogenitum* Deo est offerendum. *Modus, quo significatur*, desumitur ex eo, quod, quum primus infans nascitur, naturaliter accidit et or-

(1) 3. q. 28. a. 3. — (2) L. c. q. 32. a. 3.

dinarium est; atque secundum hoc masculinum primogenitum dicitur *adaperiens vulvam.* Ut igitur lex ad Christum extendatur, requiritur tantum, ut primo natus sit. Quare ex eo, quod legem istam mosaicam a Beatissima Matre et Christo Domino observatam scribit Lucas, inferre non licet, partum Mariae virgineum non fuisse.

Obi. 2. Post partum Maria Virgo non permansit, nam (Matth. 1, 18 sq.) legitur: *Antequam convenirent.... et non cognoscebat eam donec peperit Filium suum primogenitum.* Ita Helvidius. — *Respondit* ei s. Hieronymus: Scriptura, quid factum non sit ostendit; sed quid factum postea sit non dicit. Scilicet quamvis voces *donec, dum, usque, antequam* saepe consequentiam indicent, tamen nonnunquam non quid postea, sed tantum quid antea factum vel non factum sit, significant. Ut si dixerimus: Helvidius antequam poenitentiam ageret, morte praeventus est, non sequitur, quod post mortem poenitentiam egerit; vel cum dicitur (Ps. 109): *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos etc.,* non significatur, Christum post inimicorum subiectionem non amplius a dextris Dei sessurum esse. Eodem modo dicitur (Apoc. 2): *Id quod habetis, tenete donec veniam;* et (2. Reg. 6): *Michol filiae Saul non est natus filius usque in diem mortis suae.* — *Primogenitus* vero in Scriptura non tantum is dicitur, post quem alius, sed aliquando etiam ille *ante quem nullus* est genitus. Sic sapientia aeterna dicitur primogenita, licet sit unigenita; et (Ex. 13, 1. sq.) omnia primogenita iubentur Deo donari, ubi certe etiam unigenita intelliguntur.

Obi 3. In evangelio commemorantur *fratres, sorores* Christi. — *Resp.* Fratrum nomine intelliguntur more Judaeorum consanguinei Christi: sic Abraham et Loth, Laban et Jacob vocantur fratres (Gen. 13. 8; 29. 15). Et sane inter fratres Domini nominatur etiam apostolus Jacobus (Gal. 1. 19): *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.* Hic autem fuit filius Alphaei (Clopas) et Mariae sororis vel cognatae B. Virginis (Matth. 10, 3; Jo. 19, 25). Unde Trident. (sess. 14) dicit sacramentum extremae unctionis « per Jacobum Apostolum, fratrem Domini » fuisse promulgatum.

565. Scholion. De *B. Virginis matrimonio cum s. Josepho.* Certum est ex communi Patrum et theologorum doctrina matri-

monium verum et ratum inter Mariam et Joseph intercessisse. Verba enim evangelii: *desponsata uxor, conjux, vir Mariae, accipere coniugem, dimittere eam* in sensu obvio verum matrimonium significant. Hac de re ipsi quoque Judaei persuasi erant, unde *Jesus putabatur filius Joseph.* (Luc. 3, 23). Nec refert, quod ambo virginitatem servaverint, nam matrimonium *dominium* quidem, minime usum necessario importat. « Non, ait Ambrosius, defloratio virginis facit coniugium, sed pactio coniugalis » (1); et Augustinus: « Quibus vero placuerit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum abstinere, absit, ut inter illos vinculum coniugale rumpatur, imo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, quae carius concordiusque servanda sunt non voluntariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum » (2). Praeterea sola desponsatione famae B. Virginis non satis fuisset provisum.

Conveniens autem fuit hujusmodi matrimonium, ait s. Thomas (3), tum propter Christum, tum propter Mariam, tum propter nos. — Conveniens fuit propter Filium, *a)* quia Christus non debebat tamquam illegitime natus videri infidelibus; *b)* quia ejus genealogia consueto modo per virum describenda erat; *c)* quia diabolus reprimi debuerat, ne puerum natum cognoscens vehementius persequeretur; *d)* quia puer natus erat a viro nutriendus. — Conveniens item fuit propter Matrem, *a)* ne B. Virgo lapidaretur a Judæis tanquam adultera; *b)* ut ab omni infamia liberaretur; *c)* ut ei a Joseph ministerium exhiberetur, eique provideretur. — Conveniens tandem fuit propter nos,

---

(1) *De inst. virg.* c. 6.

(2) *De nupt. et concup.* l. 1. c. 11. n. 12. — Si rationem quaeras, quae B. Virginem, non obstante voto virginitatis, ad matrimonium contrahendum inclinaverit, respondet Suarez: « Potissima ratio nubendi illi fuit, quia intellexit hanc fuisse divinam voluntatem, quamvis rationem ejus eo tempore non cognosceret neque amplius inquireret, quam divinum beneplacitum... Dicendum ergo est.... B. Virginem ex divina revelatione contraxisse matrimonium. In omnibus enim rebus speciali Spiritus s. directione regebatur, praesertim in gravissima, et quae ad statum totius vitae pertinebat, et ad mysterium incarnationis proxime ordinabatur. Eadem autem revelatione *intellexit* B. Virgo, suum sponsum libenter in perpetuam virginitatem fuisse consensurum, nullumque detrimentum perfectioni suae virginitatis allaturum. Et hinc intelligitur, potuisse B. Virginem consentire in verum matrimonium non consentiendo actualiter et explicite in carnalem copulam. » *De myst. vitae Christi* D. 6. s. 2.

(3) 3. q. 29. a. 1.

a) quia testimonio Joseph comprobatum est Christum ex Virgine natum; *b)* quia ipsa verba Virginis matris suam virginitatem asserentis magis credibilia redduntur; *c)* ut tolleretur excusatio virginibus, quae propter suam incautelam non vitant infamiam; *d)* quia significatur universa Ecclesia, quae cum Virgo sit, desponsata tamen est uni viro Christo; *e)* quia in persona ipsius et virginitas et matrimonium honoratur contra haereticos alteri eorum detrahentes.

§. 3.

De B. Mariae V. assumptione.

566. Prop. 79. **Maria post mortem secundum corpus in coelum assumpta est.**

Declar. Dicitur 1°. *post mortem,* quo significatur contra nonnullos, (1) Mariam mortem, obiisse. Ita sentit hoc tempore universa Ecclesia, et ad id confirmandum sufficit generalis regula scripturarum. Nam omnes filii Adae corporali morti obnoxii sunt, a qua regula neque auctoritas ulla, neque ratio suadet excipiendam esse Virginem. Quin potius gravissimi et antiquissimi Patres eam mortuam esse testantur. Ratio etiam hoc suadet, quia imprimis decuit, B. Virginem esse similem Christo. Cum ergo Christus mortem susceperit, non oportuit, B. Virginem ab hac lege excipi. Deinde congruum erat, ut per mortem Virginis constaret evidentius, eam indiguisse Christi morte, qua fuit redempta, et habuisse carnem passibilem, a qua Christus similem sumpsit, et ita excluderetur error eorum, qui finxerunt B. Virginem fuisse coelestis seu angelicae naturae. Tandem mors nullam imperfectionem includit, quae Virginem non deceat. — Dicitur 2°. *secundum corpus;* cum enim animae iustae perfectae purgatae statim ac discedunt a corporibus, in coelum excipiantur, anima B. V. Mariae utpote quae absque ulla macula aut debito poenae et perpetuo vixit, et a corpore discessit, statim ad beatitudinis

---

(1) Inter veteres de hac re dubitavit Epiphanius *(haer.* 78); inter recentiores mortem Virginis negavit Arnaldi *(Super transitu B. V. M.* Mediol. 1880).

locum fuit evecta. — Denique 3° propositio dicitur a Suaresio *nunc tam recepta, ut a nullo pio et catholico possit in dubium revocari, aut sine temeritate negari* (1).

567. Demonstr. i. *a)* Ex *sensu fidelium*, qui invaluit et praevaluit a saec. saltem VIII, quin ullos fere unquam habuerit proprie dictos adversarios, et non solum penes catholicos sed etiam apud graecos schismaticos, ut constat ex synodo Hierosolymitana 1672 adversus Calvinistas habita (2) — *b)* Ex *assumptionis festo*, quod in Ecclesia celebratur universa, ejusque initia saec. VI praecedunt. Ejus quippe mentio fit in *martyrologio* vetustissimo s. Hieronymo adscripto, in *Sacramentario* Gelasii († 496) in *missali gothico* a Thomasio et Mabillonio edito. Obiectum autem hujus festi non esse tantummodo translationem *animae*, sed etiam corporis in coelum, colligitur ex homiliis veterum hac de re habitis, ex breviarii lectionibus, ex inscriptione martyrologii, ex missalis introitu, orationibus et versiculis, et ex ipso nomine assumptionis, quo festum designatur; assumptio enim proprie refertur ad corpus, unde nullius sancti in coelum *assumptionem* celebrat Ecclesia, sed solum transitum aut natalem diem, licet credat eorum animas in coelum esse ingressas. — *c)* Ex disertis *Patrum testimoniis*, praesertim saec. VI. Gregorii Turon.: « Dominus susceptum Virginis corpus sacratissimum in paradisum deferri jussit, ubi nunc resumpta anima cum electis ejus exultans aeternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur » (3); saec. VII s. Idelphonsi Toletani et s. Modesti patriarchae Hieros., saec. VIII ss. Andreae Cretensis, Germani, Joannis Damasceni; saec. XI et XII Fulberti, s. Petri Damiani, s. Bernardi aliorumque, quibus concordat, duce s. Thoma, universa schola.

568. II. Rationes congruentiae plures referunt Damascenus, auctor vetustus sermonis de Assumptione, qui Augustino vel Hieronymo adscribitur, et Suarez. *a)* *Dignitas matris:* « Putredo et vermis humanae est opprobrium conditionis, a quo

---

(1) In 3. p. D. 21. s. 2. n. 9.

(2) Synodus episc. *armenorum* a. 1342 declarat: « sciendum est, quod Ecclesia armena credit et tenet, quod s. Dei genitrix virtute Christi assumpta fuit in coelum *cum corpore.* »

(3) *De mirac.* c. 4.

opprobrio cum Jesus sit alienus, natura Mariae excipitur, quam Jesus de ea suscepisse probatur. Caro enim Jesu caro est Mariae » (1). — *b*) *Virginitas:* « Si voluit integram (Christus) matrem virginitatis servare pudore, cur non velit incorruptam a putredinis servare foetore? » — *c*) *Immaculata* conceptio, quae sin minus mortem, quam etiam Christus passus est, saltem *corruptionem* excludit. — *d*) Ejus cum Christo *similitudo;* sicut enim Mater perfectissima participavit Filii sui redemptionem per praeservationem a corruptione peccati, ita decuit ut, per praeservationem a corruptione corporis, etiam *perfectissimam* illam participaret victoriam, quam Christus de morte reportavit (2).

569. **Corollarium.** Ex his sequitur, B. Virginem sicut dignitate et sanctitate, ita gloria et beatitudinis perfectione omnium hominum et angelorum hierarchias superare, quod Ecclesiae exprimit illis verbis: « Exaltata est, s. Dei genitrix supra choros Angelorum ad coelestia regna. »

ARTICULUS III.

De mediatione et cultu B. Virginis.

570. Prop. 80. **Maria vero aliquo sensu dicitur et est mediatrix nostra excellentissima nobisque utilissima.**

Declar. Cum intercessionis vis, qua B. Virgo et Sancti apud Deum pollent, exemplo Patrum *mediationis* nomine designari soleat, praestat ad Protestantium obiectiones praecavendas hujus virtutis seu mediationis indolem discrimenque, quod hanc inter et Christi mediationem intercedit, rimari atque exponere. Itaque

---

(1) Sermo *de Ass.* inter opp. Augustini.

(2) Si *de tempore* quaeratur, quo post mortem assumpta fuerit, probabilior coniectura est, post triduum resurrexisse, et innititur tum Nicephoro narranti de Apostolis totum triduum ad ejus sepulchrum perseverantibus, tum ea ratione, quod in hoc etiam B. Virgo fuerit Filium imitata. Dicitur autem *assumpta* ab Angelis, non quia illorum opera ad id indigeret, sed quia honoris causa eam comitabantur, et magis dicitur *assumi* quam ascendere, quia illa virtus non erat ei connaturalis sicut fuit Christo, sed ab hoc Filio suo recepta, unde dicitur assumpta innixa *Dilecto suo.* De ceteris sive mortis sive assumptionis adiunctis cf. Bucceroni *Commentarios* de B. V. M., Comm. 20.

1.° Christus mediator est *primarius*, ante quem nullus alius; *necessarius*, sine quo non solum nulla salus, sed neque salutis possibilitas; *universalis*, quo omnes sancti et ipsa ejus mater indiguerunt; sibi *sufficiens* et *independens*, cujus mediatio alterius mediatione neque indiget, neque innititur; denique *infinitae virtutis*, qui per se ipsam efficaciam habet, et a quo omnis alia mediatio vim habet suam. At non hoc sensu, quo Christus vere unicus est inter Deum et homines mediator, B. Virgini et sanctis adscribimus intercessionem et mediationem. Isti mediatores sunt *secundarii, gradu altero, longe inferiores, participatione quadam*, non *absolutae necessitatis* sed *maximae utilitatis;* nam horum mediatio tota derivatur ex meritis Christi Christoque innititur, cum *a)* ipsa virtus intercedendi seu sanctitas et amicitia sit effectus meritorum Christi, *b)* nihil quam merita Christi Deo Patri offerant, et *c)* quidem ut facilius ea beneficia, quae Christus redemptis recuperavit, et nonnisi per merita Christi, nobis obtineant. — 2.° Porro hujusmodi mediatio longe inferior et participata tam pugnat cum *Mediatoris Christi unitate*, quam causae secundae cum causa prima, domini patresque terrestres cum uno Domino et Patre nostro in coelis (Matth. 23, 9; 1. Cor. 8, 6). Imo nedum pugnat, sed congruit potius, cum Dei agendi constans sit ratio, ut non solum Deus causis secundis utatur sive in ordine naturali sive supernaturali, sed sua quoque omnia communicet suis. Sic cum Filius Dei sit, eodem nos consecravit nomine; cum lux sit, petra et fundamentum, et has praerogativas suis tribuit discipulis; tribuit potestatem remittendi retinendive peccata sibi propriam, communicandi Spiritum s. etc. Mirum ergo esse non debet, si et de mediationis munere, de quo participant vel fideles adhuc in terra degentes, nonnihil absque iniuria sancti et prae ceteris Filii mater participent. — 3.° Imo in immensum Christi decus redundat istud quidem et in laudem ejus inaestimabile incrementum, quod ab eo exundant ceu ab inexhausta scaturigine ornamenta dignitatum et virtutum in alios. Universim enim illa magnificentior est opulentia, quae nec sibi deficit et aliis sufficit; quae locupletat ceteros citra sui dispendium.

571. Demonstr. Mariam sensu declarato esse mediatricem nostram probatur *a*) ex ejus ad redemptionis opus *cooperatione.*

Ad hoc enim contulit *a) physice* subministrando Redemptori substantiam suam, carnem et sanguinem, quam in pretium salutis offerret; et *β) moraliter* suum praestando Angelo consensum in incarnationem, Christo Redemptori totam vitam suam summa cum sollicitudine ministrando, eumque alendo atque ita quodammodo ad sacrificium praeparando, maxime vero sive in templo sive sub cruce illum Patri pro nobis offerendo. Quare sicut in Scriptura Eva jungitur Adamo in ordine *lapsus*, ita in ordine *reparationis* et salutis Maria sociatur Christo. Exhibetur enim ut mulier cum semine conterente serpentis caput (Gen. 3, 15); ut virgo cum Emmanuele (Is. 7, 14); ut radix cum flore (Is. 11, 1); ut foemina cum viro (Jerem. 31, 22); ut mater cum filio (Matth. 1, 21; 2, 11; Luc. 2, 16; Gal. 4, 4—5; Apoc. 12, 1. sq). Eandem comparationem frequenter ita instituunt Patres, ut sicut Evam cum Adamo cooperatam esse dicunt in illa prima praevaricatione; ita Mariam cooperatricem exhibeant cum Christo in opera nostrae Redemptionis. « Mater generis nostri, ait Augustinus, poenam intulit mundo, Genetrix Domini nostri salutem edidit mundo; auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria; Eva occidendo obfuit; Maria vivificando profuit; illa percussit, ista sanavit » (1); et s. Bernardus « Vehementer, ait, vir unus et mulier una nocuere: sed, gratias Deo, per unum nihilominus virum, et mulierem unam, omnia restaurantur; nec sine magno foenore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita et donum; sed excedit damni aestimationem beneficii magnitudo » (2).

b) Ex ejus *intercessione*, qua Christum nobis conciliat nosque ad Christum provehit. Jam ex Evangelio novimus, primum beneficium spirituale et temporale, sanctificationem scilicet Baptistae, et aquae in vinum conversionem voluisse Christum per Mariae mediationem conferre. *Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu s. Elisabeth* (Luc. 1, 41). *Et deficiente vino dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent* etc. (Jo. 2, 3). Ecclesia vero suam persuasionem de potenti patrocinio B. Virginis tum *theoretice* tum *practice* adeo splendide semper testata est, ut malevolorum calumnias excitaret. Preces liturgicae, Patrum et Doctorum scripta,

---

(1) Serm. 35 *de Sanctis.* — (2) Serm. *Dom. infra Oct. Assumpt.*

exempla sanctorum, tenera devotio fidelium, monumenta artis, et alia argumenta pene innumera testantur, quid tum Ecclesia docens tum credens de patrocinio Mariae sentiat. — Ut autem quantum ejus intercessio apud Deum possit, intelligas, adverte, tria intercessorem maxime commendare, nempe, primo ut is possit plurimum apud eum, apud quem intercedit, quod fit si ei est gratissimus. Quid autem est, quod nequeat, impetrare mater a filio, et dilectissima super omnes a dilectissimo? Secundo ut etiam sciat, et prudenter agat ea, quibus opus est nobis, et quomodo subveniendum est: Beata autem Virgo prudentissima est, et sapientissima, nihil ignorat eorum quibus indigemus. Tertio ut velit: quid enim prodest, si possit, et sapiat, et nolit intercedere? at B. Virgo maxime cupit nostram salutem, utpote cujus caritas erga nos omnem sanctorum caritatem longo intervallo superat; nemo enim ita nos diligit post Filium, sicut mater ipsa; sumus enim pretiosissimo sanguine Filii ejus redempti, sumus eius servi et filii, et ipsam matrem adoptionis habemus, in ipso Joanne sub cruce adoptati. Ejus ergo intercessio efficacissima est, et inter beneficia memorabilia a Deo accepta magnum locum tenet hoc, quod matrem Dei habemus intercedentem, in quo status Evangelicus supra legis illius statum plurimum inter cetera eminet. Hinc discrimen colligas inter Mariae intercessionem et sanctorum. Maria *immediate* post Christum intercedendo mediatrix est. Hinc ortum est, ut quoad alios sanctos non utamur uno, ut intercessore ad alium, quia omnes sunt ejusdem ordinis: ad Virginem autem tamquam ad Reginam, et Dominam, alii adhibentur intercessores. Quo sensu Angelicam salutationem aliis Sanctis recitamus, ut nimirum eam pro nobis Virgini repraesentent. Ipsa mediatrix est *majoris virtutis,* quam alii omnes post Christum. Unde fit, ut nonnullos sanctos, ad haec vel illa specialia beneficia obtinenda, singulares advocatos habeamus, ut constat ex usu Ecclesiae, Virginem autem ad omnia habemus universalem advocatam, quia in omnibus est potentior, quam ceteri in singulis. Denique ipsa mediatrix *universalior* est; per eam enim tamquam per collum a Christo capite gratiae omnes in membra defluunt, ut sancti omnes docent. Inde vero non consequitur, neque Sancti id asserunt, nullam nos posse obtinere gratiam, nisi prius oremus B. Virginem. Quare ipsa etiam non rogata, sua opera et auxilio

omnibus adest (1). Unde concludere possumus cum Suaresio: « Existimo a B. Virgine in hac potestate et efficacia, non solum sanctos singulos, sed omnem etiam coelestem curiam superari. Itaque si cogitatione fingamus B. Virginem aliquid postulare, totamque curiam coelestem illi resistere, potentior esset, majorisque efficaciae et valoris apud Deum Virginis, quam reliquorum sanctorum omnium oratio » (2).

c) Ex *magisterio.* Non solum ut *Dei Genitrix* certo demonstrat Christum et Deum et hominem esse, non solum erudivit primos fideles ipsosque Apostolos, praesertim Joannem, et singulari modo sacris studiis assistit et fidei defensoribus opitulatur, quas ob causas illud meruit encomium, quod de Maria canit Ecclesia: *Gaude, Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo;* sed suo etiam lucidissimo exemplo nos docet Christi servare praecepta, imitari virtutes. Quo sensu B. Virgo post Christum, exhibetur a Patribus tamquam exemplar, lux et via nostra; idque sane pro omnibus hominibus sed praesertim pro foemineo sexu, cui qua *mater, coniux* simul *et virgo* omnium virtutum praebet exemplum, magnamque confert dignitatem.

572. **Corollarium.** Non una de causa Maria salutatur mater nostra. *a*) Titulo *cooperationis* ad hoc, ut nos ad vitam gratiae et gloriae renascamur. Augustinus: « (Maria) plane *mater* membrorum ejus (Christi), quod nos sumus, quia cooperata est caritate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius capitis membra sunt; corpore vero ipsius capitis mater (3). *b*) Titulo *cognationis* cum Christo; dignatus enim est Dei Filius secundum *naturam* frater noster fieri, et secundum gratiam nos adoptare *in Dei filios* ac proinde in suos fratres. *c*) Titulo *amoris* et *sollicitudinis*, de nostra salute, et *d*) titulo *haereditatis*, cum in persona Joannis Christus in cruce moriens, nos in filios ipsi assignaverit (Jo. 19. 26).

573. Prop. 81. **Mariae debetur cultus altior quam reliquis sanctis, qui cultus hyperduliae appellatur.**

Statuitur contra Collyridianos Mariam, teste Epiphanio *(haer. 78)*, ut deam colentes eique sacrificia offerentes, et Reformatores quemlibet ei, sicuti etiam sanctis, cultum denegantes.

---

(1) Bucceroni *op. cit. Comm.* 5. — (2) L. c. D. 23. s. 2. Cf. s. Anselmum *or.* 46. *ad s. V. M* — (3) *De s. virginit.* l. 6.

Demonstr. Est corollarium omnium, quae de B. Virgine hucusque demonstrata sunt. Si enim et divinae maternitatis dignitate, et inde consequenti gratiarum plenitudine singularibusque prorsus privilegiis omnibus sanctis aut angelis antecellit, aequum est quoque altiori quam hos suaeque excellentiae correspondente honore eam colere, qui ideo nomen proprium induit *hyperduliae.* « Beatissima Virgo, inquit s. Bonaventura, pura creatura est; et ideo ad honorem et cultum latriae non ascendit. Sed quoniam excellentissimum nomen habet ita quod excellentius purae creaturae convenire non potest; ideo non tantum debetur ei honor duliae, sed hyperduliae. Hoc autem nomen est, quod Virgo existens, Dei mater est; quod quidem tantae dignitatis est, quod non solum viatores sed etiam comprehensores, non solum homines, verum etiam angeli eam revereantur quadam praerogativa speciali. Ex hoc enim, quod mater Dei est, praelata est ceteris creaturis, et eam prae ceteris decens est honorari et venerari » (1).

Porro excellentia hujus cultus hyperduliae super duliam consistit *a) in altiori existimatione* de B. Virgine quam de omnibus sanctis; *β) in externa* hujus aestimationis tum verbis tum signis *testificatione* juxta exemplum Ecclesiae, quae Mariam appellat *spem, vitam, gaudium* etc. festaque plura in ejus honorem instituit; *γ) in firmiori et universaliori fiducia,* quatenus Mariae patrocinium confidentius imploramus, in omnibus exigentiis et pro universis beneficiis, ad ipsam etiam tamquam ad reginam et dominam alios sanctos adhibentes intercessores.

574. Scholion. Quum Inquisitionis Decreto (13 Jan. 1875) duo opuscula prohiberentur, in quibus de sacratissimo sanguine B. M. Virginis disserebatur, Pius IX eadem die « mandavit per hujusmodi promulgationem monendos esse alios etiam scriptores, qui ingenia acuunt super his aliisque id genus argumentis, quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos, etiam per ephemerides, promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum, quod subest, pertrahendi fideles in errorem etiam circa fidei dogmata, et causam praebendi religionis osoribus ad detrahendum puritati doctrinae

---

(1) *In* 3. *dist.* 9. a. 1. q. 3. concl.

ac verae pietati » — Monitum Apostoli (Rom. 12, 3): *sapere ad sobrietatem*, etiam in hac materia non est superfluum, ac maxime praedicatoribus commendandum. (1).

APPENDIX.

I.

De cultu et invocatione sanctorum.

575. Solus Christus partium dissidentium naturas coniugens soluto pretio nos redemit et per sua merita Deo reconciliavit. Quamquam vero hac ratione ipse solus est mediator noster *naturalis* et *primarius*, id tamen nullatenus impedit, quominus alios quosdam agnoscamus ut mediatores *secundarios, imperfectos* et *ministeriales*, qui in ordine supernaturali Deo intimius coniuncti etiam aliis opitulari possint, apud Deum intercedendo, ejusque voluntatem declarando. Tales sunt v. g. post B. Virginem sacerdotes, Angeli et sancti. Horum mediatio tota fluit ex primario mediatore Christo eoque innititur, quem nedum obscurat sed illustrat, cum perfectius sit virtutem habere non solum per se sed etiam per alios operandi, quam hanc virtutem aliis communicare non posse. Opportunus itaque hic videtur esse locus, ut coronidis ad instar ad Christi redemptoris tractationem, modo, plurium morem secuti theologorum, illa breviter adiungamus, quae de intercessione sanctorum, ac de veneratione qua illos prosequi oportet, scitu magis sunt necessaria. Haec vero reducuntur 1.° ad sanctorum cultum, 2.° ad sanctorum invocationem, et 3.° ad reliquiarum et imaginum venerationem.

576. Prop. 82. **Licitus est atque utilis cultus religiosus Sanctorum, qui cum Christo regnant in coelis.**

Declar. Est *de fide* contra Manichaeos et saec. V ineunte Vigilantium, saec. XVI Reformatores, ex conc. Trident. sess. 25, decreto *de cultu et invoc. Sanctorum* (2). — Praesuppo-

(1) Egger *op. cit.* n. 330.

(2) Iuvabit integrum, quo doctrina catholica de tota hac materia clare

sitis notionibus (n. 495 sq.) vindicatur Sanctis cultus religiosus i. e. propter excellentiam supernaturalem, non tamen latriae, cum hujusmodi excellentia non sit infinita, sed duliae cum sit finita et non unico subiecto eximie singularis, ut hyperdulia. Est autem

---

proponitur, afferre decretum: « Mandat sancta synodus omnibus episcopis, et caeteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta Catholicae et Apostolice ecclesiae usum, a primaevis Christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem, et sacrorum conciliorum decreta, imprimis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore, et legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invocare; et ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero, qui negant Sanctos, aeterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse: aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis, etiam singulis, orent, invocationem esse idolatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi; vel stultum esse, in coelo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire. Sanctorum quoque martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quae viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritus Sancti, ab ipso ad aeternam vitam suscitanda, et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quae multa beneficia a Deo hominibus praestantur: ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari: atque eorum opis impetrandae causa Sanctorum memorias frustra frequentari; omnino damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia. Imagines porro Christi, Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum, in templis praesertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendae; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat a gentibus, quae in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraesentant; ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illae similitudinem gerunt, veneremur. Id quod conciliorum, praesertim vero secundae Nicoenae Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum.

Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostrae redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, et confirmari populum in articulis fidei commemorandis, et assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi; non solum, quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quae a Christo sibi collata sunt, sed etiam, quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subiiciuntur: ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit: a. s. »

hujusmodi cultus duliae *absolutus,* quia eorum excellentia est propria et intrinseca personis, quae coluntur (1).

Demonstr. I. In Scripturis legitur religiosus Angelis et prophetis cultus exhibitus, nec Scriptura reprehendente, nec istis repugnantibus. Sic Josue, videns virum stantem ex adverso, stricto gladio, dicit ad eum: *Noster es an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam, sed princeps exercitus Domini. Et cecidit Josue pronus in terram, et adorans ait....* (Jos. 5, 13-15). (Cf. Gen. 18 et 19). Sic Eliae honor religiosus ab Abdia, Elisaeo a filiis prophetarum et a Sunamitide exhibitus fuit (Cf. 3. Reg. 18, 7; 4 Reg. 2, 15; 4. Reg. 4, 37). — Deus sanctos honorat: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum* (1. Reg. 2, 30). Atqui licitum sane est Deum imitari: ergo.

577. II. S. Basilius: « Martyrum honores cum summo studio procurantur ab iis, qui in Domino sperant; tum praecipue a vobis, qui virtuti operam datis » (2); Hieronymus: « Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum » (3); Augustinus: « Beatissimum Petrum piscatorem modo genibus provolutis adorat gentium multitudo » (4). — Idem confirmat antiquissima et universalis Ecclesiae praxis: Sanctorum post illorum obitum memoriam insigni honore celebrandi, altare super eorum reliquias erigendi, templa in eorundem memoriam et nomen Deo consecrandi, festa ad illos honorandos instituendi, sacrificia Deo in eundem finem offerendi ut illis honor ipsis haberetur, multa divinitus et ingentia miracula ad eorum sepulchra et iis intercessoribus obtinendi.

---

(1) Nonnunquam cultus Sanctorum dicitur *relativus,* sed haec vox alia significatione ac quando cultus imaginum dicitur relativus, sumitur. Solus Deus videlicet perfectionem habet infinitam, incommunicatam, et necessariam, quae ideo et absoluta dicitur. Omnes alii, qui sive in ordine naturae, sive in ordine gratiae praestantiam aliquam possident, non aliunde eam habent nisi dono Dei, atque eatenus eadem vera est perfectio, quatenus analogia quadam perfectionem divinam imitatur atque adumbrat. Est igitur ejusmodi excellentia *relativa.* Inde est quod recte dici possit sub hoc respectu solius Dei cultum esse absolutum, quatenus agnoscitur et colitur infinita ejus et incommunicata excellentia. Cultus vero Sanctorum appellari potest relativus, quatenus eos colimus propter dona eis a Deo collata ut servos et amicos Dei, adeoque cultus eorum in Deum ultimatim refertur, quamquam sub alio respectu est absolutus, quia ea dona formaliter ipsis insunt.

(2) *Epist.* 291. — (3) Ep. *ad Ripar. de errore Vigilantii.* — (4) Serm. 1. *de ss. Petro et Paulo.*

578. III. Quodlibet ens juxta dignitatem naturae suae aestimandum, amandum et colendum est. Hoc axioma, quod convenit cum praecepto apostoli ad Rom. 13, 7: *Reddite omnibus debita... cui honorem, honorem,* ab omnibus admittitur imo et tamquam supremum moralitatis principium statuitur. Sed Sancti propriam habent supernaturalem excellentiam gratiae sanctificantis, luminis gloriae, visionis et amoris beatifici, quae reddit illos Dei amicitia dignos, et a fortiori honore, reverentia, ac submissione nostra: ergo haec ipsis licite exhiberi possunt, et decenter impenduntur. — Ille cultus est pius et honestus, quo ad virtutes exercendas excitamur; atqui talis est cultus Sanctorum, juxta illud Augustini: « Solemnitates martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat » (1): ergo.

579. *Obi.* 1. Deut. 6, 13 quemlibet cultum prohibet illis verbis: *Dominum Deum tuum timebis et illi soli servies,* quod iterum inculcat Apostolus (1. Tim. 1, 17): *Soli Deo honor et gloria.* — *Respond.* Ab adversariis fit illatio a *specie* ad *genus.* In illis enim testibus et aliis hujus generis agitur de servitute, honore, cultu *supremo* et *primario,* qui soli Deo debetur, non vero de servitute, honore, cultu *inferiori,* qui etiam creaturis praestari potest. Et sane motivum et mensura servitutis et cultus est excellentia: ubi haec illimitata est et incommunicabilis, debetur omnimoda; ubi est limitata, ibi et servitus est limitata. Illis ergo verbis non potest intelligi exclusus inferior hic cultus sanctis exhibitus, nam si *latissime* et *generice* accipiuntur, et tunc contra praeceptum Domini ne filiis quidem licet honorare et colere parentes, neque presbyteri duplici honore digni essent (1. Tim. 5, 17). Quod si hoc asserere absurdum est, patet verba illa et similia esse intelligenda de *specie* quadam cultus scil. de *supremo.* Atqui ultro fatetur Ecclesia editisque sanxit canonibus, ne quis sanctis ejusmodi tribuat cultum (2).

Obi. 2. Angelus Joannem volentem illum adorare prohibuit his verbis: *Vide ne feceris: conservus tuus sum, et fratrum tuo-*

---

(1) Serm. 47. *de sanctis.*

(2) Cum voces *λατρεύειν* et *δουλεύειν* significent servire, nil mirum si, nondum terminologia fixa et determinata, promiscue aliquando acceptae fuerint, et ex sensu magis et ex adiunctis, quam ex vi vocis species cultus ab ea significata, fuerit eruenda. Hinc intelligitur pro diversitate *servitutis* a *λατρεία* significata, veras esse has propositiones, angelos v. g. esse adorandos, et non esse adorandos. Sed usu ecclesiastico paulatim invalescente factum est, ut

rum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Idem fecerunt Petrus cum Cornelio (Act. 10, 25), Petrus et Barnabas cum Lycaoniis (ib. 14, 14).

Resp. Dist. In exemplis allatis repudiatur cultus *latriae* soli Deo debitus, *conc.*, cultus *duliae*, *subdist.* ob aliquam causam specialem, *conc.*, ob illicitatem cultus simpliciter, *neg.* In istis si non est sermo de cultu latriae, sed duliae, ille aliis de causis reiectus fuit. Sic Joanni prohibuit Angelus ne eum coleret, forsitan quia, ut ait Augustinus, « talis apparuerat Angelus, ut pro Deo possit adorari et ideo fuerat corrigendus adorator » (1); vel etiam, ut observat Gregorius Magnus « ob naturae humanae a Filio Dei assumptae reverentiam » (2); vel quia in Joanne dignitatem apostoli evangelistae et prophetae venerabatur. — Petrus Cornelii cultum reiecit, partim humilitatis et modestiae causa; partim ut familiariter cum ipso ageret, sicque eum sibi amiciorem et ad credenda fidei mysteria paratiorem redderet. — Cultus, quem Lycaonii apostolis deferre voluere, idolatricus erat, utpote in victimis et sacrificiis consistens, adeoque merito a Paulo et Barnaba reprobatus.

Obi. 3. Augustinus dicit: « Nos Martyribus nostris non templa fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus martyribus sacrificemus, nec ibi a sacerdote, qui sacrificat, invocantur » (3). — *Resp. Dist.* Vetat Augustinus erigi templa et aras martyribus, ut eis sacrificetur, ut ii tamquam summum bonum invocentur, *conc.;* (invocare enim ad mentem Augustini est Deum vocare in se); vetat erigi templa et aras martyribus in eorum memoriam,

---

λατρεύειν adhiberetur pro cultu qui Deo exhibetur, δουλεύειν vero pro obsequio quod creaturis defertur. Sic s. Augustinus: « Maxime illo loco satis claret, quod Spiritus sanctus non est creatura, ubi jubemur non servire creaturae sed Creatori (Rom. 1, 25) non eo modo, quo jubemur per charitatem servire invicem (Gal. 5, 15), quod est graecae *δουλεύειν,* sed eo modo quo tantum Deo servitur, quod est graece *λατρεύειν.* » *De Trin.* l. 1. c. 13. Quam diversam ejusdem vocabuli significationem usu ecclesiastico inductam inde explicare poteris, si vocem priorem referas ad eos, *quibus* cultus exhibetur; hi nimirum sunt *δοῦλοι* seu servi Dei, ita ut dulia secundum hanc derivationem proprie significet venerationem servis Dei (Sanctis) exhibitam; alteram vero vocem referas ad subiectum i. e. ad ipsos colentes, qui servitutem et cultum supremum seu adorationem exhibent.

(1) *In Pentateuch.* l. l. q. 72. — (2) Hom. *8. in Evang.* — (3) *De Civ. Dei.* l. 22. c. 10.

neg. Cum ergo templa et arae ordinentur ad sacrificium, quod soli Deo offerri licet, soli Deo aedificari possunt, nec alteri nunc aedificat, nec sacrificat Ecclesia. Sacerdos enim stans ad altare non dicit: « Offero tibi, Virgo Maria » etc., sed: « Communicantes et memoriam venerantes imprimis gloriosae semper Virginis Mariae » etc. Nec ideo precamur sanctos ut corda nostra possideant, sed ut apud Deum intercedant, quatenus dignum ejus habitaculum efficiamur, expulso omni terreno affectu. Vulgo tamen dicuntur templa, arae, Missae Sanctorum, quorum specialis fit commemoratio; sed proprie loquendo templa Dei sunt, quia illi sacrificium offertur. « Nos martyribus nostris, inquit Augustinus, non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis aedificamus. Deo quippe, non ipsis sacrificat (sacerdos), quamvis in memoriam sacrificet eorum; quia Dei sacerdos est, non illorum » (1).

Obi. 4. Sancti eodem honore, iisdem honoris signis ac Deus coluntur; genuflectunt enim fideles coram ipsorum imaginibus, thus his adolent, luminaria ante eas accendunt etc.

Resp. Neg. ant. et ejus probationem. Ex tribus, quibus constat cultus, quosque (n. 495 sq.) recensuimus, actibus, secundus nempe voluntatis submissio est essentialis, quae longe diversa est pro excellentiae diversitate. Cum autem non tanta suppetat homini varietas signorum externorum, quae reverentiam exprimat internam: ideo subinde fit, ut iisdem signis externis Deus et sancti colantur, quin tamen inde sequatur, eundem illi et his tribui cultum; sicut neque ex eo, quod et de Deo et de creatura praedicatur τό esse vel bonitas etc., sequitur, τό esse vel bonitatem *univoce* affirmari de Deo et de creaturis. Hinc quando hujusmodi signa non sunt per se vel ex usu ad latriam determinata, ut v. g. sacrificium, templi et arae erectio, sed sunt indifferentia ad latriam vel duliam, ut genuflexio, thymiamata, vel lumina, ex interno mentis sed praecipue voluntatis demissionis affectu specificam et diversam pro obiecti excellentiae diversitate induunt significationem.

(1) *Ibid.*

580. Prop. 83. **Sancti una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerunt: bonum etiam est atque utile suppliciter eos invocare.**

Est *de fide* contra eosdem errantes ac supra ex conc. Trident., ex quo desumpta est.

Quoad indolem et naturam intercessionis et mediationis sanctorum recole notiones traditas (n. 570).

Demonstr. I. p. *Sancti* (quibus modo accensemus angelos) *possunt pro nobis intercedere.* — I. Hoc ne Lutherani quidem negant. Angelus (Zachar. 1, 12) ita pro populo Israelitico Deum deprecatur: *Domine exercituum, usquequo non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es?* Angelum quoque pro ejusdem populi reditu Deum orasse, ex Daniele cap. 10 discimus, illius partes adiuvante Michaele, uno *ex principibus,* dum *princeps* Persarum utrique obsisteret, et quod optabat obtinuisse. — Quoad Sanctos: (2. Mach. 15, 14): *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei;* et (4. Reg. 20, 6): *Protegam urbem istam propter me et propter David servum meum;* et (Daniel. 3, 35): *Neque auferas misericordiam tuam a nobis propter Abraham dilectum tuum, et Isaac servum tuum et Israel sanctum tuum.* — Origenes: « Quis dubitet, quod sancti quique Patrum orationibus nos iuvent, et gestorum suorum confirment exemplis? » (1). Gregorius Naz.: « Nunc tanto magis proficit nobis precibus, quanto Deo propinquior est, postquam vincula deposuit temporalia. » (2)

581. II. Quod sanctorum confirmatur communione. Si omnes fideles tam viatores quam comprehensores membra sunt Christi unumque ejus corpus constituunt mysticum; si inter membra ejusdem corporis vigere debet caritas, quae teste Paulo (1. Cor. 12, 26) efficit, ut si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra; si morte caritas non extinguitur, sed potius emundatur et perficitur, si haec vera sunt, uti sunt, incredibile plane est caritatis mutuae proprium florem fructumque, qui est oratio

---

(1) Hom. 21. *in Num.* — (2) *Orat. funebr. in patrem.*

pro aliorum salute, morte illico extingui, caritatemque, ante adeo sollertem atque sollicitam, repente reddi sterilem, otiosam, torpentem.

582. DEMONSTR. II. P. *Bonum et utile est eos invocare.* — Haec invocatio 1.° non est ejus generis, quo Deum tamquam gratiarum auctorem invocamus, sed quo regis amicos ob eorum, qua apud illum fruuntur, benevolentiam, compellamus, ut suo interventu nostras corroborent preces ac pro nobis intercedant; 2.° non est ad salutem necessaria quia ad Deum promerendum neque necessitate medii suffragatore opus est, neque necessitate praecepti sive divini sive humani, quia neque in Scriptura, neque in Traditione, neque in decretis Ecclesiae ullum extat praeceptum invocandi Sanctos, et conc. Trident. id solum definivit, nempe eam esse bonam ac utilem. De hoc igitur tantum est quaestio inter catholicos et haereticos. — Excipe tamen quoad necessitatem praecepti *a)* B. Virginem, cujus salutationem angelicam cum ejusdem invocatione coniunctam addiscere tenentur fideles omnes ex universali consuetudine vim legis habente; et *b)* eos, qui ad Horas canonicas tenentur, in quibus invocantur Sancti.

583. I. Sequitur ex prima parte. Intercessio enim et invocatio sunt relativae, quarum priori posita, altera ponatur necesse est. Siquidem intelligi nequit, quo modo Sancti pro nobis intercedere possint, dona ac beneficia impetrare, nos autem nequeamus eorum intercessionem implorare et exposcere. — Apostoli saepius se orationibus fidelium commendarunt: *Obsecro vos, fratres, per D. N. J. C. et per caritatem sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum* (Rom. 15, 36); et: *Vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis* (Eph. 6, 18); et (1. Tess. 5, 25): *Fratres, orate pro nobis.* Atqui si licet iustorum in hac vita invocare intercessionem, quin divinae derogetur benignitati, nec ulla per eam afficiatur iniuria Christus Jesus mediator et Salvator noster, a fortiori licebit ergo invocare sanctos regnantes cum Christo, quo certior horum sanctitas, major potentia, sincerior familiaritas cum Deo. — Deus dicit amicis Job (42, 8): *Ite ad servum meum Job, et offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.*

II. S. Basilius: « Qui angustia aliqua premitur, ad quadra-

ginta martires confugiat; qui laetatur, recurrat ad eosdem: ille quidem, ut a malis liberetur, hic vero, ut res sibi secundae esse pergant » (1); s. Gregorius Nyss. his verbis invocat s. Theodorum M.: « Intercede ac deprecare pro patria apud communem Regem ac Dominum » (2); Hieronymus in *Epitaphio Paulae*, haec verba ad sanctam illam foeminam dirigit: « Vale, o Paula, et cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuva. Fides et opera tua Christo te sociant. Praesens, quod postulas facilius impetrabis. » — Constat etiam ex Ecclesiae *praxi*, ex *liturgiis*, ex innumeris miraculis, quae Deus per Sanctorum intercessionem patravit. Cf. Aug. *de Civ. Dei* l. 22. c. 8.

584. III. Rationem theologicam ita proponit s. Thomas: « Iste ordo est divinitus institutus in rebus secundum Dionysium (c. 5 *eccl. Hier.*), ut per media ultima reducantur in Deum. Unde cum Sancti, qui sunt in patria, sint Deo propinquissimi, hoc divinae legis ordo requirit, ut nos qui manentes in corpore peregrinamur a Domino, in eum per sanctos medios reducamur: quod quidem contigit, dum per eos divina bonitas in nos suum effectum infundit. Et quia reditus noster ad Deum respondere debet processui bonitatum ipsius in nos, sicut mediantibus Sanctorum suffragiis Dei beneficia in nos deveniunt, ita oportet nos in Deum reduci, ut iterato beneficia ejus sumamus mediantibus sanctis. Et inde est, quod eos intercessores pro nobis constituimus et quasi mediatores, dum ab eis petimus, quod pro nobis orent. » (3) Quae ratio ostendit quidem quomodo cum toto ordine divinae providentiae intercessio et invocatio Sanctorum congruat, non tamen eousque urgenda est, ut inde deducatur, Deum non immediate invocandum esse.

585. Scholion I. Certum est petitiones nostras Sanctis et Angelis innotescere, alioquin quomodo Angeli super peccatore poenitentiam agente gaudere possent, ut Christus (Luc. 15, 7) testatur? Si de ratione vero, qua eas cognoscunt, quaeritur, respondent theologi, id fieri posse vel per revelationem Dei, ut innuit Augustinus (4), vel per visionem beatificam, qua in essentia divina tamquam in speculo eas vident, ut probabilius docet s.

---

(1) Hom. 20. *in quadraginta martyres.* — (2) Orat. *de s. Theodoro M.* — (3) *Suppl.* q. 72. a. 2. — (4) *De cura agenda pro mortuis* c. 15.

Thomas (1); vel per ministerium Angelorum, presertim custodum, ut conc. Sennonense decreto 13. opinatur.

586. Scholion. II. « Quamvis Sancti, ait s. Thomas, superiores sint magis Deo accepti, quam inferiores, utile tamen est etiam minores sanctos interdum orare, et hoc propter quinque rationes: primo, ex hoc quod aliquis quandoque habet majorem devotionem ad minorem sanctum quam ad sanctum majorem, ex devotione autem maxime dependet orationis effectus; secundo, propter fastidium tollendum, quia assiduitas unius rei fastidium parit, per hoc autem quod diversos sanctos oramus, quasi in singulis novus fervor devotionis excitatur; tertio, quia quibusdam sanctis datum est in aliquibus specialibus causis praecipue patrocinari, sicut s. Antonio ad ignem infernalem; quarto, ut omnibus honor debitus exhibeatur a nobis; quinto, quia plurium orationibus quandoque impetratur, quod unius oratione non impetraretur. »

587. Prop. 84. **Licitus atque pius est sacrarum reliquiarum et imaginum cultus.**

Utraque pars est *de fide* ex conc. Trident. et ex damnatione Iconoclastarum in conc. Nicaen. II. (a. 787).

Demonstr. I. p. Reliquiarum nomine, *severiori* sensu seu primario, sanctorum exuvias, cineres, ossa etc., sensu autem *latiori* seu secundario, quidquid ex eis, quae ad eos pertinuerunt, ac de se aptum est ad piam eorundem sanctorum excitandam memoriam, significare consuevimus. Hujusmodi cultus est *sacer*, sed *relativus*, quia reliquiae habent relationem ad Sanctos, moraliterque ad illos suo modo pertinent.

588. I. In scriptura vestigia hujus cultus occurrunt. Moyses ossa Joseph honorifice transtulit, dicunturque prophetasse (Ex. 13, 18 et Eccl. 44, 18); aquae Jordanis pallium Eliae reverentes dividuntur (4. Reg. 2, 13); mortuus suscitatur contactu cadaveris Elisaei (4. Reg. 13, 21), In act. Ap. 19, 11 legitur: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria et semicin-*

---

(1) *Ibid.* q. 74. a. 1.

ctia; et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.

589. II. S. Ephrem Syrus: « Fontes vitae sunt corpora justorum defunctorum. Mundus testis est omnium curationum quovis in loco (1). S. Basilius: « Mors si cuipiam irrogatur pro Christi nomine, pretiosae censentur reliquiae sanctorum ejus » (2). Chrysostomus: « Quisquis cum fide ad illum (s. Ignatium m.) accedit, magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non modo corpora, sed ipsi loculi et monumenta spirituali gratia referta sunt. » (3). S. Hieronymus in libro *adv. Vigilantium* totus in eo est, ut cultum ss. reliquiarum vindicet, eumque antiquissimum et universalem esse in Ecclesia Christi ostendat. — Idem confirmat: Christianorum sollicitudo in sanctorum reliquiis colligendis; monumenta erecta super reliquias sanctorum cujusmodi erant cubicula, martyria, memoriae, altaria etc.; studium primorum christianorum atque Ecclesiae universae in secernendis martyrum cineribus a reliquorum fidelium exuviis; obsequia, quibus primi christiani sanctorum reliquias prosequebantur (4).

590. III. Rationes theologicas inter alios adferunt s. Augustinus et s. Maximus. Ille scribit: « Non contemnenda et abiicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum atque fidelium, quibus tamquam organis et vasis ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis et annulus ac si quid hujusmodi tanto carius est posteris, quanto erga parentes major affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius atque coniunctius, quam quaelibet indumenta, gestamus » (5). Hic vero: « Honoro in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices; honoro pro confessione Domini sacratos cineres; honoro in cineribus semina aeternitatis; honoro corpus, quod mihi Deum meum ostendit diligere, quod me propter Deum mortem docuit non timere. Cur non honorem corpus illud, quod reverentur et daemones? quod afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christum honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in coelo » (6).

---

(1) *Carm.* 14. — (2) Hom. *in Ps.* 115. n. 4. — (3) Hom. *in s. M. Ignatium* n. 5. — (4) Haec singula vide demonstrata apud Perrone c. 4. n. 85 et sq. — (5) *De civ. Dei* l. 1. c. 13. — (6) Serm. 88. seu 3. *de nat. ss. Martyrum.*

591. Demonstr. ii. p. *Imago* est similitudo sive repraesentatio rei existentis, ad illam rem, ut ad exemplar, expressa. Imago enim ab imitando dicitur, quia rem imitando repraesentat. — *Imago* differt ab *idolo εἴδωλον,* eo quod idolum sit simulacrum repraesentans rem, quae vel simpliciter non est, vel certe non talis est qualis colitur; imago vero est similitudo rei vere existentis, v. g. B. Virginis. Quare Paulus scribit (1. Cor. 8, 4): *Scimus quia nihil est idolum in mundo;* nihil scilicet in repraesentatione sua, quia nihil divinitatis in eo, vel in ejus prototypo inest. Cultus, qui imaginibus sicut ille qui reliquiis defertur, est *sacer*, quia tribuitur obiecto propter supernaturalem excellentiam relativam, seu propter relationem, quam habet ad excellentiam absolutam archetypi, adeoque est *relativus,* tum quia tota dignitas imaginis et ratio cultus est ipsa eius relatio ad archetypum, tum quia non aliud quam personam repraesentatam intendimus honorare in imagine tamquam in re ad ipsam pertinente.

592. I. Ss. imaginum cultus *vestigium* aliquod in V. T. habetur: tum in arca, quae symbolum erat atque imago ipsius praesentiae divinae, quaeque ideo magna erat in veneratione; tum in duobus Cherubin, quos Salomon in templo sculpsit; tum in serpente aeneo exaltato in deserto, quem typum fuisse crucis Christi ipse Salvator declaravit. Quod si (Ex. 20, 4. sq.) Deus prohibere videtur usum imaginum: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quae est in coelo desuper, et quae in terra deorsum, nec eorum, quae sunt in aquis sub terra. Non adorabis eas neque coles; ego sum Dominus Deus tuus fortis;* animadvertendum est 1.° his verbis interdici Israelitis, ne pro more gentium sibi fingant idola falsorum numinum ad ea adoranda, non vero omnem absolute imaginem; vel 2.° hoc ad summum prohiberi Judaeis ob eorum ad idololatriam proclivitatem, quod quidem praeceptum positivum una cum Lege mosaica, cessante in Lege nova idololatriae periculo, abrogatum est. In N. T. de usu ac cultu sacrarum imaginum nec invenimus aliquod mandatum, nec aliquam prohibitionem. Sed ex altero revelationis fonte discimus huiusmodi cultum semper in Ecclesia obtinuisse (1). Quamquam tribus prio-

(1) Circa cultum s. imaginum duplex distingui debet quaestio. Prima est, utrum sacrarum imaginum usus et cultus repugnet legi divinae, sive utrum

ribus saeculis rariores fuerint s. imagines ob speciales rationes, nempe ut a Gentibus et Judaeis, ex quibus congreganda erat Ecclesia, omnis scandali, periculi, offensionis occasio procul removeretur, et forte magis propter periculum profanationis tempore persecutionis, tamen eorum usum et cultum etiam illa aetate indubia testantur documenta. Huc pertinent oratoria, quae in catacombis ad ipsa tempora apostolica pertingentibus inveniuntur, in quibus multiplex invenitur ornatus imaginum pictarum. Invenitur Christus saepe depictus sub imagine boni pastoris, vel sub symbolo piscis *(ἰχθύς)* exhibitus; multaeque occurrunt repraesentationes symbolicae mysteriorum, et eventus varii antiqui testamenti, quorum significatio typica christiano populo nota erat. Repraesentationes huiusmodi in annulis, lapidibus, gemmis, lucernis, sarcophagis, parietibus, calicibus occurrunt. Jam Tertullianus meminit consuetudinis illius, qua calices figura boni pastoris a christianis ornari solebant: « Procedant ipsae picturae calicum nostrorum, si vel in illis praelucebit interpretatio pecudis illius » *(de pudic.* c. 7) et c. 10: « Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis. » Etiam imagines B. Virginis aureola cum infante Jesu ornatae et ss. ap. Petri et Pauli saltem ex saec. III nobis supersunt. Pro traditione theoretica sufficiat Cyrillus Alex.: « Etiamsi facimus imagines piorum hominum, non tamen ut eas adoremus tamquam deos, sed ut iis inspectis ad ipsorum aemulationem impellamur: ideo autem Christi imaginem facimus, ut mens nostra ad illius amorem excitetur » (1) et s. Basilius: « Characteres sacrarum imaginum honoro et osculor eximie, cum hae traditae sint a sanctis apostolis nec sint prohibitae, imo in omnibus ecclesiis nostris depictae » (2).

---

licitus sit atque honestus; altera est, utrum spectatis omnibus circumstantiis, hac illave aetate expediat imagines in templis fidelium venerationi exponere. Prima quaestio pertinet *ad fidem*, adeoque nunquam licet eas afficere iniuria; altera vero pertinet ad disciplinam, quae mutationi est obnoxia, et in qua determinanda quavis aetate adverti debet, utrum spectatis circumstantiis utile vel perniciosum sit illud quod statuitur. Usus atque cultus sacrarum imaginum omnibus theologis fatentibus est ex eorum genere, quae ad salutem omnino necessaria non sunt nec ad substantiam religionis pertinent, atque hoc sensu adiaphora nominari solent. In potestate est Ecclesiae, ut talia vel adhibeat vel ablegat pro eo atque satius decreverit.

(1) *In Ps.* 113, 16. — (2) *Epist.* 300.

593. II. Rationes theologicae petuntur *a)* ex *analogia;* quod enim sunt *verba* relate ad aures, sunt *colores* respectu oculorum: sicut ergo verbis sanctos possumus venerari, ita et imaginibus et per imagines. « Sacram, inquit conc. oecumenicum VIII (a. 869) can. 3, D. N. J. Christi effigiem eadem, qua s. Evangelia veneratione colendam statuimus. Ut enim per syllabas in Evangeliis scriptas salutem consequuntur omnes, ita per imagines arte coloribusque pictas et expressas docti juxta et indocti ex obiecta re utilitatem capiunt. Quaecumque enim syllabis oratio, haec in coloris pictura docet. » — *b)* Ex *consuetudine humana;* si enim regum imaginibus defertur cultus civilis; a pari aut a fortiori sanctorum imaginibus deferendus est cultus sacer. « Si regum, ait conc. oecumenicum VII act. 1, laurata et iconas missas ad civitates vel regiones obvii adeunt populi cum cereis et incensis, non cera perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes: quanto magis oportet in ecclesiis Christi Domini nostri iconam depingi Salvatoris nostri, et intemeratae matris ejus omniumque sanctorum et beatorum patrum et studiosorum virorum ». — *c)* Ex *utilitate hujus* cultus, nam valet ad rudiorum instructionem, ad memoriam eorum, quae sancti egerunt, ad excitandam devotionem ac venerationem erga Christum et Sanctos, qui in illis coluntur; denique ad imitationem eorum, quos repraesentant.

594. Scholion i. Si in modum inquiras, quo imaginibus honor est exhibendus, tam conc. Nicaen. II. quam Trident. respondent, eas nonnisi cultu relativo esse colendas. Imagines enim nullam habent excellentiam sibi propriam et intrinsecam, propter quam se homo subiicere possit, sed honor, qui eis praestatur, ad prototypa refertur, adeoque est relativus, utique major vel minor, pro dignitate exemplaris. Sed quoad quaestionem scholasticam, in quo praecise consistat ille cultus non conveniunt inter se theologi; quia non eodem modo ab eis concipitur imaginum ad sua exemplaria habitudo, ex qua nascitur omnis earum excellentia et cultus. Alii volunt imaginem esse signum dumtaxat institutum in memoriam prototypi, unde inferunt non deberi imagini nisi cultum exteriorem, h. e. cultum, qui coram imagine v. g. Christi, ita exhibeatur, ut non ad imaginem, sed ad ipsum exemplar terminetur. Haec sententia minus congruere videtur Patribus et conciliis, quae imaginem non tantum ut *conditionem*

materialem cultus sed ut proprio cultu dignam spectant, sicut templa, vasa sacra et alia religiosa instrumenta, i. e. inferiore eo, quo earum exemplaria afficiuntur: v. g. crux et imago Christi non est veneranda eo latriae cultu, quo ipse Christus adoratur. — Alii in imaginibus exemplaria apprehendunt, ita ut Christus v. g. in cruce vel in alia effigie, sit simul cum illa figura, totale adorationis obiectum; quemadmodum rex purpura circumdatus non duplicem venerationem terminat, alteram, quae in personam ejus tendat alteram, quae vestem ejus spectet. Unde in hac sententia idem plane honor exhibetur imagini, qui exemplari, quia ipsumet exemplar in imagine apprehenditur, ac proinde crux et alia Christi effigies cultu latriae, B. Virginis imago hyperduliae, sanctorum duliae, sed relativo tantum est veneranda. Haec sententia caute est proponenda, ne ansa calumniandi hunc cultum tamquam idolatricum praebeatur. — Alii denique, quorum sententiam ut veriorem, conciliis magis conformem, et in praxi tutiorem amplectimur, docent imaginem Christi, vel alicujus Sancti concipiendam ut ejus similitudinem expressam, atque ideo nobis pretiosam; quia haec similitudinis relatio et habitudo est quaedam excellentia a prototypo derivata, propter quam omnes homines sensu quodammodo a natura indito, amicorum imagines solent charas habere, diligere, osculari, et in honoratiori loco collocare. Ita considerata imagine, cultus ei debetur, sed cum excellentia tanta non sit in imagine, quanta in prototypo, honor, qui excellentiae respondere debet, aequalis utrique tribui non potest, sicut nec vasa sacra propter habitudinem, quam habent ad Deum pari cum Deo veneratione afficimus (1). Iste cultus *analogice* et reductive ad eam pertinet

---

(1) Quod imago non materialiter in seipsa, sed ex hac ad archetypum relatione, evadat aliquid sacrum, inde etiam patet, quod magnum est discrimen inter cultum, qui exhibetur imagini B. Virginis in domo aliqua privata, et in publica ecclesia vel in celebri sanctuario, ubi multa miracula patrantur. Atqui archetypus in omnibus iconibus Deiparae est identicus. Ergo ipsas imagines etiam in seipsis aliquo modo colimus. — Praerogativa vero illa miraculorum, qua nonnullae imagines gaudent, petenda est, juxta s. Augustinum *(Ep.* 137), ex gratuita Dei voluntate cui placet specialia beneficia conferre iis potius qui hanc, quam qui illam imaginem venerantur. Sic Deus aspicientibus serpentem aeneum, a Moyse erectum, sanitatem restituebat; non ita iis, qui alium aspiciunt; sic Christus visum restituit caeco nato, qui se in natatoria Siloe abluerat; et Naaman Syrus a lepra mundatus est in Jordane, potius quam alibi.

cultus speciem, seu ex ea redundat, quae debetur exemplari. Sicut enim se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultum exemplaris; sed imago est ipsum exemplar analogice et secundum quid, nam homo pictus est homo secundum quid et analogice; ergo etiam imagini debetur cultus ipsi exemplari debitus, imperfectus et analogicus. Cultus imaginum itaque est 1.° *relativus*; 2.° est *veneratio quaedam inferior*, quam illa quae archetypo convenit. Eadem proinde non apte latria relativa quoad imagines Christi, et dulia relativa quoad imagines sanctorum, sed tantum *cultus relativus, qui analogia quadam latriae vel duliae respondet.* Excipe forte casum, quo directe et cultu absoluto archetypus, eodemque actu relative sed per accidens colitur imago velut moraliter coniuncta cum archetypo, uti fit in adoratione Crucis die parasceves.

955. Scholion. ii. Eodem fere modo, quo de imaginibus, de reliquiis quoque aliisque rebus sacris colendis propter relationem ad Deum, ad Christum Redemptorem, ad Sanctos, sentiendum est atque loquendum; nisi quod relatio non consistit in mera repraesentatione, sed in aliqua speciali coniunctione, quae vel ex praeterito, vel ex praesenti, vel ex futuro intercedit inter has res sacras et personam, quae est obiectum absolutum adorationis et cultus. Hinc lignum verae Crucis, clavi, spinae aliaeque reliquiae sunt honoranda minori cultu quam Christus vel Sancti, quorum reliquiae sunt, sed tamen tali, qui analogice et reductive pertinet ad speciem cultus, quo Christus et Sancti coluntur: nam reliquiae ideo merentur honorem, quia ratione contactus vel aliquo alio modo habitudinem habent ad eos, quorum sunt reliquiae. — Discrimen tamen inter veram Crucem ejusque imagines intercedit, valde notandum. Illa enim non tantum imaginis rationem continet, prout crucifixi Domini figuram exhibet; sed etiam, et maxime, rationem reliquiarum. Aliae autem cruces, ad similitudinem verae Crucis factae, habent tantum rationem imaginis. — De vera Christi Cruce, quae inde ab ejus inventione saec. IV. statim coli coepit, scribit Damascenus: « Hoc itaque pretiosum sane ac venerabile lignum, in quo se Christus pro nobis hostiam obtulit, uti sanctissimi corporis et sanguinis tactu sanctificatum, jure debet adorari; clavique item et lancea et indumenta et sacrae ejus mansiones h. e. praesepe, specus, salutaris

Golgotha, vivificum sepulchrum, Sion ecclesiarum arx et similia » (1). Inter imagines vero s. Crucis summo in honore est habenda illa, quae manuum agitatione exprimitur. De hoc signo Tertullianus: « Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum et calceatum, ad mensas et lumina, ab cubilia et sedilia, quaecumque nos conversatio excercet, frontem crucis signaculo terimus. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostulas Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix » (2). Est hic usus valde pius et utilis, quia per illum Christi passionem in memoriam revocamus, ss. Trinitatem profitemur et invocamus, nostram fiduciam in morte Christi collocandam testamur, Christi nos ignominiam non erubescere significamus, ad Christi excitamur amorem et imitationem.

II.

De communione sanctorum.

596. Prop. 85. **Datur communio sanctorum.**

Declar. Est *dogma fidei,* articulo nono symboli Apostolici propositum, constanter per traditionem perhibitum, et in Scripturis fundatum. Definiri solet: *Connexio, qua non solum Ecclesiae in terra militantis membra inter se, sed eadem etiam cum Ecclesia patiente et triumphante, mutua bonorum spiritualium communione junguntur.* Ecclesia enim adaequate sumpta est triplex: Ecclesia *militans,* quae constat fidelibus in terra; *patiens,* quae animabus purgatorii; et *triumphans,* quae beatis in coelo. Hae non sunt nisi tres partes unius Ecclesiae, et constituunt integrum corpus mysticum, cujus caput est Christus. Sunt quodammodo tres rami ejusdem arboris, tria agmina eiusdem exercitus, tres eiusdem regni provinciae, tres ordines ejusdem civitatis, quae in Christo communi capite, vinculis caritatis inter se copulantur. — Dicitur in propositione: communio *sanctorum,* quia Ecclesia triumphans et patiens nonnisi ex sanctis consistit, et in militante quoque omnes ad sanctitatem vocati sunt, ac per Baptismum sanctificati et multi ad perfectam sanctitatem perveniunt.

---

(1) *De fide orthod.* l. 4. c. 11. — (2) *De corona militis* c. 3.

597. Demonstr. Dari sensu declarato communionem sanctorum, docet Scriptura, cum exhibet fideles in terra adhuc degentes ut beatorum *conservos* (Apoc. 6, 11; 19, 10; 22, 9); *concives et cohaeredes,* membra ejusdem familiae et *confratres* sanctorum (Rom. 8, 29; Eph. 2, 19; Hebr. 12, 22. sq.) Et sane sicut unum tantum est caput Christus, positus super omnia, quae in coelis et quae in terris sunt (Eph. 1, 20. sq); ita unum tantum erit ejusdem corpus mysticum, una Ecclesia, una compago, qua illi, qui iam in coelis triumphant, militantibus adhuc in terra membris sociantur. Et sicut Christus omnium est rex, ita unum erit ejus regnum. Hinc Angeli describuntur vel *laeti* de peccatorum poenitentia (Luc. 15, 7); vel *ultores* de damno eorum tutelae commissis illato (Matth. 18, 10); vel *solliciti* de electorum salute (Hebr. 1, 14); quibus triplex significatur boni membri officium. — Augustinus: « Haec (Ecclesia triumphans) in sanctis Angelis beata persistit, et *suae parti* peregrinanti opitulatur, quia utraque una erit consortio divinitatis, et *nunc* una est vinculo caritatis, quae tota instituta est ad colendum Deum » (1).

598. *Speciatim* vero communio haec *vivorum* inter se consistit in eo, 1.° quod omnes eâdem fide et iisdem sacramentis junguntur cum Christo et inter se; 2.° quod gratiae a singulis receptae, preces ac bona opera a singulis praestita omnibus tamquam unius corporis membris, utilia sunt; 3.° quod justus viator possit in alterum iustum viatorem suas satisfactiones transferre, quibus hic, coram Deo, a reatu poenae temporalis liberetur. — Iam vero, qui peccato mortali obnoxii vivunt in Ecclesia, cum sint membra mortua, spiritualium bonorum, quae vitam gratiae supponunt, non possunt esse participes; attamen, propter justos et preces eorum, gratias multas ad poenitentiam peragendam recipiunt.

Cum animabus *purgatorii* communicamus, eas diligendo ut animas fratrum nostrorum dolore affectas, miserando, juvando, earumque poenas pro viribus alleviando suffragiis; et, quod probabile est, ab ipsis precum vicissitudinem recipiendo.

Cum beatis in *coelo* communicamus duplici mutuo vinculo: altero activo quoad nos, altero passivo; seu altero honorificentiae ex parte nostra, altero intercessionis ex parte sanctorum.

---

(1) *Enchir.* c. 56.

TRACTATUS V.

DE GRATIA CHRISTI.

Prolegomena.

Nexus — momentum — notio — divisio.

599. Unigenitus Dei Filius lapsum genus humanum per mortem suam erexit, redemit, instauravit. Haec instauratio in restitutione consistit finis supernaturalis mediorumque illi respondentium. Horum mediorum et auxiliorum complexus et oeconomia, quibus homo ad illum finem elevatur disponitur et deducitur, est *ordo gratiae* et constituit novum humani generis *statum, naturae* nempe *reparatae,* quae naturae lapsae superstruitur.

600. Est itaque gratia fructus sanguinis Christi, participatio divinae naturae (dispositive et formaliter) principium novae ejusque supernaturalis vitae in homine, et semen gloriae, quae est gratia consummata. Nil igitur mirum si Paulus in gratia explicanda et vindicanda in ceteris epistolis multus, totus autem fere in ea fuerit, quam scripsit ad Romanos; si Patres in synodis Carthag. et Milev. una cum Augustino (1) declaraverint, ipsa fidei fundamenta everti ab eo, qui orthodoxum dogma de gratia labefactaverit; si denique conc. Tridentinum hanc doctrinam contra haereticos saec. XVI peculiari cum sollicitudine vindicaverit. Haec videlicet doctrina ita cum veritatibus de statu originali, de peccato, de redemptione, de humilitatis et orationis officio intime cohaeret, ut, qui recte non sentit de dogmate isto, nec illa fidei capita sarta tenere, nec viam salutis carpere possit.

601. *Gratia* χάρις (a verbo χαίρω *gaudere,* vel χαρά gaudium,

(1) *Ep.* 65.

sive *χαρίζομαι donare*) significare videtur donum gratuitum cum gaudio; gratia enim non modo excludit omne debitum ex parte dantis, et consequenter omne jus ex parte accipientis; sed insuper adsignificat, donum, ut gratia sit, a *pura benevolentia* proficisci debere, ita ut dans in donando delectetur; unde s. Isidorus eam comparat lacti, quod mater satagit dare gratuitum, et contristatur, si desit qui accipiat (1). Secundum communem loquendi modum tripliciter accipi consuevit: *active* seu ex parte benevolenter dantis, ut si dicas: iste miles habet gratiam regis i. e. rex habet eum gratum; *obiective* seu ex parte rei, quae datur, ut cum dicimur: hanc gratiam facio tibi; *passive* seu ex parte donati, qui constituitur quasi dono formatus et donanti gratus, quo sensu dicimus: gratias beneficiorum agere. Tum uno, tum altero, et tertio sensu divinae Litterae hoc nomen accipiunt: puta: *invenisse gratiam apud Deum* (Luc. 1, 30); *unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi* (Ephes. 4, 7); *et ego reddam gratiam* (2. Reg. 2, 6).

Horum habitudo est, quod secundum dependet ex primo, et ex secundo procedit tertium. Nam ex amore, quo aliquis habet alium gratum, procedit, quod ei gratis aliquid impendat; et ex beneficiis gratuito exhibitis gratiarum actio consurgit. Prima itaque ratio ex amore est repetenda estque ipse gratia et radix aliorum bonorum; ideo enim dare solemus alicui quidpiam gratis, cum ei bonum volumus.

In hoc tractatu sumitur gratia secundo sensu nempe *obiective*, definiturque: *donum Dei supernaturale gratis a Deo concessum creaturae rationali per Christi merita pertinens aliquo modo ad animae sanctificationem salutemque aeternam.* Dicitur:

1.° *Donum Dei,* quo bonum significatur ex particulari Dei dilectione profectum in nostrum commodum. Haec vox locum generis tenet; convenit enim donis divinis tum naturalis tum supernaturalis ordinis.

2.° *Supernaturale,* ut distinguatur a donis naturalibus. Scilicet dilectio Dei, quae causat bonum in creaturis, alia est ad creaturas communis, secundum quam diligit omnia quae sunt (Sap. 11), et alia est specialis, secundum quam vult creaturae simpli-

---

(1) *In lib. 1. Reg.* c. 10.

citer bonum aeternum, quod est ipse. A priori bona procedunt naturalia, a posteriori bona, quibus ipsa trahitur super conditionem naturae suae ad participandam in se divinam bonitatem. Jam vero licet naturalia etiam dona gratia vocari possint, usu tamen loquendi biblico et ecclesiastico nomine gratiae simpliciter et proprie dictae non veniunt nisi illa beneficia divina, quae ad salutem aeternam ordinantur, scilicet supernaturalia. Hoc est manifestum ex controversia saec. V cum Pelagianis, qui ultro concedebant, bona naturalia esse gratiam, et tamen habiti sunt *gratiae inimici*. In ep. quinque Episcoporum, inter quos s. Augustinus, ad Innocentium I legimus: « Hanc apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, *qua salvamur et justificamur ex fide Christi*... Illam vero gratiam, qua creati sumus homines, etiam si ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ullis legitimis, propheticis, evangelicis, apostolicis litteris legimus. » Et Augustinus: « Nunquid natura erit gratia? Nam hoc ausi sunt dicere Pelagiani, gratiam esse naturam, in qua sic creati sumus, ut habeamus mentem rationalem... Sed non haec est gratia, quam commendat Apostolus per fidem Jesu Christi » (1). *Supernaturalis* igitur voce quamquam intelligitur in primis id quod tale est *quoad substantiam* (n. 352), cum tamen de generica gratiae notione hic agatur, dona quoque quae *secundum quid* talia sunt, comprehenduntur, quum et haec in ordine praesenti ad finem supernaturalem consequendum dirigantur.

3.° *Gratis concessum* seu *indebitum* ut excludatur obligatio quaevis ex parte dantis, et omnis exigentia, jus, ac meritum ex parte recipientis, sive naturae illud sit, sive operum, quae fiunt viribus naturalibus; non tamen excluditur debitum naturae elevatae et personae et cum gratia agentis, quod debitum tamen fundatur tandem in aliqua prima gratia prorsus indebita.

4.° *Creaturae rationali a Deo concessum per Christi merita ad salutem aeternam*, quibus indicatur *subiectum* gratiae capax (homo vel angelus), *causa efficiens principalis* (Deus), *causa meritoria* (Christus), *causa finalis* (vita aeterna). Additur vero illud *pertinens aliquo modo*, ut complectamur non modo ea dona, quae per se et ex natura sua ordinantur ad gloriam, sed etiam

(1) *De gratia et lib. arb.* c. 13. n. 25.

ea, quae tantum ex divina ordinatione et extrinsece ad eandem gloriam conferunt. Priora sunt gratia per se ab intrinseco, uti gratia formaliter sanctificans, habitus et actus supernaturales et motiones internae ad hos actus; posteriora sunt gratia per accidens tantum et extrinsece, ut motiones internae ad observationem legis naturalis.

602. Praecipuae gratiae divisiones hae sunt:

1. *Ratione sui*, est *increata* vel *creata*. Gratia *increata* est ipse Deus, quatenus Deus ipsemet donum efficitur et sese creaturis communicat. Talis est ipsa divina personalitas gratis communicata humanae naturae in Christo, ipse Spiritus sanctus, imo tota Trinitas in justis inhabitans, ipse Amor Dei erga nos, qui amor est ipse Deus, et principium omnium bonorum, quae Deus nobis in tempore largitur. Gratia *creata* est donum supernaturale a Deo distinctum et effectum.

2. *Ratione diversi status*, distingui solet in gratiam *primi* et in gratiam *secundi status*. Prior est ea quae concessa est angelis et protoparentibus in statu naturae innocentis ex sola bonitate Dei; posterior est illa, quae conceditur in statu naturae lapsae ex misericordia et meritis Christi; prior data est non dignis, posterior positive indignis; illa ab aliis vocatur *gratia Dei* seu *conditoris*, haec proprie dicta *gratia Christi et Redemptoris* (1).

3. *Ratione modi* est *externa* vel *interna*. *Externa* est, quae hominem extrinsece tantum afficit, ut praedicatio Evangelii, miracula et exempla Christi, et reliqui eventus externi providentia divina supernaturali ad nostram salutem ordinati. *Interna* est, quae homines interius afficit in intellectum et voluntatem agens.

4. Gratia interna *ratione finis* dividitur in gratiam *gratis datam* et *gratum facientem*. *Gratis data* illa est, quae homini datur per se et primario non in propriam recipientis sed in aliorum utilitatem ac commodum, ut v. g. donum miraculorum, quae ergo sine charitate esse potest (2). Gratia *gratum faciens*

---

(1) Haec distinctio supponit hypothesim, quod incarnatio decreta fuerit dependenter a praeviso peccato originali. Qui vero contendunt, Verbum carnem assumpturum fuisse, etiamsi Adam non peccasset, quam dicimus gratiam Dei, vocant gratiam *Christi capitis*, alteram vero gratiam *Christi Redemptoris*.

(2) De his charismatibus loquitur Paulus (1. Cor. 12, 7), eorumque novem

est ea, quae hominem Deo gratum et sanctum reddit vel formaliter vel dispositive.

5. Gratia gratum faciens alia est *habitualis*, alia *actualis*. Haec distinctio tanti est momenti, ut inde pateat praecipua tractatus divisio. Gratia enim universim considerata, ut est medium ad gloriam, tribus quasi gradibus distinguitur, qui sunt: gratia actualis, gratia habitualis et meritum. Actualis scilicet ducit ad habitualem; hujus autem fructus est meritum, quod est semen gloriae. Hinc tres sectiones: 1.° de gratia actuali; 2.° de gratia habituali; 3.° de merito.

---

species enumerat: *Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum: alii fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Congruentiam hujus numeri pulchre explicat s. Thomas 1. 2. q. 3. a. 4. Gratia gratis data eo fine datur, ut unus homo alium ad Deum adducat. Hoc autem fieri nequit interna motione, quae soli Deo est possibilis, sed exterius docendo et persuadendo. Ad hoc vero tria in praedicatore requiruntur: 1.° debet plene et perfecte cognoscere quae docet; 2.° probare et confirmare; 3.° audiri et percipi a discipulis. Ad primum pertinent *charismata fidei, sermo sapientiae* et *scientiae*. Fides enim consistit in insigni de rebus divinis certitudine, qua fit ut concio habeat magnam vim persuadendi; sermo sapientiae efficit, ut magna cum unctione, sermo scientiae, ut docte de rebus divinis loquatur. Ad alterum pertinent opera divinae virtuti propria, ut miracula, quae quadruplicis generis recenset Apostolus pro diversitate adiunctorum, in quibus potest versari verbi divini magister, nempe gratiam *sanitatum*, operationem *virtutum* (miracula in natura), *prophetiam* et *discretionem spirituum* i. e. humani cordis penetrationem. Ad tertium spectant dona *linguarum* et *interpretatio sermonum*, i. e. explicatio sacri textus.

Licet hae gratiae gratis datae a Paulo recensitae iis designentur nominibus, quae etiam aliquibus ex septem donis Spiritus sancti tribuuntur, cum his tamen confundi non debent. Haec enim pertinent ad dona gratum facientia, haberi possunt ab omnibus, imo ex voluntate Dei omnes iis potiri deberent, fructus sunt gratiae sanctificantis, quam consequuntur, et momenta dynamica, quae nos juvant ad proficiendum in sanctitate, quae omnia de gratiis gratis datis dici nequeunt.

Sectio I.

DE GRATIA ACTUALI.

Brevis haeresum adumbratio.

603. Sicut doctrina catholica de gratia pendet a recta naturae elevatae et lapsae notione, ita in perverso utriusque conceptu omnium de gratia errorum latet origo. Hinc errores de gratia fere cum erroribus coincidunt de statu hominum ante peccatum et post peccatum, videlicet alii errarunt per defectum, alii per excessum.

604. I. Priores inflando naturae vires gratiam destruunt. Inter hos eminet Pelagius, natione anglus, professione monachus, qui saec. V ineunte, Manichaeorum haeresis oppugnandae specie, docuit hominem nasci purum ac bonum atque ab omni originali labe immunem, ipsi sufficere vires liberi arbitrii ideoque Christi gratia non indigere. Discipulos et adiutores nactus est tres praecipuos: Coelestium, Julianum Eclanensem episcopum et sibi ingenio non imparem et Ananium diaconum: impugnatores vero acerrimos, Hieronymum praesertim et Augustinum. Sed ut haeresis pelagiana melius intelligatur, quatuor in ea periodi seu status distinguendi sunt.

605. Primus status est, in quo Pelagiani nulla gratiae facta mentione, docuerunt purum Naturalismum, nempe naturales liberi arbitrii vires sufficere ad omnes virtutes assequendas. — Secundus status est, in quo Pelagiani ad decipiendos catholicos et haeresis notam vitandam gratiae nomen admiserunt, liberum arbitrium pro gratia agnoscentes. Tunc invecta est celebris illa distinctio inter *posse, velle* et *agere. Posse* h. e. *naturalis potestas* est, ajebant, a Deo; *velle* autem et *agere* est ab homine. — Tertius status est, in quo a catholicis pressi, pro gratia legem et doctrinam, exempla Christi, et remissionem peccatorum admiserunt. — Quartus status est, in quo Pelagiani ab anno 418 admittere coeperunt, juxta nonnullos, veram gratiam internam, sed illustrationis tantum, duplici tamen errore infectam. Nam

eam dari dicebant nonnisi ad *facilius* operandum, nec esse *gratuitam*, sed pro merito naturali retribui. Haec omnia constant ex Augustino.

606. Pelagiani damnati sunt in 24 conciliis particularibus, quorum praecipua sunt: Carthaginensia (412–418), Diospolitanum (415) et Milevitanum (417), quo misit Innocentius I litteras decretales, quibus receptis Augustinus illud solemne edixit: « Rescripta ab Apostolica Sede venerunt: causa finita est. Utinam finiatur et error; » item ab Innocentii successore Zozimo edita epistola *Tractatoria* (418), aliisque Pontificibus et in conc. oecum. Ephesino (431). Ad Pelagianos accedunt Sociniani et Rationalistae nostrae aetatis.

607. Ex Pelagianismo orti sunt Semipelagiani (428) sic dicti a dimidiata quasi haeresi Pelagii. Dicuntur etiam Massilienses ab urbe Massiliensi in Gallia. Quoad cetera catholice sentiebant, et in hoc tantum errabant, quod initium boni salutaris non gratiae tribuerent, sed homini, dicentes, *initium* fidei ac salutis esse a nobis, non vero augmentum et alia opera salutaria. Initium fidei, eorum sensu, complectebatur: 1.° pium credulitatis affectum, qui potest per praedicationem et auditionem Evangelii excitari; 2.° desiderium salutis inde ortum; 3.° impetrationem divinae benevolentiae. Exemplo utebantur aegroti, qui cupit sanari et vocat medicum: his actibus, ajebant, qui prorsus ab aegroto pendent, continetur principium curationis, quae tota perficitur a medico. — His opinionibus errarunt ante dilucidatam plene quaestionem, ac proin non culpanda fide, viri quidam alioquin probatissimi, ut Jo. Cassianus dictus Collator, Faustus, Vincentius Lirinensis abbas, Gennadius. — Semipelagianismus tandem damnatus fuit in conc. Arausicano II (529), quam damnationem approbavit Felix IV, et Bonifacius IV confirmavit (530).

608. II. Per excessum seu quia talem finxerunt gratiam, qua ineluctabili necessitate hominis voluntas determinaretur, errarunt Praedestinatiani, Novatores, et Jansenistae.

Praedestinatiani *rigidi* et *proprie dicti* docebant, absoluto Dei decreto alios praedestinatos esse ad gloriam hisque gratias vim voluntati inferentes conferri; alios destinatos esse ad poenam aeternam, hisque gratias denegari. Huiusmodi errores feruntur

tradidisse saec. V Lucidus presbyter et saec. IX Goteschalcus monachus, certe vero eos saec. XII Waldenses et saec. XIV et XV Wicleffitae et Hussitae tenuerunt, quos damnavit conc. Constantiense.

609. Haec impia dogmata excoluerunt magis et explicuerunt Protestantes. Hi consequenter ad eorum doctrinam de statu originali primi hominis docebant: 1.° Hominem intrinsece per peccatum vitiatum nil boni agere posse, sed ante fidem, qua imputatur justitia Christi, quaeque proinde est absolute prima gratia, omnia ejus opera esse peccata. 2.° Liberum arbitrium in statu naturae lapsae esse vanum nomen, nec aliud ad summum significare quam libertatem a *coactione*, nequaquam vero a *necessitate*. 3.° Hominem non posse resistere gratiae, et absolute determinari sive ad bonum sive ad malum. 4.° Nullam de facto dari gratiam sufficientem, quae simul non sit efficax. 5.° Praecepta Dei homini esse impossibilia, nec posse ab homine per gratiam, qualem Deus largiri solet, impleri. — Omnes isti errores in conc. Trident. proscripti sunt.

610. Atque haec fere communia censeri debent systemati Jansenistarum. Errores enim Baii (a. 1567) circa gratiam sunt sequentes: 1.° Gratiam et dona in Adamo fuisse debita naturae. 2.° Liberum arbitrium sine gratia nonnisi ad peccandum valere. 3.° Peccatores, et eos omnes qui gratia sunt destituti, in omnibus actionibus peccare. 4.° Non dari alium amorem praeter caritatem theologicam et vitiosam cupiditatem. Haec est hypothesis illa de *duplici amore*, quae est praecipuum Baiani systematis fundamentum. Ista damnavit s. Pius V (1567).

Ex Baio magistro suo praecipuos errores suos mutuatus est Jansenius (a. 1638) et ex hoc Quesnellus. Jansenii errores summatim continentur famosis quinque propositionibus, quas excerptas ex ejus libro, cui titulus *Augustinus*, damnavit ut haereticas Innoc. X (1653), aliique subsequentes Pontifices. Sunt autem sequentes: 1.° Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. — 2. Interiori gratiae, in statu naturae lapsae, numquam resistitur. — 3. Ad merendum et demerendum, in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a

coactione. — 4. Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc errant haeretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. — 5. Semipelagianismum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Totius systematis Janseniani principium ac fundamentum in *delectatione relative victrici* consistit.

611. Quesnellismus non est nisi systema Baianum et Jansenianum, tum accessione aliorum errorum de Ecclesia et ecclesiastica disciplina auctum, tum majori pertinacia et Ecclesiae contemptu defensum, damnatusque est a Clemente XI, Const. *Unigenitus* 1713.

612. Doctrinis erroneis adumbratis, jam exponenda nobis est ipsa vera Ecclesiae doctrina, quod his quatuor capitibus praestabimus: 1.° de gratiae actualis natura; 2.° de ejus necessitate; 3.° de ejus efficacia; 4.° De ejus distributione.

CAPUT I.

De gratiae actualis natura.

613. Omnes in eo conveniunt, quod gratia actualis est *influxus supernaturalis, quem Deus homini lapso largitur per modum actus vel motionis transeuntis ad operandum in ordine ad sanctificationem.* Si vero quaeritur, in quo propria ratio hujus *influxus* gratiae sita sit, plurium eorumque optimae notae theologorum vestigiis insistentes, haec statuimus:

Prop. 86. **Gratia actualis consistit in illustrationibus intellectus atque inspirationibus voluntatis, et quidem tum in illustrationibus immediatis tum in immediatis inspirationibus, quae sunt actus vitales intellectus et voluntatis tam indeliberati quam deliberati, iique intrinsece supernaturales.**

Declar. Illustratio et inspiratio *active* et *passive* spectari possunt: active est Deus illuminans et inspirans, passive est homo illustratus et inspiratus: sub primo aspectu indicat operationem

divinam, sub altero effectum creatum. Quae duo distingui quidem possunt, sed non separari; siquidem impossibile est, ut Deus sit illuminans et inspirans, quin sit aliquis illustratus et inspiratus. Hic tamen sumitur praecipue *passive.*

614. Demonstr. i. p. *Gratia actualis generatim consistit in illustrationibus mentis et voluntatis inspirationibus.* — Scriptura gratiam vocat lucernam, illuminationem, benedictionem dulcedinis, dilectionem et charitatem, dicit eam pulsare, vocare, trahere, quae actum mentis et voluntatis significant (1). — Augustinus passim gratiam appellat bonam et piam cogitationem, sanctam delectationem et voluptatem: concilia tum illuminationem tum inspirationem Spiritus sancti ad salutariter agendum necessarias commemorant.

Confirmatur duplici ratione ex munere gratiae derivata. Primum munus est sanare vulnera peccati: haec sunt praecipue ignorantia intellectus et infirmitas voluntatis. Quare gratia coecitatem ab intellectu depellere et torpentem voluntatem excitare debet: hoc vero praestat illustratione mentis et inspiratione voluntatis. Alterum munus est, hominem elevare ad actus salutares eliciendos; isti autem actus in cognitione et amore consistunt: utraque ergo facultas est juvanda: sed intellectus, utpote lumen, juvatur lumine, voluntas robore. Ergo.

Demonstr. ii. p. *Illustrationes illae non sunt mediatae tantum, sed potissimum immediatae.* — Duplex secerni debet illustratio mentis: *mediata* et *immediata.* Mediata dicitur ea, quam Deus excitat per extrinseca obiecta, puta per revelationem, praedicationem, visa plurima etc., quaeque proinde vi legis psycologicae sponte sua oritur ex illa veritatis propositione. Immediata dicitur ea, quam Deus, plerumque ex occasione alicujus externi obiecti, attamen independenter ab eo, ipse per se excitat immediate agens in mente. Jam vero non negamus illustrationes *mediatas,* quemadmodum gratias actuales externas admittimus; sed asserimus, praeter illas, admittendas esse illustrationes *immediatas;* imo de his proprie agebatur, cum Patres gratiae necessitatem defendebant. Constat ex 1. Cor. 3, 7: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat*

---

(1) Cf. Ps. 12, 4; 2. Cor. 4, 6; Ps. 118, 34; Ps. 20, 4.

Deus, et ex Augustino: « Adhibetur sermo veritatis extrinsecus vocis ministerio corporalis, verumtamen neque qui plantat est aliquid, etc. Audit quippe homo dicentem vel hominem vel Angelum; sed ut sentiat, et cognoscat esse verum quod dicitur, illo lumine intus mens ejus aspergitur, quod aeternum est, quod etiam in tenebris lucet » (1).

Suadetur etiam analogia fidei. Actus salutares supernaturales esse debent; sed tales esse nequeunt, nisi ipsa facultas in se perfectior et potentior fiat; per solam vero extrinsecam revelationem, licet extrinsece amplietur intellectus cognitio, tamen facultas ipsa intellectiva in se manet cum iisdem viribus, quas naturaliter habet. Ergo opus est praeterea, ut immediata Dei actione mens ipsa illuminetur et elevetur.

615. DEMONSTR. III. P. *Inspirationes pariter voluntatis non solum mediatae, sed etiam immediatae sunt.* — Ex immediatis mentis illustrationibus sponte sua oriuntur internae voluntatis inspirationes, quas *mediatas* appellare possumus. His tantum contineri gratiam actualem arbitrati sunt nonnulli theologi; verum communis sententia docet, gratiam amplecti immediatas quoque voluntatis motiones, quibus Deus per novum favorem distinctum ab eo, quo intellectum illuminat, *tangit cor*, agit immediate in ipsam voluntatem, ipsam ad bonum inclinando.

Patres et concilia duplicem commemorant gratiam, aliam in intellectu, aliam in voluntate hancque prae illa extollunt. Augustinus: « Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet, an justum sit, *sive quia non delectat....* ut autem innotescat quod latebat, et *suave* fiat quod non delectabat, gratiae Dei est » (2); conc. Milev. II. can. 4: « Quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per J. C. D. N. propter hoc tantum nos adiuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, et quid vitare debeamus, non autem per illam nobis praestari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere *diligamus* atque *valeamus* a. s. » Docent insuper, Deum *praeparare voluntatem, operari in libero arbitrio,* ad operandum salutariter non sufficere ostensio-

(1) *De Pecc. Merit. et Remiss.* l. 1. c. 25. et alibi passim.
(2) *Ibid.* l. 2. c. 17.

nem veritatis sed esse necessariam largitionem *caritatis* et *delectationis;* gratiam nominibus *suavitatis, dilectionis, bonae voluntatis, delectationis* designant, quae immediate ad voluntatem referuntur.

Confirmatur ratione theologica. Voluntas activitatem habet propriam, aliam ab ea intellectus, et ideo ipsa, per se et intrinsece, elevanda est ita, ut ejus *activitas propria elevetur;* vel eo praesertim, quod in operibus edendis potior et maxima pars non ad intellectum sed ad voluntatem spectat. Inde fit, quod hujusmodi immediatae inspirationes inter gratias actuales principem obtinent locum et ad eas ceterae gratiae tamquam media ordinantur.

616. DEMONSTR. IV. P. *Hujusmodi illustrationes et inspirationes sunt actus vitales et primo quidem indeliberati tum vero deliberati.* — Sunt actus *vitales;* motio enim intellectus et voluntatis non potest fieri nisi vitaliter, quod insuper confirmatur appellationibus quae gratiae actuali fiunt v. g.: *piae et sanctae cogitationes, cognitio salutaris, amor, caritas et delectatio.* — Esse vero in primis actus *indeliberatos* liquet ex conciliis et Patribus docentibus, gratiam actualem adeoque actus vitales, quibus ea constat, praevenire liberam nostram voluntatem, hominem posse illis dissentire, illos esse in nobis, fieri a nobis (vitaliter), sed sine nobis (libere cooperantibus) (1). Praeter hos ad gratiam actualem spectant etiam actus *deliberati* utriusque facultatis non quidem omnes, sed certi, iique plures, qui non modo sunt a Deo Deique donum, verum etiam principium sunt aliorum actuum piorum, quos ipsi determinant. Ita actus caritatis deliberatus et a Deo est, et juvat ad ceteros actus; nam, auctore Paulo, per caritatem fides operatur in salutem.

617. DEMONSTR. V. P. *Isti actus sunt intrinsece supernaturales.* — Actus isti cum sint dispositiones et quasi motus quidam ad ultimum terminum beatificae visionis, debent esse ejusdem ordinis cum illo. Atqui visio beatifica est ordinis divini et quoad substantiam supernaturalis: ergo etiam actus viae debent esse quoad

---

(1) Conc. Trid. sess. 6. c. 5 et 6; Araus. II. can. 20; Augustinus passim. Ita v. g. *De Grat. et lib. arb.* c. 17: « Ipse (Deus) ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus sine nobis operatur; cum autem volumus et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. »

substantiam supernaturales (1), si quidem media debent esse proportionata fini et dispositiones formae. — Cum vero *salus* in ordine praesenti sive *salus a peccatis* (justificatio) sive *salus ab omnibus miseriis* (vita aeterna ad quam prima salus ordinatur) sit in ordine supernaturali, actus *salutaris* (qui tendit ad salutem), idem est ac actus supernaturalis; adeoque cum Patres exigunt gratiam ut actus sit *salutaris* seu *prout oportet,* ad *salutem* etc., exigunt gratiam ut actus sit supernaturalis.

618. Ut hic gratiae actualis conceptus ulterius explicetur, juvabit subiicere aliquas ejusdem partitiones, et in primis divisionem illam in gratiam *excitantem,* quae et praeveniens et operans dicitur, et *adiuvantem,* quae appellatur etiam cooperans et concomitans. Gratia *excitans* consistit in motione illustrationis et inspirationis indeliberata. Dicitur autem excitans et vocans, quia hominem non cogitantem et quasi sopitum sollicitat ad bonum salutare; praeveniens, quia praevenit et praeparat salutarem voluntatis deliberationem; operans, quia operatur in nobis sine nobis. — Gratia *adiuvans* consistit in auxilio seu actione Dei, qua ipse homini ad actum liberum salutarem eliciendum et in ipso eliciendo opitulatur, qua proinde actum salutarem nobiscum libere agentibus physice producit. Dicitur adiuvans quatenus per eam voluntas adiuvatur ad illud volendum et perficiendum, ad quod per excitantem gratiam sollicitata fuit; cooperans, quia operatur in nobis sed cum nobis libere simul agentibus ita, ut unica actio a Deo et ab homine tamquam ab uno principio profluat; concomitans vel subsequens quatenus consensum liberi arbitrii in bonum concomitatur et subsequitur. — Quaeri solet, utrum gratia excitans et adiuvans inter se distinguatur? Respondent alii distingui tantum *habitudine ad liberum arbitrium,* ita ut quae in actu primo erat excitans voluntatem ad operandum, eadem in actu secundo fiat adiuvans ad cooperandum. Alii inter

---

(1) Quidam veteres theologi asseruerunt actus salutares viae esse supernaturales solum *quoad modum*, sed communis sententia docet eos debere esse *entitative, intrinsece* seu *quoad substantiam* supernaturales, sicut, omnibus fatentibus, est visio beatifica, quod colligitur etiam ex absoluta necessitate gratiae definita contra Pelagianos. Ad substantialem hanc supernaturalitatem requiritur certe principium eliciens supernaturale; utrum vero requiratur obiectum motivum supernaturale disputant theologi. Vide Mazzella n. 52 sqq.

utramque *intrinsecum* admittunt discrimen, ita ut gratia adiuvans novum et ab excitante distinctum auxilium sit (1).

619. Dividitur in *medicinalem* et *elevantem,* pro duplici illius munere, quo vel *sanat* vulnera peccato originali inflicta, ignorantiam et concupiscentiam, vel *elevat* facultates animae ad eliciendos actus supernaturales. Licet in praesenti rerum ordine, plerumque saltem, utrumque effectum eadem gratia praestet; certum tamen est, gratiam posse esse elevantem, quin sit medicinalis, si ageretur nempe de actu supernaturali nulli obnoxio difficultati, v. g. invocatio nominis Jesu ex motivo supernaturali; et vicissim posse esse medicinalem, quin sit elevans, si ageretur nempe de gravi tentatione vincenda ob motivum naturalis honestatis, (cujusmodi actus sola gratia medicinali positos de facto dari in iis, qui ad fidem nondum vocati sunt, plures theologi contendunt). Gratia haec medicinalis non esset *intrinsece* et *entitative* supernaturalis, sed praeternaturalis vel ordinis naturalis tantum.

620. Celeberrima denique est divisio gratiae actualis in *sufficientem* et *efficacem.* Haec est quae suum *sortitur effectum* ad quem datur, seu quae coniungitur cum consensu; illa est quae de facto suo *frustratur effectu,* seu est ea, cui voluntas non assentitur.

621. Scholion. 1. Statuimus gratiam actualem complecti actus vitales eosque entitative supernaturales immediatae illustrationis intellectus et immediatae inspirationis voluntatis. Actus hujusmodi, si ad illustrationem spectant, sunt vel simplices *apprehensiones suasivae,* vel ipsa formata *judicia* sive theoretica sive practica. Si vero ad inspirationes pertinent, sunt *piae affectiones,* imprimis *caritatis,* verum etiam *timoris* gehennae, et *desiderii* vel *spei* vitae aeternae, itemque *odii* in peccatum ejusque turpitudinem aliaeque, quibus voluntas a vitio abstrahitur et suaviter inclinatur ad bonum. Haec sententia non est exclusiva. Quaeritur videlicet an his absolvatur essentia gratiae actualis, vel aliquod aliud elementum sit praeterea admittendum. Et sane isti actus cum sint supernaturales, eliciuntur a facultate elevata ad ordinem supernaturalem; antecedenter ergo, saltem prioritate naturae, facultates esse debent in eo ordine, in quo sunt actus,

(1) Cf. etiam de his divisionibus Satolli *de Gratia Christi* q. 3. a. 2 et 3.

qui ab ipsis vitaliter procedunt. Iamvero *quomodo* fit haec elevatio? Quaestio respicit praesertim hominem habitibus supernaturalibus carentem, qualis est e. g. peccator; si enim agitur de homine illis habitibus instructo, qualis est v. g. justus, tunc communiter admittitur habitus elevare intrinsece naturam, eique vires conferre, ut illustrata et inspirata possit supernaturaliter agere. In hac quaestione tres sunt sententiae. Prima est Thomistarum, qui rationem gratiae actualis in entitate quadam physica transeunte nobisque intrinsece inhaerente collocant, quae sit principium formale actus cujuscumque supernaturalis. Iuxta hos gratia excitans est vis transiens, menti nostrae impressa qua Deus in nobis actus indeliberatos operatur; gratia adjuvans vero consistit in nova qualitate seu entitate, quam physicam praedeterminationem appellant, quaeque consensum liberum voluntatis determinat. — Altera sententia, cui adhaerent Molina, Bellarminus, Vasquez, Lessius, aliique, docet facultates formaliter elevari per ipsas illustrationes et inspirationes a Deo in anima excitatas, et praeter has nullum aliud donum requiri ad adaequatam rationem gratiae actualis constituendam, gratiamque excitantem ab adiuvante entitative non differre, sed tantum pro diversa habitudine ad actum salutarem. — Tertia, quae est Suaresii et Wircenburgensium, contendit facultates extrinsece elevari per spiritum sanctum immediate assistentem, qui defectum alterius principii intrinseci in genere causae efficientis per se immediate supplet. Alteram et tertiam sententiam haud difficulter compones in unam, si dicas, Deum seu Spiritum sanctum qua actione pias cogitationes et affectiones in nobis excitat, eadem actione facultates intus modificare, ut fiant aptae ad supernaturaliter agendum.

622. **Corollarium.** Ex statutis intelligitur falsas esse de gratiae actualis natura sequentes sententias: 1.° Gratiam esse *voluntatem Dei omnipotentis*, ut vult Quesnellus (prop. 11 et 19); eâ enim gratia non consideratur passive, sed tantum active, et etiam sub hoc respectu voce *omnipotentis* proponitur, juxta Quesnellum, gratia, cui liberum arbitrium resistere non potest. 2.° Gratiam esse *actum deliberatum*, ut contendit Arnaldus; hac enim a gratiae censu excluduntur omnes actus indeliberati, adeoque omnis gratia *proprie dicta excitans*. 3.° Gratiam esse *caritatem*,

ut affirmat Jansenius et Berti; nam sunt et aliae piae affectiones a caritate formaliter diversae, quae voluntatem ad salutariter operandum movent. 4.° Gratiam consistere in *qualitate aliqua mortua,* ut docent Alvarez et Lemos; actus enim vitales ab hujusmodi qualitate elici non possunt.

CAPUT II.

De gratiae actualis necessitate.

623. In hoc capite tum eorum errores refellemus, qui vires liberi arbitrii cum praeiudicio gratiae Christi, tum eorum, qui gratiam cum praeiudicio liberi arbitrii extollunt, doctrinamque catholicam media incedentem via duobus articulis vindicabimus:

1.° Ad quid requiratur gratia, contra eos, qui vires liberi arbitrii nimis extollunt (Pelagianos).

2.° Ad quid non sit necessaria contra eos, qui vires liberi arbitrii nimis extenuant (Protestantes).

ARTICULUS I.

Ad quid requiratur gratia contra eos, qui vires liberi arbitrii nimis extollunt.

624. Cum agitur de necessitate gratiae distinguendi sunt actus *naturales,* qui homini conveniunt in ordine naturali, quibus ipse satisfacit legi naturali et in finem naturalem tendit, quique etiam actus *ethice boni* dicuntur, ab *actibus supernaturalibus,* qui conveniunt homini in ordine supernaturali, quibus satisfit legi hujus ordinis et veluti totidem gressibus in finem tendit naturam excedentem, qui principio eliciuntur facultates naturales elevante et perficiente, quique dicuntur *salutares,* actus ut oportet, ut expedit, actus qui ad pietatem et justitiam pertinent, theologice boni, simpliciter boni. Hinc duplex oritur quaestio an gratia necessaria sit ad actus *salutares;* an etiam necessaria sit ad actus *ethice bonos.* A priori incipiamus.

A) De necessitate gratiae ad actus salutares.

625. Prop. 87. **Ad omnes et singulos actus salutares, necessaria est interior Spiritus sancti gratia illustrationis et inspirationis.**

Propositio continet *dogma fundamentale* religionis christianae definitum a conc. Arausicano II. can. 7: « Si quis per naturae vigorem aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit aut eligere, sive salutari i. e. evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, et inspiratione Spiritus sancti, haeretico fallitur spiritu, » et Tridentino (sess. 6. can. 2): « Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam per Jesum Christum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam aeternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed aegre tamen et difficulter possit, a. s. », et can. 3: « Si quis dixerit sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione atque adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut poenitere posse sicut oportet... a. s. » (Cf. etiam can. 1).

Declar. Sermo est *a)* de necessitate *physica* non tantum morali (1), *absoluta* non relativa; *b)* de gratia *elevante* non solum *medicinali; c)* eaque tum *excitante* tum *adiuvante* (2).

626. Demonstr. I. Id Scriptura evidentissime docet *a)* negando nos aliquid posse absque gratia. *Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est.... Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere* (Io. 15, 1 – 5). Christus est vitis relate ad palmites, quatenus est

---

(1) Necessitas respondet impotentiae, quae potest esse physica et moralis. Impotentia physica ea est, quae consistit in physica seu entitativa improportione et ineptitudine facultatis ad aliquem actum, puta visus ad audiendum. Moralis ea est, qua facultas aliqua physice capax alicujus actus, impedimentis tamen ordinis moralis, quae intellectum spectant videlicet et voluntatem, praepeditur, quominus ponat actum. Haec non impossibilem sed difficillimam reddit actionem, ita ut propter ejusmodi difficultatem, spectato modo ac more, quo homines semper agunt, facultas physica in actum non transeat. Patet, hanc varios gradus habere posse.

(2) Non est tamen *dogma*, gratiam esse entitative supernaturalem, dum Ecclesia definivit tantum eam esse *gratuitam* seu *indebitam;* nec gratiam requiri *actualem* etiam in *justis* et in ipsis angelis et protoparentibus *ante lapsum;* nec demum praeter illustrationes, requiri *immediatas* inspirationes.

Verbum incarnatum et caput Ecclesiae, proindeque in ordine supernaturali; non loquitur igitur de concursu naturali divino, qui ad omnia, etiam naturalis ordinis, requiritur, sed de supernaturali gratiae influxu, itemque de supernaturalibus fructibus, seu de operibus salutaribus. Quo posito, ita ergo se habet homo in ordine salutis ad Christum, sicut palmes se habet ad vitem: quemadmodum palmes nequit fructum i. e. uvam emittere et ad maturitatem deducere, nisi adhaereat viti ab eaque succum et vigorem continuo trahat; ita homines nullos possunt producere fructus vitae aeternae seu opera salutaria, nisi Christo adhaereant ab eoque influxum et vigorem continuo in se derivent. Et habitualis itaque adhaesio Christo, et jugis ab eo influxus ut necessarius proponitur, seu habitualis per caritatem coniunctio simul spectatur quatenus virtutem actu influit in operationes, seu quatenus ea fit formaliter gratia actualis, vel quatenus est in justis ratio et radix gratiae actualis, qua et ipsi indigent ad operandum. Si igitur virtus Christi bona justorum opera « semper antecedit, et comitatur, et subsequitur » ut docet Trid. (sess. 6. c. 16); a fortiori influxus gratiae Christi actualis necessarius est, ut peccator possit salutariter agere (1). — Confirmatur iis Scripturae locis, ubi homines in ordine salutis exhibentur *mortui, coeci, animales* seu incapaces percipiendi ea, quae sunt Dei (2).

Quod *b*) Scriptura negando docet, *affirmando* quoque inculcat, cum salutem et opera nostra gratiae adscribit, exclusis operibus naturalibus. (Ad Eph. 2, 8), ubi quot incisa, tot argumenta: *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in* (ἐπί significat scopum, ad quem) *operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut*

---

(1) Augustinus *in Jo. tract.* 81. n. 3 explanans hunc locum scribit: « Ne quisquam putaret, saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset: *hic fert fructum multum*, non ait, quia sine me *parum* potestis facere, sed sine me *nihil* potestis facere. Sive ergo parum sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Quia etsi parum attulerit palmes; eum purgat agricola, ut plus afferat; tamen nisi in vite manserit et vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non praeberet, nisi etiam Deus esset. »

(2) Eph. 2, 1; 5, 8; 1. Cor. 2, 14.

in illis ambulemus. — (Ad Philip. 1, 2 sq.): *Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino J. C. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri. Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione vestra in Evangelio Christi a prima die usque nunc; confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi.* Duo primum exprimit, gratiam et pacem, inter quae, velut extrema principii atque ultimi finis, totum supernaturale bonum comprehenditur. Sed haec qualia et unde esse dicuntur? a Deo, non tam ut Auctore universi, sed ut Patre nostro et ex meritis Jesu Christi. Praeterea memorat Philippensium bona opera, in iis gaudet, et gratias agit Deo suo: quod profecto ostendit sensisse Paulum ea cuncta repeti a divino auxilio, cum secus non videretur sufficiens ratio nec gaudii nec gratiarum actionis. Quae quidem bona opera sumpsere principium ex communicatione in Evangelio Christi, scilicet ex eo divino praesidio ad supernaturalia, cuius est veluti fons patens praedicatio Evangelii in presenti ordine miserationis divinae erga genus humanum. Atque optime innuit communicationem in Evangelio Christi, ut non sola praedicatio exterius, verum intellectu et voluntate suscepta veritatis divinae illustratio reputetur ea esse virtus qua homines egent ad bene operandum in eo statu vitae praesentis, ubi homines Dei Patris et Christi Jesu participes vivunt. Insuper deprecationem facit iugiter pro iisdem ut bonis operibus indesinenter vacent: ad quid autem, nisi in quantum certior ille fuerit et certiores nos faceret, neque donum perfectum nec opus bonum fieri posse sine auxilio exorato et a Patre luminum immisso? Quapropter universaliorem ducit sententiam, cuncta bona opera, ab initio ad terminum prodire ex divino auxilio supernaturali, confortante et augente vires nostras, dum ait: *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* — Praeterea Scriptura *singillatim* opera salutaria gratiae adscribit, ut *pias cogitationes* (2. Cor. 3, 5); ipsam Salvatoris *invocationem* (I. Cor. 12, 3); *veram fidem* (Philip. 1, 29); *orationem* (Rom. 8, 26); *caritatem* (Rom. 5, 5).

627. II. Doctrina Augustini, qui hac in re *os Ecclesiae* est (1),

---

(1) Auctoritatem s. Augustini commendarunt Bonifacius I qui, quamvis

quamque viginti et amplius annos operibus plusquam triginta editis propugnavit, compendio exhibetur illis verbis: « Sine illo (Deo) vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil possumus » (1). De fide ecclesiae ante haeresim Pelagianam sufficiat quod scribit Vincentius Lirinensis commonitorii c. 24: « Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem praesumpsit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adiuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? »

628. III. Medium debet habere proportionem ad finem; ergo actio ut sit salutaris, h. e. ut sit medium ad finem supernaturalem, et ipsa sit supernaturalis oportet, ac proin ex principio supernaturali gratiae procedens. — Sicut arbori producenti fructus infimae cujusdam speciei, ut fructus nobilioris speciei ferat, inseritur ab agricola novus ramus, surculus videlicet nobilior, quo modificatur, perficitur, elevatur, idoneaque evadit ad fructus egregios producendos; ita homo ex natura sua ne minimum quidem actum supernaturalem edere potest, sed indiget gratiae influxu, quo supra naturam elevetur, ut fructus salutares producere queat.

629. **Corallarium.** Testimonia allata demonstrant, quod communis tenet sententia, gratiam actualem necessariam esse etiam justis. Habitus enim non erumpit in actum, nisi applicetur a facultate in qua est; atqui haec applicatio non potest esse naturalis pro habitu supernaturali; ergo indiget ut supernaturaliter excitetur ad agendum. Quare Augustinus: « Sicut oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere; sic homo, etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adiuvetur, recte non potest vivere » (2).

---

doctissimus, epistolis Pelagianorum maluit per s. Doctoris scripta satisfieri; Coelestinus I *in ep. ad ep. Galliae* a. 431, Bonifacius II *in ep. ad PP. Arausicanos*.

(1) *De Grat. et lib. arb.* c. 17. n. 23.

(2) *De Nat. et Grat.* c. 26. Ex hoc sequitur, quod ceteroquin Augustinus explicite docet, gratiam fuisse necessariam etiam Adamo et Angelis ante peccatum.

630. Prop. 88. **Eadem gratia necessaria est etiam ad initium fidei.**

Est *de fide* contra Semipelagianos ex conc. Araus. II. can. 5: « Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, non per gratiae donum, idest per inspirationem Spiritus sancti... sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur »; et Trident. (sess. 6. can. 3): « Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adiutorio hominem credere.... posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, a. s. ».

Demonstr. I. *a)* Sequitur ex thesi antecedente. — *b)* « *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (Jo. 6, 44). « Trahi, ait Augustinus, a Patre ad Christum et audire ac discere a Patre, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quam donum accipere a Patre, quo credat in Christum » (1). Atqui qui incipit credere venit ad Christum, sicuti qui incipit venire, reapse venit: ergo etiam ad initium fidei necessaria est gratia divina. — *Quis prior dedit illi ut retribuetur ei? quoniam ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia* (Rom. 11, 35). « Et ipsum igitur, ait Augustinus, initium fidei nostrae ex quo nisi ex ipso est? neque enim hoc excepto ex ipso sunt cetera, sed ex *ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia* » (2) — (1. Cor. 4, 7): *Quis te discernit? quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* « Quo testimonio, inquit Augustinus, etiam ipse convictus sum, cum similiter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non esse donum Dei, sed a nobis esse in nobis » (3).

631. II. Praeter Augustinum, qui data opera Semipelagianos confutavit, audiatur Chrysostomus: « Nihil ex te habes, sed omnia a Deo accepisti.... si fidem dixeris, ex vocatione illa venit » (4), et alibi: « Nec fidei donum est nostrum, sed Dei, non ex operibus; non enim suffecisset, inquit, ad salutem... hoc ipsum est Dei donum, ne quis glorietur, ut nos gratos efficiat circa gratiam » (5). (Cf. supra conc. Araus. et Trid.)

---

(1) *De praed.* ss. c. 8. n. 3. — (2) *L. c. c. 2.* — (3) *L. c. c. 3 n. 1.* — (4) Hom. 12 *in 1. Cor. n. 1 etc.* — (5) Hom. 4. *in Eph. 2, 8.*

632. Prop. 89. **Justus sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare non potest; actualis vero usque in finem perseverantia ita divinae misericordiae adscribi debet, ut merito dicatur magnum Dei donum.**

Declar. Perseverantia est perduratio in accepta fide et gratia sanctificante. Potest esse *imperfecta* et *perfecta*. Imperfecta, quae et *temporalis* dicitur, est ea, qua gratia sanctificans ad aliquod tantum tempus conservatur; perfecta, quae et *finalis* dicitur, illa est, per quam usque ad vitae finem in gratiae sanctificantis statu persistitur, a quocumque demum tempore hic status inceperit. Haec duplici velut elemento constat, secundum quod partiri solet in *passivam* et *activam*. Passiva consistit in opportunitate mortis seu in coniunctione mortis cum statu gratiae, circa quam passive se habet homo mortem subeundo; activa vero sita est in perenni exercitio eorum, quae ad statum gratiae retinendum augendumque pertinent.

Apprime distingui debet *potestas ab actu* perseverandi; aliud est enim *posse* perseverare, aliud *de facto* perseverare. Hinc duplex oritur quaestio: 1.° quid requiratur ut justus *possit* diu et finaliter perseverare; 2.° quid requiratur, ut justus *actu* finaliter perseveret.

Ad primam quaestionem videtur spectare illud Trident. (sess. 6. can. 22): « Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, a. s. » At, quid venit nomine « auxilii specialis? » Dicimus intelligendam esse *summam auxiliorum actualium* sive internorum sive externorum, quae jugiter homini justo suppeditantur ad bona opera peragenda et peccata vitanda, proindeque definitum esse gratiam habitualem non sufficere ad perseverendum.

Quoad alteram quaestionem de *actu* perseverandi, certum est, conc. Trident. de eo agere can. 16: « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiae donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit a. s. » Hoc vero est peculiare et insigne Dei beneficium, quod non omnibus justificatis conceditur sed solis electis.

Demonstr. I. p. Si gratia est necessaria ad qualemcumque actum, multo magis ad totam seriem; si, ut videbimus, sine

auxilio Dei gravis tentatio vinci non potest, multo minus multiplices et arduae tentationes, quibus per vitae decursum justus impetitur. — *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem* (Matth. 26, 41); *Qui se existimat stare videat ne cadat* (1. Cor. 10, 12); *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (Phil. 2, 12); quibus necessitatis quidem auxilii divini ad perseverandum admonemur, minime vero auxilii distincti ab eo, quo omnes generatim indigent justi ne cadant. — Hinc Ecclesia passim illud implorat in suis orationibus, imo licet numquam expresse definierit, justos indigere gratia actuali ad singulos actus salutares, pluries tamen definivit eâ necessario justos indigere ad perseverandum. Coelestinus *ep. ad Galliarum episcop.* « Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei *perseverantiam bonae conversationis acceperit* » (1) et conc. Araus. II. can. 10. « Adiutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare. »

---

(1) c. 6. — Quomodo se habeat gratia habitualis ad potestatem perseverandi ita declarat recens theologus: « Verum gratia habitualis et auxilium, quod procedit ab ipsa, est sufficiens in suo genere ad hoc, ut homo constituatur in potentia perseverandi. Posse perseverare nempe habet homo ex eo, quod habet gratiam iustificantem, per quam natus est ex Deo et efficitur particeps divinae naturae, potens operari omne bonum et vitare omne malum; iuxta illud (I Jo. III): *Omnis qui in eo manet, non peccat.... quia semen ipsius in eo manet; et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Ergo in quantum est de virtute charitatis et gratiae, etiam gradu remisso, constituitur homo in potentia perseverandi absque ullo termino. — Attamen iam debet adverti, quod quandocumque usus seu operatio potentiae alicuius aliunde pendet quam ex potentia, tunc ex sola potentia non potest inferri usus seu operatio illius in actu exercito. V. g. potentia visiva habet pro suo actu videre, quod pendet ab obiecto et lumine; et propterea non potest ex hoc solo, quod homo habet potentiam visivam, inferri, quod ergo ex sola potentia potest videre: quoniam sine extrinseco lumine numquam exhibit in actum. Ita est in proposito, quia homo, constitutus in gratia, potens est elicere operationem bonam, et resistere impulsionibus tentationum, et continuare secundum perseverantiam. Sed ex parte subiecti plura inveniuntur, unde gratia non potest exercere hos actus simpliciter sine alio adiutorio extrinseci luminis et operationis divinae. Simile fieret in homine infirmo secundum vires ministrantes intellectui: tunc enim homo intellectu etiam habituato est potens intelligere, vitare errores, et in hoc continuare perficiendo seipsum. Verumtamen quia ad continuationem et perfectionem operationis intellectivae exigitur sanitas virium inferiorum; ideo talis homo non poterit uti intellectu, propter infirmitatem virium, nisi quis

633. **Corollarium.** Hoc auxilium merito a Tridentino appellatur *speciale* et 1.° quidem ut distinguatur a naturali auxilio generalis concursus, quo sensu definitum est contra Pelagianos et Semipelagianos ad potestatem perseverandi necessarium esse aliquod auxilium gratiae naturae indebitum. 2.° Ut distinguatur a gratia sanctificante, quo sensu contra eosdem proponitur necessitas alicujus auxilii actualis naturae indebiti. 3.° Ut distinguatur a gratia actuali, quatenus est elevans et necessaria ad omnes actus salutares, quo sensu indicatur necessitas gratiae etiam medicinalis propter graves tentationes et praecepta difficiliora, quae ad perseverandum per notabile tempus occurrunt (1).

634. DEMONSTR. II. P. Actualis perseverantia finalis addit *potentiae* perseverandi actualem perseverantiam tum activam tum passivam. Qua active consideratur, addit supra potestatem perseverandi *specialem* illam Dei *providentiam* (2), qua justos a tentationibus, periculis, seductione, peccati occasionibus praeservat, et a qua ipsa perseverantia activa plurimum dependet, deinde *efficaciam* auxiliorum prae sufficientibus, quibus non solum *poterit* perseverare, sed *perseverabit* usque in finem (3).

---

opem ferat sanitatis; quamvis possit sine tali ope ad horam recte iudicare. Satolli *op. cit.* q. 1. a. 10.

(1) Alii aliter. Nonnulli (Suarez *de grat.* l. 10. c. 2. n. 6, Gotti *tract.* 6. q. 1. §. 2. 3) vel pro sola potestate perseverandi exigunt auxilium speciale eo sensu quod sit distinctum a summa auxiliorum actualium quae justis conferuntur, adeoque extraodinarium et velut sui generis, non omnibus justis commune; alii rati de eadem perseverantia sermonem esse can. 22 et 16, atque adeo pro eodem habentes *auxilium speciale* et *magnum Dei donum,* auxilium speciale pro beneficio electis tantum proprio intelligunt, quod sane esset concedendum, quia tunc can. 22 comprehenderet etiam perseverantiam passivam. Cum hac sententia, seposita quaestione hermeneutica, remanet tota doctrina primae partis nostrae propositionis.

(2) De hac Dei speciali providentia erga iustos, Augustinus: « O tu, qui dicis, te non multa crimina commisisse. Quare? Quo regente?... Hoc tibi dicit Deus tuus: regebam te mihi, servabam te mihi; ut adulterium non committeres suasor defuit; ut suasor deesset ego feci; locus et tempus defuit, ut haec deessent ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus: ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes et quod non admisisti. » Serm. 99. *de Verb. Evang. Luc. n. 6.*

(3) Huc spectat illud Jer. 32, 40: *Timorem meum dabo in cor eorum, ut non recedant a me.* — « Quod, ait ad haec Augustinus *de dono persev.* c. 2, quid est aliud, quam talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhaereant? » Pauli Phil. 1, 29; *Vobis donatum*

Atqui utrumque hoc est adhuc specialior Dei gratia et plane singulare Dei beneficium. Ergo.

Qua parte perseverantia passiva nominatur, designat opportunitatem mortis. Quod vero mors hominem occupet eo momento quo est in statu gratiae, quod non differatur usque ad illud tempus, quo Deus praevidet ipsum tentationibus et periculis expositum fore casurum, hoc magnum est Dei donum ejus misericordiae adscribendum. « Videte, ait Augustinus, jam a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitae: cum vitae huic, quando voluerit, ipse det finem; quem si dat ante imminentem lapsum, fecit hominem perseverare usque in finem » (1).

635. **Corollarium.** Quamquam perseverantiam finalem de *condigno* mereri non potest homo; est enim magnum Dei donum; potest tamen justus illud per orationem *impetrare,* et quidem infallibiliter, ut docet Augustinus: « Hoc ergo donum *suppliciter* emereri potest » (2). Ut vero oratio effectum suum obtineat, fieri debet *sicut oportet,* seu debitis servatis conditionibus, inter quas illam indicabimus, quod jugis sit et constans quoadusque justus vivit; quia modus ordinarius impetrandi perseverantiam non est qui semel pro semper, sed qui *successive* fit per totum vitae tempus, quasi per partes auxilia singula impetrando ad singulas occasiones (3).

---

est pro Christo non solum ut credatis in eum sed verum etiam ut patiamini pro eo, et alia quae ad probandam potestatem perseverandi citari solent ut Petr. 1. ep. 1, 5 et 5, 10; Phil. 1, 6 etc.

(1) *De dono Persev.* c. 17. n. 41. Et *de Correp. et Grat.* l. 1. c. 8: « Si confitearis donum Dei esse, perseverare in bono usque in finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto quod pariter mecum nescis, et ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus. »

(2) *De dono persev.* c. 6.

(3) *Quaeras,* quomodo donum perseverantiae a dono differat confirmationis in gratia. — *Resp.* juxta Suarez l. 10. c. 8: licet omnes qui salvantur perseverantiae dono fruantur, tamen, intra doni hujus latitudinem, possunt quasi duo gradus distingui: unus *communis,* importans nempe auxilia interna et externa communis seu ordinariae efficacitatis; alter *singularis,* importans nempe auxilia, non communis, sed singularis atque excellentioris efficaciae. Prior gradus *donum perseverantiae;* posterior *donum confirmationis in gratia* appellatur. Nota vero, eos, qui confirmati sunt in gratia, intensiorem gratiam sanctificantem frequentius possidere, quam qui tantum perseverantiae dono

636. Prop. 90. **Nequit justus, absque speciali privilegio, in tota vita sua peccata omnia etiam venialia vitare.**

Est contra Pelagianos, qui eo temeritatis pervenerunt, ut contenderent posse hominem, absque gratia, omnia peccata venialia vitare, imo consequi perfectam *imperturbabilitatem*, et quidem de *fide* ex conc. Trident. (sess. 6. can. 23): « Si quis hominem semel justificatum dixerit..... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Maria V. tenet Ecclesia, a. s. ».

Declar. Sermo est 1.° de justis *praesentis* status post lapsum; 2.° de vita satis *diuturna;* 3.° de peccatis venialibus omnibus, etiam *semideliberatis* et ex humana fragilitate obortis; 4.° de *tota* eorundem *serie;* 5.° de impotentia non physica sed *morali* ex summa difficultate orta, de facto non superabili cum solis auxiliis ordinariis, superabili vero 6.° privilegio tantum *speciali*, praeter gratias justis concedi solitas, quo infirmitas *plene* sanetur.

637. Demonstr. Ad rei demonstrationem sufficit provocare ad conc. Milevitani II canones tres, qui plura Scripturae proponunt effata, quibus Pelagianorum iactantia retunditur. Can. 6: « Item placuit, quod ait s. Joannes Apostolus (1. ep. 1, 8): *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est:* quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat propter *humilitatem* non oportere dici, nos non habemus peccatum, non quia veritas est, anathema sit. Sequitur enim apostolus et adiungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui remittat nobis peccata et mundet nos ab omni iniquitate.* Ubi satis apparet, hoc non tantum *humiliter*, sed etiam *veraciter* dici. Poterat enim apostolus dicere, si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, et *humilitas* in nobis non est. Sed cum ait, nos ipsos decipimus, et *veritas* in nobis non est: satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui sed falsum ». In canone 7 definitur, in oratione dominica sanctos non tantum pro *aliis*, sed etiam pro *seipsis* illa dicere: *Dimitte nobis debita nostra,*

---

praediti sunt. Hinc donum confirmationis a dono perseverantiae accidentaliter differunt, sicut gratia intensior a minus intensa.

idque confirmatur aliis adductis scripturarum testimoniis, uti est illud Jacobi: *In multis offendimus omnes* (3, 2). In can. 8 dicitur anathema iis qui dicunt verba dominicae orationis: *Dimitte nobis debita nostra, humiliter* et non *veraciter* a sanctis dici. — Huius rei hanc affert rationem s. Thomas: « Non potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis; cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest (unde rationem voluntarii habent et peccati) non autem omnes, quia, dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, et etiam quia ratio non potest esse semper pervigil ad hujusmodi motus vitandos » (1).

B) De necessitate alicujus divini adiutorii (gratiae medicinalis) ad actus ethice bonos.

638. Prop. 91. **Sine aliquo auxilio gratiae distincto a dono creationis et providentiae mere naturalis in praesenti statu naturae lapsae non potest homo sive universas veritates religiosas ordinis naturalis cognoscere, sive totam legem naturalem quoad substantiam observare, sive graves tentationes superare.**

Declar. Loquimur 1° de cognitione, adimpletione, victoria non *supernaturali*, et *salutari*, ad quam, ut patet ex dictis, certissime est necessaria gratia, sed *ethice bona*; seu loquimur de adimpletione *quoad substantiam*, ut ajunt, non *quoad modum*, quo nempe conducit ad vitam aeternam; 2° de *universa* lege et gravibus tentationibus, non vero de *aliqua* veritate vel praecepto, vel *levi* tentatione; 3.° de impotentia *morali*, non physica; 4.° de auxilio quod *per se* non est necessario *supernaturale*, sed potest esse *ordinis naturalis*. — Propositionem ita dicit certam Suarez, ut ejus oppositum sit temerarium.

639. Demonstr. I. p. *Cogitationes mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa*

(1) 1. 2. q. 109. a. 8. De peccatoribus vero l. c. dicit.: « Antequam hominis ratio, in qua est peccatum mortale, reparatur per gratiam sanctificantem, potest *singula* peccata mortalia vitare, secundum aliquod tempus, quia non est necesse, quod continuo peccet in actu. Sed quod *diu* maneat absque peccato mortali, esse non potest. » Cf. Suarez *de grat.* l. 1. c. 27. n. 13.

cogitantem. Et difficile aestimamus, quae in terra sunt, et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quae autem in coelis sunt, quis investigabit (Sap. 9, 14-16)? Idem confirmatur historia et experientia et generatim omnibus iis argumentis, quibus demonstratur *necessitas moralis,* quae hanc impossibilitatem consequitur, revelationis etiam quoad has veritates.

640. DEMONSTR. II. et III. P. *a)* Complectimur utramque partem, quia par est pro utraque ratio. Huc pertinet integrum c. 7 epistolae ad Romanos, in quo Paulus docet, summam esse difficultatem imo impossibilitatem implendi legem et graves tentationes superandi, hancque non ex *supernaturalitate* actus sed ex *concupiscentiae* vulneribus derivari, adeoque sine adiutorio divino nedum opus *salutare* sed ne *ethice* quidem *bonum* perfici posse. *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.... Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum D. N.* (Rom. 7, 18 sq.) — Augustinus: « Naturae praesertim vitiatae.... parum est ad non peccandum voluntatis arbitrium, nisi adiuta sanetur gratia » (1).

b) Confirmatur primo historia et quotidiana experientia: si enim homines, tot gratiis adiuti magnam experiuntur difficultatem ad diu perseverandum vel ad vehementes vincendas tentationes, quid facerent hisce praesidiis destituti? Nam difficultas oritur non ex actus *supernaturalitate,* quam nemo experitur, nemo percipit, sed ex *concupiscentiae repugnantia,* quae *aequalis* est in observatione legis tam ethice bona quam in salutari. Quare in utroque casu ex aequo requiritur gratia aliqua medicinalis. Secundo ratione. Per concupiscentiam homo trahitur ad sensibilia, quorum apprehensio et delectatio vivax est magis, magisque adhaerens. Facile proinde consequitur, ut animus, relicto consilio rationis, se ferri sinat ab iis quae sensus suadet. Cum haec porro frequenter turpia sint, moraliter impossibile est ut homo semper legem servet.

(1) *De perfect. just.* c. 2.

641. *Obi.* 1. In statu naturae purae homo haberet potestatem moralem totius legis diuturno tempore servandae; atqui status naturae lapsae quoad naturalia non differt a statu naturae purae: ergo.

Resp. Nonnulli theologi concedunt *majorem*, et negant minorem (cf. 395). Ceterum etiam concessa utraque praemissa, posset negari consequentia. Sicut enim pertinuisset ad ordinem providentiae, ut in statu naturae purae quaedam concederentur auxilia, quae in se fuissent naturalia (n. 376); ita pertineret ad providentiam, ut etiam in statu naturae lapsae quaedam concedantur auxilia ordinis naturalis, quibus homo legem naturalem adimplere possit.

Obi. 2. Juxta Paulum (Rom. 2, 14): *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt;* ergo.

Resp. Paulus non dixit: *omnia,* sed *ea quae legis sunt,* faciunt; quod verissime dicitur de his, qui aliqua legis praecepta observant, licet alia transgrediantur. Praeterea vox *naturaliter* in contextu non opponitur gratiae sed legi scriptae, ita ut significet *sine lege scripta,* non vero *sine gratia.* Juxta s. Augustinum vero Apostolus loquitur de gentibus conversis ad fidem adeoque gratia adiutis.

Obi. 3. Historia constat, multos ethnicorum praeclara admodum eaque ardua facinora patrasse. — *Resp. Dist.* Ex motivis humanis nanciscendi majora bona sensibilia *conc.*, ex motivis religiosis, quae nullam faciunt impressionem in hominem carnalem *subdist.* aliquo Dei auxilio *conc.*, sine hoc *neg.*

ARTICULUS II.

Ad quid non sit necessaria gratia contra eos, qui vires liberi arbitrii nimis extenuant.

642. Prop. 92. **Potest homo, ante gratiam fidei (infidelis), aliqua bona opera facere; ac proinde non omnia infidelium opera sunt peccata: imo et solis naturae viribus sine auxilio gratiae nonnulla opera honesta facere potest.**

Declar. Duplex in hac re quaestio secernenda est: 1.° an ante fidem gentiles opera honesta agere possint, in qua prae-

scindimus, utrum hoc solis viribus liberi arbitrii vel cum adiutorio gratiae possint; quocumque enim modo possint, sufficit ad errorem adversariorum evertendum; 2.° an quaedam ejusmodi opera etiam solis naturae viribus facere possint.

De prima quaestione agimus in prima thesis parte, quae est *certa* et statuitur contra Protestantes et Bajum, cujus damnata est propositio 25: « Omnia infidelium opera peccata sunt, et philosophorum virtutes sunt vitia »; et contra Jansenium et Quesnellum.

Alteram quaestionem in secunda parte agitamus estque contra Jansenium nonnullosque theologos catholicos et, quatenus excludit necessitatem gratiae *entitative supernaturalis*, videtur esse *certa*, quatenus vero universalissime excludit *auxilium cujusvis gratiae* etiam naturalis quoad substantiam, est longe *communior*.

Sermo est ac operibus non tantum *obiective*, sed etiam ex intentione et fine seu *subiective* bonis. Admittit enim Bajus opera obiective bona ab infidelibus perfici posse.

Demonstr. i. p. Laudantur obstetrices Aegyptiacae quia contra iniquum Pharaonis praeceptum pueros Hebraeorum servarunt: *Benefecit Deus obstetricibus, et quia timuerunt Deum aedificavit eis domos* (Exod. 1, 20). Daniel regi Nabuchodonosor suadet: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum* (Daniel. 4, 24). Christus ipse maximam perfectionem moralem a christianis exigens, quaedam opera laudabilia etiam in peccatoribus et gentilibus assignat: *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? Nonne et ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est* (Matth. 5, 46. sq.), et Paulus (Rom. 2, 14): *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* — Hieronymus: « Ex quo perspicuum fit, natura omnibus inesse Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiae et justitiae reliquarumque virtutum: unde multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant » (1).

---

(1) *In cap. 1. Epist. ad Gal.*

643. Demonstr. ii. p. Ex Scriptura rem conficere non possumus, quia ex illa efficaciter probatur quidem peccatores et infideles interdum bona opera perficere; sed non potest ex illa probari, ea fieri vel fieri posse solis naturae viribus et sine gratia praeveniente. Res magis suadetur ex *documentis* Ecclesiae. Damnatae sunt Baii prop. 27: « Liberum arbitrium sine gratiae Dei adiutorio nonnisi ad peccandum valet; » 28: « Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum; » 29: « Non soli fures ii sunt et latrones, qui Christum viam et ostium veritatis et vitae negant, sed etiam quicumque aliunde quam per ipsum in viam justitiae (h. e. aliquam justitiae), conscendi posse docent; » 30: « Aut tentationi ulli sine gratiae ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic, ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur; » 37: « Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturae solis viribus ortum ducit, agnoscit » (1). — S. Augustinus in verba Apostoli: *habentes opus legis scriptum in cordibus suis,* inquit: « id est, non omnino deletum est, quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est... Nam et ipsi homines erant, et vis illa naturae inerat eis, qua legitimi aliquid anima rationalis sentit et facit.... Sicut non impediunt a vita aeterna justum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur: sic ad salutem aeternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur » (2).

Accedit ratio theologica. Liberum arbitrium per peccatum attenuatum quidem, minime vero fuit extinctum, adeoque *aliquid boni,* licet non *multum* et *grave* peragere valet; « sicut homo infirmus potest per se ipsum aliquem motum habere, non tamen perfecte potest moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinae » (3). Praeterea infidelitas culpabilis maximum quidem

---

(1) Cf. etiam prop. 7. 8. 11 inter damnatas ab Alexandro VIII; 38. 39. 40. 42. 45. 49. 59 Quesnelli et 24 Synodi pistoriensis. Nonnulli theologi dicunt aliquas Baii propositiones damnatas fuisse non propter doctrinam sed propter acrem censuram, et propositiones Baii juxta principia ipsius intelligenda esse, qui et ipsos indeliberatos concupiscentiae motus peccata dicebat, et nomine gratiae caritatem perfectam designabat. Hujusmodi autem effugia quibus suam opinionem de necessitate gratiae ad haec opera honesta tueri volunt, magis esse subtilia quam valida fuse demonstrat Mazzella n. 460 et sq.

(2) *De Spir. et litt.* c. 28.

(3) S. Thom. 1. q. 109. a. 2.

peccatum est, sed tamen non omne opus moraliter bonum impedit. Ratio est, quia homo non semper agit ex habitu praedominante; avarus enim aliquando liberalis, impudicus interdum temperans est; imo nec homo justus semper agit ex justitia, sed aliquando peccat: ergo nec infidelis semper agit ex infidelitate, quemadmodum nec peccator ex malitia.

644. Scholion. Hucusque de potestate hominis et consequenter de possibilitate operis ethice boni viribus tantum naturae ponendi. Si vero quaeritur utrum de facto habeantur opera infidelium, quae sine gratia fiant, theologorum sententia non est uniformis. Nonnulli quoad quaestionem juris seu possibilitatis contra Baium statuunt quidem, etiam solis naturae viribus hominem quaedam opera naturaliter bona operari posse, sed de facto existimant, Deum semper etiam gentilibus praesto esse gratia sua eaque supernaturali, qua ipsorum opera elevantur ad ordinem supernaturalem, ita ut quodvis opus honestum in praesenti providentiae ordine, sit simul opus bonum supernaturale, non quidem, ut vult Bajus, ex naturae impotentia, sed ex Dei lege positiva.

Communius tamen alii tenent, etiam de facto tales actiones gentilium haberi, quae sine gratia perficiantur, opera videlicet bona naturalia, quae facilia sint, et auxilio naturam roborante non indigeant. In casibus porro difficilioribus censent, Deum adesse speciali suo auxilio, quod tamen non sit entitative supernaturale, sed tantum quoad modum supernaturale dici possit, quatenus neque ex principiis naturae fluit, neque ex generali Dei concursu et providentia Creatoris. Demum gratiam entitative supernaturalem gentilibus non dari, nisi quando ad fidem vocantur, ita ut fides adaequate sumpta, prout etiam primum ejus initium per desiderium et orationem comprehendit, sit gratia prima entitative supernaturalis. Praecedentia igitur opera, sive fiant solis viribus naturae, sive cum speciali auxilio Dei, erunt opera tantum moraliter bona in ordine naturali. Huic sententiae favere videtur Ecclesiae auctoritas. Etenim conc. Trident. (sess. 6 can. 1) definivit: « Si quis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Iesum Christum gratia posse justificari, a. s. » Videtur

ergo supponi bona opera naturalia revera fieri. Idem colligitur ex pluribus damnatis propositionibus (1).

644. SCHOLION. II. Quaerunt theologi, utrum homo absque gratia Deum super omnia diligere possit. Bajani (prop. 34) vel ipsam distinctionem inter amorem Dei naturalem et supernaturalem ut vanam et commentitiam reiiciunt; catholici omnes eam admittunt, sed quando agitur de *possibilitate*, nonnulli ut Suarez, Bellarminus eam negant, alii, quibus subscribimus, dicunt, hominem viribus naturae posse Deum ut auctorem naturae diligere super omnia amore *affectivo*, qui includat propositum observandi legem, saltem ad breve tempus dum non impingit in gravem tentationem aut non advertit ad diuturnam et difficilem luctam, quae necessaria est; non vero amore affectivo simul et *effectivo*, qui nempe cum diuturna legis observatione coniungatur. Ratio patet ex dictis.

645. Prop. 93. **Potest homo, si fidem habuerit, absque gratia sanctificante (peccator fidelis) cum gratia actuali actus bonos et supernaturales (non vero meritorios) elicere; ac proinde non omnia peccatorum opera sunt peccata.**

DECLAR. Est *de fide*, adversus Hussitas damnatos in concilio Constantiensi, item adversus Novatores, quorum doctrinam damnavit conc. Trident. (sess. 6. can. 7): « Si quis dixerit, ope-

---

(1) Huc pertinent Baii prop. 38: « Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum sanctum in corda diffusa Deus amatur; » 44 Quesnelli: « Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostrae nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, et amor quo nos ipsos et mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert et propter hoc ipsum fit malus; » et 45: « Cupiditas aut caritas usum sensuum bonum vel malum faciunt; » 24 Syn. Pistor.: « Doctrina synodi de duplici amore, qua parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti et suapte natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum remanserunt, velut extrema lineamenta et reliquiae imaginis Dei (s. Aug. *de Spir. et litt.* c. 28); perinde ac si inter dilectionem divinam quae nos perducit ad regnum et dilectionem humanam illicitam quae damnatur, non daretur dilectio humana licita quae non reprehenditur (s. Aug. *Serm.* 349), — (declaratur) falsa, alias damnata. » Ergo inter gratiam et peccatum, media adhuc superest bona natura mediumque bonum naturale.

ra omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto gravius eum peccare, a. s. »; item adversus Jansenianos, quorum plures huc spectantes damnatae sunt propositiones (1).

Si infideles vel viribus naturalibus vel gratia Dei roborante adiuti quaedam bona opera peragere possunt, etiam peccatoribus haec facultas vindicanda est. Imo cum hi fidem possideant et motiva supernaturalia bene agendi concipere possint, opera quoque supernaturalia peragere poterunt. Tales actiones eorum supernaturales meritoriae quidem ad vitam aeternam non erunt, quia ad meritum ejusmodi status gratiae requiritur; erunt tamen de congruo meritoriae ad gratiam conversionis impetrandam, et hac ratione ad ordinem salutis pertinent.

646. Demonstr. In Scriptura legimus, Manassem captivum, gratia divina excitatum et adjutum, impietatem suam et miseriam agnovisse et misericordiam divinam implorasse. Per orationem vero obtinuit gratiam, poenitentiam, remissionem peccatorum et pristinam salutem. Quis autem negabit, hanc Manassis nondum justificati orationem quam exaudivit Dominus, opus bonum et supernaturale fuisse? Ita et publicanus ille in Evangelio actibus humilitatis et oratione sua certe Deo placuit, et absurdum esset dicere, ipsum talibus actionibus nova peccata commisisse. Imo ad humilitatem, orationem et cordis conversionem s. Scriptura peccatores enixe hortatur, ut remissionem peccatorum obtineant. *Si quis cognoverit*, precatur Salomon, *plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in coelo in loco habitationis tuae et repropitiaberis* (3. Reg. 8, 38). Et alio loco monet Dominus: *Convertimini ad me et convertar ad vos, ait Dominus exercituum* (Zach. 1, 3). Blasphemum sane esset dicere, Scripturam peccatores ad id hortari, quod semper peccatum est et Deo displicet. Necessarium non est, rem tam perspicuam pluribus testimoniis probare. — S. Augustinus in illa verba coeci nati: *Scimus, quia peccatores Deus non audit*, ita disserit: « Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim pec-

(1) Prop. 35 Baii ita habet: « Omne quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est; » huc referuntur prop. 1. 45. et 59 Quesnelli; prop. 7. usque ad 15 ex damnatis ab Alex. VIII; prop. 23 Synodi Pistoriensis.

catores Deus non exaudiret, frustra ille publicanus oculos in terram dimittens et pectus suum percutiens diceret: Domine, propitius esto mihi peccatori. Et ista confessio meruit justificationem, quomodo iste coecus illuminationem » (1). — Conc. Araus. II. can. 25: « Credendum est, nec pii latronis, nec Cornelii centurionis, nec Zachaei conversionem, sine divinae largitatis dono accidisse ».

CAPUT III.

De gratiae efficacia.

647. Quaevis gratia illuminat intellectum et movet voluntatem et hoc sensu omnis gratia actualis est efficax. Haec efficacia vocatur efficacia *virtutis*, qua vis datur homini salutariter operandi. Sed praeter hanc efficaciam alia quoque admittenda est, quae dicitur *connexionis*, cum qua voluntatis consensus ac proinde operatio ipsa nectitur. Hinc profluit distinctio illa in gratiam *sufficientem* et *efficacem*. Illa, licet efficax in actu primo et efficacia virtutis, effectum nihilominus non consequitur proindeque manet mere *sufficiens*. Haec non modo fuit efficax in actu primo, sed etiam in actu secundo obtinuit suum effectum, facta *efficax* efficacia connexionis; et haec semper intelligitur cum sermo est de gratiae efficacia.

648. Verum hujusmodi connexio inter gratiam et effectum in quo consistit? Protestantes et Jansenistae eam in motione collocant necessitatem inferente, cui humana voluntas refragari non possit. Differunt tamen in eo, quod juxta Reformatores homo sub gratia se habet veluti inanime quoddam, quod extrinsecus agitur, nullaque detur gratia sufficiens; dum juxta Jansenistas gratia efficax, quae consistit in delectatione relative victrici, voluntatem necessario quidem ad bonum impellit, sed sponte non coacte, et gratia sufficiens nomine quidem tenus admittitur, re autem negatur.

---

(1) *Tract. 44. in Jo.* n. 1.

649. Contra hos errores primum Ecclesiae doctrinam stabiliemus, deinde opiniones catholicorum indicabimus. Agemus itaque 1.° de libertate hominis sub gratiae efficacis influxu; 2.° de existentia gratiae sufficientis et efficacis; 3.° de catholicorum systematibus circa gratiae efficaciam.

ARTICULUS I.

De libertate hominis sub gratiae efficacis influxu.

650. Prop. 94. **Gratiae efficacia nullam infert homini necessitatem, seu sub gratiae influxu potest homo dissentire, si velit.**

Est contra tum Lutheranos tum Jansenistas, qui, licet discrepent quoad modum, in eo tamen conveniunt, quod sub gratia *necessario* homo agit bonum, licet non coacte sed sponte. Est ergo homo sub gratia liber non solum a *coactione* sed etiam a *necessitate interna*. Hoc sensu est de *fide* ex conc. Trident. (sess. 6. c. 4): « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; a. s. »; et ex haeretica prop. 2. Jansenii: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur ».

651. Demonstr. i. Voluntati sub gratia efficaci constitutae adseritur potestas agendi vel non agendi, electionis, et seipsam movendi, flectendi et determinandi; atqui hae totidem sunt libertatis definitiones: ergo.

Prob. major. Adseritur *a)* potestas agendi et non agendi: *Beatus.... qui potuit transgredi, et non est transgressus; facere mala et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino* (Eccli. 31, 10). Vir qui laudatur, quod legem Dei observaverit, est profecto sub gratia constitutus efficaci; sed de hoc affirmatur, quod potuerit transgredi et facere mala: ergo. — *b)* Facultas eligendi: *Si volueris mandata servare, conservabunt te.... Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum: quod placuerit*

ei, dabitur illi (Eccli. 15, 16. sq.), et (Deut. 26, 17): *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias caeremonias illius et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio.* — *c)* Potestas seipsam movendi, flectendi et determinandi: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas* (Ps. 118, 112); *Exerce te ipsum ad pietatem* (Timoth. 4, 7); *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (2. Cor. 6, 1). Quis autem exhortetur ad id quod a mera voluntate alterius pendet, nisi aliquid ipsum agere oporteret?

652. II. Traditionem sibi esse contrariam fatetur ipse Calvinus: « Voluntatem, inquit, Deus movet non qualiter multis saeculis traditum est et creditum, ut nostrae postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari » (1). Ipse s. Augustinus, ad quem Jansenistae semper provocant, integrum librum *De Gratia et libero arbitrio* ad refellendum exitiosum Calvini et Jansenii errorem scripsisse visus est, cujus scopum ita ab ipso limine aperit s. Doctor: « Quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut, quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium; hinc aliquid scribere.... compellente mutua caritate curavi » (2). Et alibi: « Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur; sed ideo juvatur, quia non tollitur » (3); « Liberum arbitrium si non dedisset Deus, judicium puniendi nullum justum esse posset, nec meritum recte faciendi, nec praeceptum divinum ut ageretur poenitentia de peccatis.... Quia qui non voluntate peccat, non peccat » (4); quibus verbis et ratio theologica innuitur, qua liberi arbitrii veritas confirmatur.

653. *Obi. 1. Deus est enim qui operatur in nobis velle et perficere* (Phil. 2, 13). — *Resp. Dist.* Quatenus tota vis operandi salutariter est a Deo, *conc.;* ut excludatur concursus nostri liberi arbitrii cooperantis, *neg.*

Obi. 2. Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum (Jo. 6, 44). — *Resp. Dist.* Nisi vi vel necessitate traxerit, *neg.*; nisi moraliter traxerit, *conc.* « Videte, ait Augustinus, quomodo trahit Pater: docendo delectat, non necessitatem impellendo » (5).

---

(1) *Inst.* l. 2. c. 3. §. 10. — (2) c. 1. — (3) *Epist.* 157. c. 2. n. 10. — (4) *L. contr. Fortun. Manich. disp.* 2. n. 20. — (5) *In Joan. tract.* 26.

Obi. 3. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei (Rom. 9, 16). — *Resp. Dist.* Salus non pendet a *solo* homine volente et currente, *conc.*; non pendet etiam ab homine, quamvis principalius a Deo miserente, *neg.* Nam idem Apostolus dicit etiam: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* » (1. Cor. 15, 10).

Obi. 4. S. Augustinus expresse docet, quod « libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum » (1). — *Resp.* Augustinus et alii Patres nomine libertatis intelligunt quandoque libertatem perfectam filiorum Dei, non ipsum liberum arbitrium. « Quis autem nostrum dicat, inquit ipse Augustinus, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed *illa quae in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam* » (2).

Obi. 5. Idem s. Doctor docet « voluntati Dei.... humanas voluntates non posse resistere » (3); « Deum habere humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam voluntatem » (4), et alia similia passim. — *Resp.* Hae expressiones significant infallibilem effectum, quem Deus obtinere potest, si velit, non tamen perimendo libertatem, sed eam *vocando quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.*

654. Scholion. *Gratiae efficacia non consistit in delectatione relative victrici ad sensum Jansenii.* — Is docet loco liberi arbitrii per peccatum amissi successisse duplicem delectationem; terrenam scilicet, quae ad malum; et coelestem, quae ad bonum impellit, hominemque duplici hoc pondere actum necessario semper sequi majorem delectationem. Gratia consistit in coelesti delectatione, quae si per gradus superior est opposita delectatione terrena, est relative victrix et efficax, sub qua voluntas necessario inclinatur ad bonum tametsi non coacte; si vero est minor opposita terrena, est *parva* et absolute *sufficiens.* Dicitur absolute sufficiens quia in aliis circumstantiis in quibus voluntas minori agitur delectatione coelesti, sufficeret ad bonum faciendum; *relative* vero ad oppositam majorem est necessario inefficax (5).

---

(1) *Enchir.* c. 30. — (2) *L. I. ad Bonifac.* c. 2. — (3) *De corrept. et grat.* c. 14. n. 45. — (4) *Ibidem.* — (5) Ex hoc systemate fluunt prono alveo quinque famosae propositiones, quas (n. 610) retulimus.

Jam vero, systema Jansenii qua parte affirmat omnem gratiam esse delectationem, est *falsum*.

Non solum Scriptura sed etiam Augustinus docet homines emendari etiam per correptionem, quae timorem, pudorem, vel dolorem producat: « Non vis tua tibi vitia demonstrari; non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quaeras.... quasi laudanda, vel indifferenter habenda sint vitia, ut neque laudentur neque vituperentur, aut vero nihil agat timor correpti hominis vel pudor vel dolor » (1). (Cf. etiam conc. Trident. sess. 6. c. 6 et sess. 14. c. 4).

Qua parte vero asserit gratiae efficaciam in praevalentia delectationis coelestis necessario voluntatem determinantis, est *haereticum* praedamnatum in Tridentino, argumentisque refellitur supra jam allatis, quibus addi potest et illud ex eius prop. 3.ª: « Ad merendum vel demerendum » etc.

Dices: Nonne S. Augustinus velut axioma statuit: « Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est? » (2).

Resp. Dist. Quod amplius nos delectat delectatione deliberata et electiva seu consequente, *conc.;* delectatione indeliberata et voluntatis assensum praeveniente, secundum id agamus necesse est, *neg.* Delectatio deliberata est actus, quo libere aliquid eligimus, et quo proinde aliquid nobis magis placet, nos magis delectat; quo existente actu, necessitate utique consequente ipsum exercitium libertatis, necesse est ut faciamus ea quae volumus. De hac vero hic agi apparet vel ex exemplo, quod subdit: « Ut v. g. occurrit forma speciosae faeminae, et movet ad delectatio-

---

(1) *De Corrept. et Grat.* c. 5. Eius discipulus s. Prosper pulcherrime ad verba: *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum,* scribit: « Si ergo nemo venit nisi attractus, omnes, qui quocumque modo veniunt, attrahuntur.... trahit timor: principium (enim) sapientiae est timor Domini! Trahit laetitia: quoniam laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus! Trahit desiderium; quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Domini! Trahunt delectationes: quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo. Et quis perspicere aut enarrare possit, per quos effectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quae fugiebat sequatur, quae oderat diligat, quae fastidiebat esuriat, ac subito commutatione mirabili quae clausa ei fuerant fiant aperta, quae onerosa sint levia, quae amara sint dulcia, quae obscura sint lucida? Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. » *L. contr. Collat.* c. 7.

(2) *In ep. ad Galat.* n. 49.

nem fornicationis (en indeliberatus motus seu tentatio), si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis, per gratiam quae est in fide Christi, secundum hanc vivimus et secundum hanc operamur ». Delectatio scilicet sequens gratiam praevenientem in fide Christi et proponentem speciem castitatis, quaque caste vivitur, est procul dubio delectatio deliberata. Ceterum nos eligere posse id quod indeliberate delectat minus, fatetur ipse Augustinus: « Non faciebam quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat » (1).

ARTICULUS II.

De gratiae sufficientis et efficacis existentia.

655. Prop. 95. **Datur in praesenti statu gratia mere tantum, sed vere et relative sufficiens.**

Est contra Novatores et Jansenistas de *fide*, ut constat ex prima et altera prop. Jansenii: « Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant, » et: « Interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur. »

Declar. Agitur de *praesenti statu*, nempe naturae lapsae et reparatae, quia angelis et homini innocenti hujusmodi gratiam datam fuisse Jansenistae fatentur. Dicitur *mere* sufficiens, i. e. quae effectu caret, contra Novatores et Jansenistas, qui in natura destituta libero arbitrio nullam agnoscebant gratiam nisi necessitatem adeoque effectum obtinentem seu *efficacem*. Ut vero Jansenistarum tergiversationibus via praecludatur, qui ad fucum faciendum *parvam* illam gratiam, quam sufficientem appellant, postea excogitaverunt, addimus eam esse *vere* sufficientem i. e. talem, quae completam et expeditam bene operandi facultatem tribuat et quidem *relative* ad praesentes subiecti circumstantias, quae igitur effectu caret unice ex humanae voluntatis resistentia. — Haec porro gratia potest esse vel *proxime* sufficiens, quae

(1) *Confess.* l. 8. c. 8.

facultatem ad agendum tribuit immediate absque alia gratia sufficienti; vel saltem remote sufficiens, a cujus bono usu pendet collatio alterius gratiae proxime sufficientis. Postrema haec solet dici gratia *orationis*, qua impetrare possumus gratiam uberiorem, prior gratia dicitur *operationis.*

656. Demonstr. i. *Judicate inter me et vineam meam: quid est quod debui facere vineae meae et non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* (Is. 5, 4). Agitur de gratia interiori, sine qua bonus fructus fieri nequit, de *pure* sufficienti, si quidem Judaei eidem restiterunt, sed *vere* et *relative* sufficienti, quia si Judaeis, spectatis praesentibus eorum circumstantiis, defuisset vera potentia, neque satis Deus fecisset neque juste postulasset, quod physice praestare non poterant. Eadem argumentatione idem eruitur etiam ex his testimoniis: *Vocavi et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret*; *despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo* (Prov. 1, 24); *Vae tibi Corozain, vae tibi Bethsaida! quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis olim in cinere et cilicio poenitentiam egissent* (Matth. 11, 20); *Jerusalem, Jerusalem.... quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (Matth. 23, 37).

657. II. S. Augustinus: « Nemo credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus: » quam sententiam exemplo illustrans, pergit: « Noluit ergo Esau, et non cucurrit; sed si voluisset, et cucurrisset et Dei adiutorio pervenisset, qui etiam velle et currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret » (1); et alio loco: « Ex eo, quod non accepit, nullus reus est, ex eo autem, quod non facit quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit et voluntatem liberam et sufficientissimam facultatem » (2). Ceteros Patres sibi contrarios ipsi fatentur Novatores. — Conc. Araus. II. can. 25: « Hoc secundum doctrinam catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante quae ad salutem animae pertinent et possint et debeant, si fideliter adlaborare

---

(1) *Ad Simpl.* l. 1. q. 2. — (2) *De lib. arb.* l. 3. c. 16. n. 45.

voluerint, adimplere. » Sine gratia Dei praecepta non adimplentur; atqui omnes possunt sed non omnes reipsa ea adimplent: ergo est aliqua gratia vere quidem sed mere sufficiens. Conc. vero Trident. (sess. 6. c. 11): « Nemo temeraria illa et a patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet): Dei praecepta homini iustificato esse ad observandum impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet. » Habent igitur gratias relative sufficientes ad divina mandata servanda; sed plures justi ea non servant et ex justitia excidunt: ergo.

658. III. Deus etiam in praesenti statu naturae lapsae vere ac sincere vult omnium hominum salutem ac praeceptorum suorum observantiam. Proinde etiam omnibus media ad hunc finem consequendum necessaria suppeditat. Jam vero multi nihilominus peccant et pereunt. Ergo gratia ipsis concessa sufficiens quidem fuit sed effectu carens ex resistentia voluntatis.

659. Prop. 96. **Datur gratia efficax.**

Est *de fide* et constat ex certitudine praedestinationis electorum.

Demonstr. Gratia efficax ea hic intelligitur, cui voluntas humana consentit, et quae ideo effectum salutarem, propter quem datur, obtinet. Jam vero certum est, sine gratia supernaturali nullum opus salutare perfici, imo nec initium fidei haberi, nec perseverantiam finalem obtineri posse; ast, teste Scriptura et Ecclesia, dantur homines, qui fidem supernaturalem tenent, et opera salutaria perficiunt et in bono perseverant: ergo datur gratia efficax, quae salutares istos effectus producit. Ceterum, exceptis Pelagianis, nemo hoc dogma negat.

ARTICULUS III.

De variis scholarum systematibus circa gratiae efficacis et libertatis connexionem.

660. Reiecta haereticorum gratiae efficacia vim inferente, assertaque tum ea, quae potestatem tribuens effectu tamen hominis culpa caret, tum ea quae libere opus bonum producit, remanet inquirendum undenam petenda sit infallibilis connexio gratiae efficacis cum effectu, incolumi manente libertate, et, quod inde sequitur, quodnam sit inter gratiam efficacem et sufficien-

tem discrimen. Ad perdifìcilem hanc quaestionem sive solvendam sive elucidandam varia excogitata sunt a theologis systemata, quae breviter hic exponemus.

661. Systema Thomisticum, si non invenit, tamen explicavit uberius, et expolivit Dominicus Bannez, saec. XVI Ord. Praedicatorum theologus. Illius sectatores statuunt imprimis Deum cognoscere futura absoluta, contingentia et libera, in suo decreto eorum futuritionem determinante, sive in essentia suâ hujusmodi decreto determinata. Ut infallibiliter efficiat quod decrevit, praeviâ motione voluntati creatae inhaerenti, eam ad modum causae physicae movet, applicat, seu praedeterminat ad omnes actus bonos in particulari, salvâ ipsius libertate. Haec praemotio physica quoad actus naturales habetur per concursum generalem, quoad actus supernaturales per gratiam efficacem, quae consistit in praedeterminatione physica qua voluntas ad actus liberos salutares movetur, ut se libere et infallibiliter determinet ad actum secundum libere producendum.

Necessitatem hujus praedeterminationis repetunt ex supremo primae causae dominio, quod postulat, aiunt, ut actiones nostrae liberae a Deo pendeant, quantum id fieri potest illaesa nostra libertate, tum ex natura ipsa voluntatis, quae nisi a Deo primo motore ad singulas actiones determinaretur, pensilis maneret et indifferens. Haec praemotio est ita in quolibet ordine necessaria, ut potentiâ illâ, quam confert gratia sufficiens, voluntas numquam agat, hac vero numquam non agat. Sufficiens itaque gratia voluntati confert veram bene operandi potestatem, quae tamen semper ab actu seiungitur, nisi gratia efficaci applicetur ad actum. Sic ignis dicitur sufficiens ad comburendum, cibus ad nutriendum, quamvis ultra debeat uterque applicari subiecto.

Cum autem Dei omnipotentia non sit minus universalis quam efficax, et se extendat ad omnia entia, et omnes differentias ac modos entium; motio quae ex illa profluit non solum confert actionis substantiam, sed etiam modum quo fieri debet conformiter ad naturam causae secundae; ita ut, si sit causa necessaria, moveat ut necessario agat; si sit causa libera, moveat ut libere agat, et sublata damtaxat indifferentia passiva relinquit integram indifferentiam activam aliter agendi.

662. Systema Augustinianorum in praesenti rerum ordine

gratiae efficaciam collocat in *delectatione relative victrici*, quae sua graduum intensione superat contrariam cupiditatis delectationem. Si delectatio gratiae est minor opposita concupiscentia, tunc nuncupatur gratia *sufficiens*, quae dat posse sejunctum ab actu, qui ut sit, praerequirit auxilium de se efficax. Distinguitur a Janseniano, quod isti theologi et gratiam sufficientem defendunt et docent, delectationem victricem trahere non *physice* et necessario voluntatem, sed tantum *moraliter*, licet certo et infallibiliter, sub qua necessitate morali manet libertas. Sicut enim homo prudens praemissa deliberatione numquam nudus incedit per plateas, licet ad hoc sit liber; ita voluntas aucta gratia infallibiliter actum salutarem producit et tamen potentiam dissentiendi non amittit.

663. Systema Molinistarum ita dictum a Ludovico Molina, celebre theologo saec. XVI e Societate Jesu, non admittit gratiam *a se efficacem*, quae efficiat ipsum voluntatis flexum, sed gratiae efficaciam a consensu voluntatis repetit. Omnis gratia est vere ac relative sufficiens sine praevio alio auxilio; hac homo instructus, si per liberum arbitrium se determinat ad bonum volendum, haec ipsa gratia fit efficax; si vero eidem reluctetur, sufficiens manet et absque effectu. Inter gratiam igitur sufficientem et efficacem nullum datur discrimen essentiale seu *entitatis*. — *Infallibilitatem* vero connexionis gratiae cum effectu repetunt a *scientia media*, qua videt Deus, hominem consensurum, si ei talem vel talem gratiam tribuet. Quod si reapse illam dare decernat, duo simul consistunt: nempe gratiae infallibilis efficacia et hominis libera cooperatio; ita tamen ut gratiae efficacia, respectu cognitionis divinae, concipiatur *consequenter* ad liberum consensum hominis conditionate praevisum. — Congruistae addiderunt praetorea elementum a Molina minus explicite propositum, nempe gratiam dari in iis congruis circumstantiis, in quibus teste scientia media, illi gratiae homo consentiret, si eam haberet. Quod si tamen congruitas et influxus circumstantiarum ita urgeantur, ut inde infallibilis efficacia gratiae repetatur, tum Congruismus evaderet in systema particulare, quod, sicut duo priora, gratiae efficaciam ab *intrinseco* admitteret (1).

---

(1) Paulus V a. 1607 post celebres congregationes *de auxiliis*, ubi sen-

664. In hac salebrosa quaestione placet nobis et videtur omnino admittendus conceptus gratiae sufficientis iuxta opinionem Molinae. Omnis itaque gratia est intrinsece *vere* et *relative* sufficiens, qua homo potest, si vult, absque praevio alio auxilio, actum salutarem ponere. Si voluntas consentit, eadem gratia evadit efficax, si dissentit remanet sufficiens (1). Qua in re probe animadvertatur, non voluntatem nudam secundum suas vires naturales consentire gratiae quando consentit, sed voluntatem elevatam, illustratam et inspiratam sese ad consentiendum gratiae determinare, eamque viribus gratiae ita pervadi et intrinsecus imbui, ut vires fiant ipsius voluntatis et gratia cum voluntate unum constituat operationis liberae et salutaris *comprincipium*. Si vero dissentit, id per solas vires naturales arbitrii dissentit, quia dissentire a gratia est malum, ad quod nonnisi viribus naturae uti possumus. Voluntas enim, licet elevata, suas retinet naturae vires, sicuti manet natura, iisque uti potest, quia potest peccare.

Ex hoc apparet non modo bene operandi facultatem, sed ipsum bonum actum et bonum voluntatis consensum, si fiant, a gratia omnino pendere. Pendent enim a voluntate gratiae motionibus praeparata et adiuta ut fiant, et ita pendent, ut omnino non fierent, si gratiae praeparatio et adiutorium deessent. Qui itaque bene operatur, nihil habet, quod non accepit, et Deus est qui illum discernit. — Infallibilitas vero connexionis gratiae cum opere bono explicatur ex Dei praescientia liberum et salutarem actum praevidentis.

---

tentiae Thomistarum et Molinistarum acriter fuere discussae, utrique parti propriam tueri opinionem permisit; simulque prohibuit ne quis alterutram censura notaret; Clemens vero XII a. 1733 bulla *Apost. Providentiae* declaravit cuilibet scholae catholicae liberum esse suas de hac re sententias defendere.

(1) Talem gratiam sufficientem probant omnia argumenta (n. 656 sq.) allata. Ex Augustino adducemus celebrem locum ex l. 12. *de Civ. Dei* c. 6., ubi ponit « duos *aequaliter* affectos animo et corpore videre unius corporis pulchritudinem: qua visa unus eorum ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret. » Tum quaerit, quid causae sit, cur unus consentiat, alter non consentiat. Respondet: « Quid amplius apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Unde, nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utraque corporis et animae affectio? Amborum oculis pariter visa est eadem pulchitudo: amborum pariter institit occulta tentatio. » Datur ergo gratia vere et relative sufficiens, quae consensu vel dissensu voluntatis evadit efficax vel inefficax.

665. Haec vero sufficientia gratiae, quae dicitur efficacia virtutis et quam omnis gratia ab intriseco habet, licet semper tanta sit, ut homo auxilio hoc imbutus revera opus bonum, ad quod gratia datur, actu ponere possit, non est in omni gratia aequalis sed, gradibus maxime differt ita, ut una gratia sit alia major et major. Si ea igitur fuerit valde magna et robusta, nonne sic afficere voluntatem eamque inclinare poterit, ut morali infallibilitate adducat assensum ejus, quamvis liberum? Si enim vel homines prudentia, mansuetudine, suasione alios ad aliquid facendum certe pertrahere possunt; Deus, qui penitissime cognoscit omnes hominis propensiones et studia scrutans renes et corda hominum, qui sicut voluntatis ita et libertatis est creator et conservator, qui non solum allicit, suadet, invitat, movet, sed quod homines non faciunt, vires quoque subministrat, elevat facultates, adiuvat et roborat voluntatem, nonne ita poterit in eam agere ut haec certissime et liberrime operetur bonum? Et Deum aliquando hoc modo movere voluntatem videntur indicare testimonia illa Scripturae: *Auferam cor lapideum de carne eorum et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant faciantque ea* (Ez. 11, 19); *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (Phil. 2, 13): effata illa Augustini, quae si non *universim*, de nonnullis certe gratiis applicari debent, iuxta quae gratia est « occultissima, interna, mirabilis ac ineffabilis potestas, inspiratio flagrantissimae ac luminosissimae caritatis, voluntas efficacissima ac omnipotentissima, quae ex nolentibus volentes facit humanasque agit voluntates insuperabiliter et indeclinabiliter: » demum facta ipsa conversionis s. Pauli, Magdalenae, boni latronis, Zachaei aliorumque.

666. Duplex itaque videtur admittenda gratia: alia ex *voluntatis consensu*, alia *ex sese* atque intrinsecus efficax; illa potissimum datur ad opera faciliora, praesertim ad *orationem:* qua homo si bene utitur, impetrabit gratiam *ex sese* efficacem ad opera *difficiliora et ardua,* ad perfectam conversionem; ipsa enim Scriptura testatur, auxilia efficacia a Deo petenda esse (1) et illa per orationem obtineri (2). Hoc vero non excluditur, Deum aliquando

(1) Luc. 18, 1; Math. 26, 41; 1. Thess. 5, 17. — (2) Math. 7, 7; Luc. 11, 13; Jo. 14, 12.

etiam sine praecedenti oratione gratias a se efficaces ad conversionem vel ad actus supernaturales concedere, imo hinc inde fervidam quoque orationem opus esse gratiae ab intrinseco efficacis, et singulare donum Dei, nullis precibus impetratum (1).

---

(1) Neque externae auctoritatis pondus huic sententiae deest. Illam amplexi sunt celebres theologi, ut Card. Norisius, Alphonsus Moynius, Isambertus, Thournely, eidemque favent Petavius, Isacus Habertus, Thomassinus, Boucat, et s. Alphonsus Ligorius.

Placet de hac scholastica quaestione thomistam ingenuum Satollium audire, qui a Praemotionismo aeque ac Molinismo alienus ita suam sententiam proponit: « Maxime theologorum condisputantium opinio fert hanc distinctionem (in sufficientem et efficacem) de gratia actuali: qui tamen (ut saepius admonere soleo) videntur non satis constanter advertisse, nec quid realiter sit gratia actualis, nec quantum scientia et divina voluntas superexcedat quemcumque modum creati finitique agentis; quocirca saepe saepius iis negandum est quod videntur supponere. — Salvo igitur cuique in dubiis et non admodum definitis lubitu, et debita cum reverentia, instituo, gratiam actualem esse sufficientem prouti est divina acceptatio, sive gratuita Dei voluntas immittens nobis bonas cogitationes et sanctas affectiones, quibus excitetur voluntas primo suo motu tamquam coaptatione absolutaque inclinatione ad bonum fide apprehensum, sive in Deum ut est beatificans. — Efficax reponitur actualis gratia, quatenus est cooperans; nempe ipsamet gratuita Dei voluntas secundum quod in libero arbitrio operatur, motum eius causando usque ad consensum, et electionem, et exterioris actus executionem expediendo, et perseverantiam praebendo. — Si quem forte subeat dubitatio circa praescriptas modo notiones, quaeso ut mentem intendat ad Q. disp. de Veritate XXVII, art. 4 et 5.

Ni fallor, semota iam est dissentiendi ratio; neque amplius quaerendum quomodo Deus ita agat efficaci gratia ut non laedat liberum arbitrium; neque dabitur locus rixandi num gratia efficax differat a sufficienti, vel intrinsece ob praemotionem et determinationem voluntatis in consentiendo, vel ex solo effectu consentientis liberi arbitrii per vires gratiae sufficientis. « Deus in voluntate agit non per modum necessitatis, quia voluntatem non cogit, sed movet eam non auferendo ei modum, qui in libertate ad utrumlibet existit. Et ideo, quamvis divinae voluntati nihil resistat, tamen voluntas, et quaelibet alia res, exequitur divinam voluntatem secundum modum suum; quia et ipsum modum divina voluntas rebus dedit, ut sic eius voluntas impleretur.... Causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum praedestinationis effectum, etiam ordini praedestinationis subiacet: et ideo ordo divinae praedestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanae, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem » (Q. D. de Ver. VI, art. 3, ad 3, et ad 4). Haec praeclarissima s. Doctoris verba refero, quae sufficere et efficere debuissent ut, vel non orirentur extremae hypotheses, vel ortae semel, brevi tempore conticescerent. — Formula (ut ita dicam) veritatis esto in his D. Augustini verbis: « Agit Omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quod per eos agere ipse voluerit.... Ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper

CAPUT IV.

De gratiae distributione.

667. Hactenus spectavimus gratiam secundum se; eam modo considerabimus quatenus homini a Deo tribuitur. De hac vero distributione tria constant: *rationem* huius distributionis esse gratuitam, *extensionem* esse universalem, *mensuram*, justo et occulto Dei judicio, inaequalem. Hinc tres articuli: 1.° de gratiae gratuitate, 2.° de gratiae universali distributione, 3.° de gratiae inaequali distributione.

ARTICULUS I.

De gratiae gratuitate.

668. Prop. 97. **Gratia est omnino gratuita, seu, non potest homo operibus ordinis naturalis eam mereri et ad eam ullo positivo modo sese praeparare.**

Declar. Excluditur quodlibet meritum sive de *condigno* sive de *congruo* viribus liberi arbitrii partum, item quaelibet praeparatio ad illam ex *positiva* in natura *dispositione*, sive etiam ex

---

autem iusto. » (*De grat. et litt. Arb.* c. 21). Ubi tria se offerunt consideranda. Primum, quod s. Augustinus reputaverit veram et omnino tenendam doctrinam, a Deo moveri voluntates hominum quocumque ipse voluerit; quin egeat vel introspicere consensum liberi arbitrii, vel afficere et determinare voluntatem humanam in id quod velit. Secundo, gratiam efficacem in eo consistere, quod Deus pro sua misericordia mutat (suadendo et persuadendo, sive inspirando, sive attrahendo, et qualitercumque dicatur) in bona salutaria voluntatem hominis. Tertio, mutationem hanc contingere simul cum usu propriae libertatis; quatenus circumstante Deo externis internisque adminiculis et interius movendo voluntatem, infallibile est quin ea consentiat, dum potest non consentire. Unde gratia efficax describatur: infallibilis consensio liberae voluntatis in bonum cum possibilitate subiectiva dissensus; per Dei misericordiam cuncta disponentis, quibus ipsa voluntas se determinet ultimo iudicio practico, et moventis ipsam voluntatem. » *Op. cit.* q. 2. a. 3, in cuius fine et eius in illa systemata scholastica animadversiones legas.

naturali *impetratione,* orta. Non vero excluditur ea *negativa* in natura ad gratiam dispositio, quae admitti potest, salva ipsius gratiae gratuitate, et multo minus meritum ope gratiae antecedentis comparatum, quo nos et ad gratiam positive disponere, et gratias ulteriores mereri possumus.

Est contra Pelagianos, qui gratiam quandam illustrationis non simpliciter sed ad *facilius* operandum necessariam *semper* et de *condigno* nostris operibus naturalibus retribui contendebant, et Semipelagianos, qui initium fidei nostris naturalibus conatibus et precibus *plerumque* et de *congruo* concedi existimabant.

Popositio est *de fide* quatenus excludit meritum quodcumque naturale ad gratiam sive condignum sive congruum. Constat ex Synodo Diospolitana, in qua Pelagius compulsus est confiteri, *gratiam Dei non dari secundum merita nostra,* et Arausicana II, can. 6: « Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel haec omnia sicut oportet valeamus, per infusionem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur.... resistit apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? et: gratia Dei sum id quod sum » (Cf. et Trident. sess. 6. cap. 5). Quae autem spectant ad exclusionem etiam cujusvis naturalis dispositionis et impetrationis, ea ad fidem proxime accedunt ex intimo nexu cum memorata fidei veritate.

669. Demonstr. I. Paulus in ep. ad Rom. postquam docuerat, gratiam vocationis ad fidem nec Judaeis dari propter opera legis Mosaicae, neque gentilibus ob legis naturalis custodiam, concludit: *Igitur non volentis neque currentis sed miserentis est Dei* (9, 16); et (11, 5 sq.) Judaeos credentes dicit ad fidem vocatos non propter eorum merita, sed ex gratuita electione Dei: *In hoc tempore reliquiae* (ex hebraeis, scilicet aliqui hebraei) *secundum electionem gratiae salvae factae sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.* Ad Eph. (2, 8) vero: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus ne quis glorietur;* et (2. Tim. 1, 9): (Deus) *nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam.*

670. II. S. Augustinus simul cum necessitate defendit etiam

contra Pelagianos gratuitatem gratiae. Ita eos perstringit: « Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non praecesserunt, sed beneficia Dei te praevenerunt. Illi ergo gloria, qui nos liberat » (1). Et alibi: « Non enim Dei gratia erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo (2). (Cf. conc. Ar. supra).

671. III. Homo nihil omnino potest in ordine ad opera salutaria et ad ipsum initium fidei; atqui si gratiam mereri posset vel ad eam se disponere, aliquid posset: ergo. — Nullatenus homo opere naturali mereri gratiam potest, quia nulla inter opus naturale et donum supernaturale proportio datur. — Gratia est principium meriti: ergo ipsa sub meritum cadere nequit.

672. *Dices:* Est axioma in scholis receptum, quod *facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Ergo videtur merito retribui.

Resp. Dist. Facienti quod in se est *ope gratiae,* (quo sensu a multis intelligitur), Deus non denegat imo certe concedit ulteriores gratias, *conc.;* facienti quod in se est *viribus naturae, subdist.* quatenus *positive* sese disponat ad gratiam, ita ut Deus moveatur ad gratiam illi dandam, *neg.* quatenus se disponere potest *negative* removendo obstacula, propter quae Deus posset denegare gratiam *conc.* — *Negativa* haec dispositio admittitur, quae non est nisi remotio obicis gratiae, et appellari etiam potest aptitudo quaedam negativa ad gratiam recipiendam; sicut vas quodpiam, postquam evacuatum fuerit, dicitur ad recipiendum liquorem aptum evasisse.

ARTICULUS II.

De universalitate distributionis gratiae.

673. Prop. 98. **Justis omnibus, praesertim vero volentibus et conantibus, urgente praecepto, datur a Deo gratia vere et relative proxime vel remote sufficiens ad servanda omnia praecepta.**

Declar. Est *de fide* contra Jansenium ex *haeretica* ejus prop. prima: « Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus et co-

(1) *Enarrat. II in Ps.* 30. n. 6. — (2) *De Peccat. Orig.* c. 24.

nantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia: deest quoque gratia, qua possibilia fiant »; et ex Trident. (sess. 6, can. 18): « Si quis dixerit, Dei praecepta, homini etiam justificato et sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, a. s. » et cap. 11: « Nemo (debet) temeraria illa et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuvat ut possis ». — Dicimus autem *vere* et *relative* sufficientem ad excludendam parvam gratiam Jansenistarum; *proxime vel remote* sensu declarato (n. 655).

674. DEMONSTR. (1. Cor. 10, 13): *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere;* (Eccli. 15, 16): *Si volueris mandata servare, conservabunt te*; (Matth. 11, 30): *Iugum meum suave est et onus meum leve;* (1. Jo. 5, 3): *Mandata eius gravia non sunt.* (Cf. Deut. 30, 11; Eccl. 11, 12). — S. Augustinus: « Te iam iustum ex fide viventem (Deus) negliget, deseret, dimittet? Imo et hic fovet, et hic adiuvat, et hic necessaria subministrat et noxia resecat.... Dominus curam habet tui, securus esto.... Nusquam tibi deest; tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse » (1). (Cf. etiam conc. Araus. n. 657).

675. **Corollarium.** Ergo iustis omnibus praesertim volentibus et conantibus praesto est gratia ad *potestatem* perseverandi.

676. Prop. 99. **Deus omnibus fidelibus peccatoribus, etiam obcoecatis et obduratis, gratiam proxime vel remote sufficientem conversionis confert.**

DECLAR. Peccatores *communes* ii dici solent, qui quamvis privati gratia sanctificante, nondum tamen Dei timorem penitus abiecerunt. *Obstinati* et *obcoecati* vero ii dicuntur, qui quandam habent in peccato firmitatem, ob quam difficile gratiae Dei cooperantur, ut exeant a peccato. Talis status resultat ex perversione iudicii, unde *excoecati*, et ex habituali liberae voluntatis inclinatione ad malum, unde *obdurati* appellantur (2). — Dicitur

---

(1) *Enarrat. in Ps.* 39. n. 27.

(2) Ita cor eorum describit s. Bernardus: « Ipsum est quod nec compun-

proxime vel *remote* sufficiens, ita ut saltem gratia orationis praesto sit, non quidem singulis momentis, sed *pro loco* et *tempore*, ut dici solet, i. e. tempore opportuno, quo Deo placuerit illam concedere. — Quoad gradum certitudinis primam partem censet Perrone spectare ad *doctrinam catholicam* assertam in conc. Araus. II. can. 25, alteram de induratis dicit *certam*, Mazzella vero valde *communiorem*. Probatur simul utraque pars, tum quia fere omnia testimonia sunt plane universalia, tum quia si ostenditur gratiam tribui vel obduratis, iure inferri potest eam a fortiori non denegari peccatoribus communibus.

677. Demonstr. i. Deus, nulla facta distinctione inter peccatores obduratos et non obduratos, *a)* omnes hortatur ad poenitentiam, quae proinde omnibus debet esse possibilis. Sed non est possibilis, nisi haberent gratiam. Ergo. *Prob. maj.* (Ezech. 18, 23): *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* (Jerem. 35, 15): *Convertimini unusquisque a via sua pessima, et bona facile studia vestra;* (2. Pet. 3, 9): *Patienter agit* (Deus) *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.* — *b)* Omnium dicitur misereri, diligere omnes, parcere omnibus, quaerere omnes. Atqui haec vera non essent, nisi omnibus daret gratiam, qua converti possent. Ergo. *Prob. maj.* (Sap. 11, 24): *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam,* et v. 25: *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti,* et v. 27: *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Et 12, 2: *Eos, qui exerrant, partibus corripis; et, de quibus peccant, admones et alloqueris, ut, relicta malitia, credant in te, Domine.* (Luc. 5, 32): *Non veni vocare justos sed peccatores ad poenitentiam.* (Cf. etiam parabolas de filio prodigo, ove et drachma perdita). — *c)* Imo expresse de induratis dicit (Is. 65, 2): *Expandi manus meas tota die ad*

---

ctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia saevum, inverecundum ad turpia; impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, praeteritorum obliviscens, praesentia negligens, futura non providens. » *De consid.* l. I. c. 2. n. 3. — Quod aliquando in Scriptura dicatur *Deus indurare* peccatores, id explicatur ex *subtractione gratiae* non quidem *omnis* sed *uberioris* et aliquando etiam ex subtractione *protectionis divinae,* unde peccator expositus fit insidiis daemonis.

populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas; (Prov. 1, 24): *Vocavi et renuistis, expandi manum, et non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum et increpationes meas neglexistis;* (Rom. 2, 4): *An divitias bonitatis ejus et patientiae et longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae et revelationis justi judicii Dei.* Lege etiam Sap. 12, 1 sq., ubi longanimitas Dei erga obstinatos Chananaeos describitur *inimicos servorum suorum ac debitos morti cum tanta cruciantis attentione, dantis tempus et locum per quae possint mutari a malitia.*

678. II. S. Augustinus: « Numquid consilii corrigendi, et mutandae vitae malae in bonam non est locus, non est tempus? Nonne si vis, hodie fit? nonne si vis, modo fit? » (1), et explanans verba Apostoli: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum,* ita scribit: « Ea est coecitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita sit. Penitus enim esse extra Deum quid est, nisi esse in summa coecitate » (i. e. *perfecta* quae propria est damnatorum) (2). Discipulus ejus fidelis S. Prosper: « Nemini, scribit, Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat » (3). — Concilium Tridentinum (sess. 6. cap. 14): « Qui vero exciderunt (indefinite loquitur conc., nullos excipit), rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo,.... gratiam recuperare procuraverint, » et Later. IV. cap. 1: « Si post susceptionem Baptismi quisquis prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari. » — Adde quod, si verum esset, aliquos obduratos penitus a gratia deseri, isti veniam sperare non possent et desperare deberent. Sed spes semper praecepta et desperatio semper reproba est. Ergo.

679. **Corollarium.** Ex dictis in hac et praesertim in praecedenti thesi sequitur peccatoribus quibuscumque (sub diversa tamen qualificatione, uti in praecedenti casu de *gratia conversionis)* gratiam concedi ad *servanda mandata divina.* Quoad omnes enim etiam induratos verum est Joannis effatum *mandata ejus*

(1) *In Ps.* 69. n. 19. — (2) *In Ps.* 6. n. 8. — (3) *Resp. ad 15.am obj. Vincent.*

gravia non sunt, et Tridentinum generaliter dicit, Deum impossibilia non jubere. Rationem reddit s. Augustinus: « Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest? peccatur autem; caveri igitur potest..... sed opitulante illo, qui non potest falli » (1). Imo facile quisque videt, haec valere de omnibus hominibus, proindeque etiam de infidelibus.

680. Prop. 100. **Infidelibus omnibus, etiam negativis, datur pro loco et tempore, gratia ad salutem sufficiens.**

Declar. Infideles alii dicuntur *positivi*, alii *negativi;* illi sunt qui cum fidei notitiam habuerint, eam amplecti noluerunt, aut eam respuerunt; hi sunt qui nihil unquam de fide audierunt. De illis nulla quaestio esse potest, cum evidens sit, non omni gratia esse destitutos, sed controversia est de *negativis*. Propositio intelligenda est cum hac limitatione: *si per homines non stet*. Nam, quamvis homo ex se nihil possit efficere ut obtineat vocationem ad fidem, sed Deus sola gratuita sua voluntate per Christi merita illam omnibus offerat; potest tamen homo sua voluntate impedire sufficienter et quantum in ipso est, ne a Deo actu recipiat hoc auxilium, si multiplicando peccata magis magisque illo se reddat indignum. Vitando ergo peccata et legem naturalem observando per gratiam *medicinalem*, quam Deus omnibus *confert*, non impediet collationem gratiae vocationis ad fidem, quam Deus illi dabit, per medium etiam extraordinarium, si opus sit: non quod illa bona opera mereantur, positive disponant, impetrent gratiam fidei; sed quod removeant obstaculum ad collationem gratiae, quam Deus decrevit dare per Christi merita iis, qui illam non impediunt (2).

Propositio est contra Calvinianos et Jansenistas et

---

(1) *De Nat. et Grat. c. 67.*

(2) De *tempore*, quo facienti quod in se est Deus tribuit gratiam vocationis, respondemus cum Suarez, nihil determinate affirmari posse. Nonnullis citius, aliis serius pro beneplacito Dei conceditur. Quemcumque autem terminum praefixerit, semper iustissimus est. Hoc tamen est valde credibile, infidelem negativum, si incipiat facere quod in ipso est, primae gratiae medicinali cooperando, a Deo majora semper auxilia recepturum esse, quibus iuvetur ulterius, ad totum illud perficiendum quod a Deo requiritur, ut infidelis ille censeatur *fecisse quod in se est*. Schuppe *tract. 9.* n. 231.

nonnullos theologos catholicos, eamque plures ut *theologice certam* defendunt. Ei favet Ecclesia, cum Alexander VIII damnaverit propositionem: « Pagani, judaei, haeretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti. »

681. Demonstr. i. Colligitur ex Scriptura, juxta quam Deus *non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat* (Ezech. 18, 23); *nec aliquos perire* (2. Petr. 3, 9); *et multo minus obliviscitur hominem quam mulier infantem suum* (Is. 49, 15); *sed vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (1. Tim. 2, 4); et *est lux vera, quae illuminat omnem hominem* (Io. 1, 9); *qui stat ad ostium et pulsat* (Apoc. 3,20); clamans: *venite ad me omnes qui laboratis etc.* (Matth. 11, 28); apud ipsum enim *non est distinctio Judaei et Graeci; nam idem Dominus omnium; dives in omnes qui invocant illum* (Rom. 10, 12).

Huc referri potissimum debent argumenta, quae alibi proposuimus ex universalitate voluntatis Dei salvificae quoad omnes homines et ex universalitate redemptionis Christi, qui pro omnibus hominibus sanguinem fudit. Si enim infidelibus obicem tollentibus Deus gratiam denegaret, jam non haberet voluntatem seriam eos salvandi neque ex hac voluntate sanguinem suum pro eis fudisset, cum per ipsum solum, non autem ipsorum culpa staret, quominus salvarentur.

682. II. Patres id passim deducunt ex verbis Joannis: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ita s. Chysostomus: « Illuminat omnem hominem... quantum in ipso est. Si qui autem, sponte sua mentis oculos claudentes, hujus lucis radios percipere nolint: non ex natura lucis venit, quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc privant munere. Gratia quippe in omnes effusa est » (1). Auctor libr. *de Vocat. Gent.*: « Nunc in extremis mundi partibus sunt aliquae nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit,.... quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quae desuper omnibus semper hominibus est praebita, non negatur » (2); et (l. 2. c. 26): « Opitulatio per innumeros modos, sive occultos si-

---

(1) Hom. 8 *in Joan.* — (2) *l. 2 c. 17.*

ve manifestos, omnibus adhibetur, et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod autem a multis suscipitur, est et gratiae divinae et voluntatis humanae ».

683. III. Si homo esset conditus in puris naturalibus, non destinatus ad finem supernaturalem, non imputaretur ei non habuisse media quae illuc ducerent, neque infidelitas et alia hujusmodi. Atqui si homo reprobus non habet sufficiens adiutorium ad bona supernaturalia, perinde est, ac si esset conditus in puris naturalibus. Ergo non imputaretur ei ad culpam, quod non credat aut non diligat bona supernaturalia. Accedit, quod in opposita conditione foret homini simpliciter impossibile vitare peccatum et facere bonum in ordine ad vitam aeternam: ergo.

684. *Dices:* Fides sine praedicatione Evangelii juxta Apostolum (Rom. 10, 14) impossibilis est. Sed multis Evangelium non fuit praedicatum. Ergo.

Resp. Paulus loquitur de cursu ordinario, juxta quem utique ad fidem necessaria est praedicatio. Verumtamen Deo alia quoque suppetunt media, ut infidelem, qui gratiis acceptis cooperatur, ad fidem perducat. « Hoc ad divinam providentiam pertinet, inquit s. Thomas, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus in silvis ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae ad credendum sunt necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium »; vel etiam angelum de coelo mitteret, ut dicit Augustinus (1). — Insuper vix ulla est gens, ad quam aliquod non pervenerit vestigium Dei Salvatoris et Remuneratoris, quaeque idcirco, opitulante interna gratia, ad fidem absolute necessariam perduci non possit.

685. Prop. 101. **Infantibus absque baptismo decedentibus Deus, quantum ex se est, sufficientia praeparavit media salutis.**

De hac propositione cf. quae dicimus (n. 207).

---

(1) *De dono Persev.* c. 19.

ARTICULUS III.

De gratiae inaequali distributione.

686. Prop. 102. **Gratia mensura inaequali distribuitur.**

Demomstr. « Haec propositio, ait Bellarminus, in divinis litteris ita luculenter habetur, ut mirum videri possit ab ullo unquam fuisse negatam » (1). — *Vobis datum est nosse mysteria regni coelorum; illis autem non est datum* (Matth. 13, 11); et: *Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* (Phil. 1, 26); et: *Cui multum datum est, multum quaeretur ab eo* (Luc. 6, 48). (Cf. parabolam talentorum). — S. Augustinus: « Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita; duo solum occurrunt interim, quae respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! et: Numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quaerat doctiores, sed caveat ne inveniat praesumptiores » (2); et alibi « Si jam oportebat ut damnatis non omnibus (seu aliquibus), quid omnibus deberetur (Deus) ostenderet, atque ita gratius suam gratiam vasis misericordiae commendaret, cur in eadem causa me quam illum potius puniet, aut illum quam me potius liberabit; hoc non dico, si quaeris quare, quia fateor me non invenire quid dicam » (3).

Porro in hoc consistit ipsum praedestinationis mysterium, de quo cf. (n. 216.)

Sectio II.

DE GRATIA HABITUALI.

687. Gratia actualis, de qua hucusque egimus ad habitualem praeparat atque disponit. Haec in ipsa infunditur justificatione et

---

(1) *De Grat. et lib. arb.* l. 2. c. 2. — (2) *De Spir. et litt.* c. 34. n. 60. — (3) *De dono persev.* c. 8.

justificationis ipsius est causa formalis (1). Ad plenam itaque ejus notitiam assequendam totum justificationis negotium expendendum est.

688. *Justificatio*, praetermissis aliis significationibus (2), eo sensu in hac tractatione accipitur, quo significat peccati remissionem et animae ornatum, quo eadem sancta et justa constituitur. Definitur a conc. Tridentino: « Translatio ab eo statu in quo homo nascitur filius primi Adae in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum Salvatorem nostrum » (3).

689. Novatores ex fundamentali errore, quod per peccatum natura intrinsece corrupta est et haec corruptio consistit in concupiscentia, quae est formale peccatum et a qua tamquam flores et fructus arboris malae procedunt motus et actuales legis transgressiones, quae non sunt nisi noxae originalis manifestationes; logice intulerunt, tum illam tum istas evidenter non posse per justificationem tolli et remanere etiam in justificatis. Hinc necessario fluit tota Novatorum de justificatione doctrina, quae ad haec capita revocari potest. Contendunt 1.° quoad *essentiam*, justificationem esse tantum extrinsecam per imputationem justitiae Christi, qua peccata nostra teguntur et licet manentes in peccatis nostris Deus nos reputat et acceptat ut justos et filios; 2.° quoad *dispositiones*, nullam aliam

---

(1) *Justificatio* sumi potest *active* et *passive*. Active est illa actio, qua Deus hominem efficit justum; passive est terminus illius productionis, vel formalis, qui est ipsa justitia; vel adaequatus, qui est hominem justum constitui per illam iustitiam. Active accepta est quodammodo causa gratiae habitualis; passive accepta, uti communiter sumitur, est effectus gratiae habitualis; per hanc enim homo fit justus.

(2) *Justificationis*, uti et *justitiae* vocabulum in Scripturis usurpatur interdum pro lege Dei: *Justificationes tuas custodiam* (Ps. 118, 8); interdum pro declaratione externa justitiae modo forensi: *Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum* (Prov. 17, 15); aliquando pro augmento justitiae seu gratiae sanctificantis: *Qui justus est justificetur adhuc* (Apoc. 22, 11); saepissime pro gratiae sanctificantis acquisitione: *Haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis* (1. Cor. 6, 11), et: *Credenti in eum qui justificat impium* (Rom. 4, 5).

Ex his acceptionibus Catholici sumunt justificationem tertio et quarto modo, nempe pro acquisitione et incremento justitiae; Protestantes secundo modo, pro declaratione justitiae.

(3) Sess. 6. cap. 4.

requiri nisi fidem promissionum seu fidem illam specialem, qua firmissime credimus peccata nobis non imputari sed imputari justitiam Christi; 3.° quoad *proprietates*, eam esse in omnibus aequalem, certam de fide, et nisi fides amittatur, inamissibilem.

Contra catholici tenent, 1.° iustificationem fieri formaliter per internam renovationem, qua peccata vere delentur; 2.° ad eam vero assequendam in adultis requiri etiam fidem sed fidem dogmatum et praeter hanc alias quoque dispositiones; 3.° illam esse incertam, inaequalem et per quodlibet peccatum mortale amissibilem. Tribus itaque capitibus quae hic innuimus, fusius explicabimus: 1.° de natura justificationis, 2.° de dispositionibus ad justificationem, 3.° de proprietatibus justificationis.

CAPUT I.

De natura justificationis.

690. Certa a minus certis secernentes primum *dogmata* de causa formali justificationis proponemus, dein ulteriorem hujus causae formalis (gratiae habitualis) ejusdemque comitatus theologicam *explicationem* dabimus. Unde agemus: 1.° de essentia seu causa formali justificationis, 2.° de gratia habituali seu sanctificante, 3.° de gratiae habitualis comitatu.

ARTICULUS I.

De essentia seu causa formali justificationis.

691. Justificatio consistit *negative* in remissione peccatorum, *positive* in infusione gratiae, sicut calefactio, qua quis ex frigido fit calidus, habet duas partes, depulsionem frigoris et acquisitionem caloris. Hae duae partes tamen ita connexae sunt, ut uno eodemque actu, infusio gratiae inferat peccatorum remissionem. Quoad utrumque hoc elementum tam *negativum* quam *positivum* doctrinam catholicam contra Protestantes vindicabimus. Itaque:

692. Prop. 103. **In Justificatione impii peccata non teguntur sed vere remittuntur et delentur.**

Est *de fide* ex conc. Tridentino (sess. 5. can 5): « Si quis per Jesu Christi gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam rationem peccati habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari, a. s. » Loquitur quidem concilium de peccato *originali*, sed idem valet etiam de peccatis actualibus, quia par est ratio. Remittitur vero peccatum non hoc sensu, quod peccatum historice loquendo, infectum fiat, sed quod reatus culpae, macula et poena aeterna tollatur, adeoque idem sit ac si nunquam commissum fuisset.

693. Demonstr. I. *a)* Peccata in Scriptura dicuntur *transferri, deleri, auferri, proiici in profundum maris, longe fieri a nobis quantum distat ortus ab occidente, tolli, purgari, exhauriri* (1). — *b)* Anima dicitur a peccatorum sordibus *emundari, mundari, abstergi, ablui, lavari* (2). — *c)* Peccata dicuntur *vulnera, livores, plagae, mors;* remissio vero *sanatio* et *resuscitatio* (3).

694. II. S. Augustinus: « Dicimus, baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum et *auferre crimina, non radere* » (4). S. Gregorius M. comparando baptisma cum transitu Israelitarum per mare rubrum concludit: « Qui dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari rubro Aegyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Aegyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut lavet pedes, sed est mundus totus* (Jo. 13, 10). Si igitur peccata in baptismo funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit » (5).

695. III. Ex 5, 12 sq. ad Rom. Christus se habet ad justos ut Adam ad peccatores. Atqui per Adam non extrinseca imputatione sed

---

(1) 2. Reg. 12, 13; Is. 44, 22; Mich. 7, 18; Ps. 102. 12; Jo. 1, 29; Hebr. 1, 3; ib. 9, 28. — (2) Jerem. 33, 8; Ezech. 36, 26; 1. Cor. 6, 11; Eph. 5, 26; Apoc. 1, 5. — (3) Is. 30, 26; Mich. 1, 9; Rom. 6, 4; Eph. 2, 5. — (4) *L. 1. ad Bonif.* c. 13. — (5) *L. 11. ep.* 45.

intrinsece constituuntur homines peccatores: ergo etiam per Christum non externe sed interius vere a peccatis mundantur. — Justi describuntur sancti, amici et filii Dei, templum et membra Spiritus sancti ; atqui haec omnia cum intrinseca permanente turpitudine consistere nequeunt: ergo.

696. *Obi.* 1. (Ps. 31, 1): *Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata.* Sed quod tegitur adhuc adest. Ergo. — *Resp. Dist min.* Quod tegitur coram homine, adhuc adest, *conc.;* quod coram ipso Deo tegitur, *neg.* Coram Deo, cujus oculis omnia nuda et aperta sunt, nihil quod *est,* abscondi potest, sed ut tegatur debet non esse. Augustinus: « Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt... nec sic intelligatis, quod dixit: cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant » (1).

Obi. 2. Ib. v. 2: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Ergo. — *Resp. Dist.* Cui non imputatur, quia deletum est *conc.,* quia tegitur per justitiae Dei imputationem *neg.*

697. Prop. 104. **Iustificatio non consistit in sola peccatorum remissione, nec in solo favore Dei, aut in sola imputatione iustitiae Christi, sed in sanctificatione et renovatione interioris hominis per gratiam et caritatem, quae in cordibus nostris diffunditur per Spiritum sanctum illisque inhaeret.**

Est contra Novatores in praecipua, quam habent cum catholicis, controversia, quae eo redit, utrum justificatio sit aliquid intrinsece inhaerens, an denominatio extrinseca tantum.

De fide, ex conc. Tridentino (sess. 6. cap. 7): « Quae (iustificatio) non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex iniusto fit iustus.... unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse est iustus, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam; » et can. 11: « Si quis dixerit, hominem iustificari vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffun-

(1) *Enar. 2. in Ps.* 31. n. 9. Cf. etiam prop. 35 Rosminii.

datur, atque illis inhaereat, aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei, a. s. »

Demonstr. i. *a)* (1. Cor. 6, 11): *Haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Negative scelerum ablutione, positive gratiae sanctificantis infusione, *iustificati* sunt. (Tit. 3, 3 sq.): *Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli,.... sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundanter per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae.* Iustificatio hic exhibetur ut *renovatio* et *regeneratio,* quae iam per se important intrinsecam subiecti mutationem, sed explicite huius *renovationis* et *regenerationis* causa formalis dicitur esse *effusio Spiritus sancti.* (2. Petr. 1, 4) *Per quem* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit: ut per haec efficiamini divinae consortes naturae;* qui nedum donorum sed divinae naturae participat, certe intrinsece modificatur, novoque modo ac prorsus supernaturali se habet. (Rom. 3, 24): *Justificati gratis per gratiam ipsius;* favor Dei extrinsecus voce *gratis,* additione *per gratiam* donum infusum significatur. (Apoc. 22, 11): *Qui iustus est iustificetur adhuc* quae verba nullum sensum haberent in hypothesi adversariorum. — *b)* Qui nunc post peccatum justificantur, dicuntur *renovari, induere novum hominem, exuere veterem* (Eph. 4, 23 sq. et Col. 3, 9); atqui renovari nequit, qui reapse in se ipso idem manet: metaphora vero exuendi et induendi indicat aliquid amitti quod insit, et in se aliquid recipi quod fiat proprium ejus, qui induit. — *c)* Justi dicuntur *templum Dei et Spiritus sancti* ita ut per peccatum hoc templum violetur (1. Cor. 3, 17. 19 coll. 6, 18. 19): *membra Christi* (1. Cor. 12, 12); *palmites in Christo vite* (Jo. 15, 1); atqui haec omnia important intrinsecam sanctitatem et justitiam: ergo.

698. II. S. Augustinus: « Justificat impium Deus non solum dimittendo, quae mala fecit, sed etiam donando caritatem, ut declinet a malo, et faciat bonum per Spiritum sanctum » (1); et in verba Apostoli: *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi,* inquit: « hoc est per fidem, qua creditur in Christum. Sicut au-

---

(1) *Contr. Jul. l. 2. op. imp.* n. 165.

tem ista *fides Christi* dicta est, non qua credit Christus, sic et illa *justitia Dei*, non qua justus est Deus. Utrumque enim *nostrum* est sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur » (1). S. Basilius appellat baptismum « mortem peccati, regenerationem animae, gratiam adoptionis » (2). Chrysostomus sic gratiam justificationis exponit: « Si quis scabiosum quendam formosum faceret juvenem, et purpura induerit et diadema imposuerit: ita Deus nostram iniunxit et ornavit animam, pulchramque fecit et amabilem » (3).

699. III. Christus nobis meruit eam justitiam, quam perdidimus per Adam; atqui Adam non habuit justitiam imputatam sed propriam et inhaerentem. Ergo. — Per gratiam sanctificantem homo fit obiectum congruum divinae dilectionis supernaturalis et in ordine ad finem supernaturalem; ergo in homine a Deo *poni* debet aliquid interni, quo in tali ordine sit bonus, Deo gratus et a Deo amabilis (4).

700. *Obi.* (1. Cor. 1, 30) Christus dicitur factus nobis *sapientia a Deo*, et *justitia et sanctificatio;* et (Rom. 5, 19) dicuntur *per unius obedientiam multi constituti justi.* Ergo justificatio perficitur per imputationem justitiae etc. Christi — *Resp. Dist. antec.* Christus factus est nobis justitia etc. efficienter et meritorie, *conc.;* formaliter et per solam imputationem, *neg.* Sicut inobedientia Adami est causa non formalis sed efficiens et meritoria peccati originalis posterorum, ita et obedientia Christi.

Huc pertinent rationes in superiori thesi allatae (n. 695).

---

(1) *L. de Spir. et litt.* c. 9. n. 15. — (2) Hom. *de bapt.* n. 5. — (3) Hom. 1. *ad Eph.*

(4) Haec est differentia inter amorem Dei et amorem hominis, quod amor Dei facit bonum id, quod amat; amor hominis supponit bonitatem in eo, quod amat, vel in toto, vel in parte. Cf. s. Thom. 1. 2. q. 110. a. 1; *c. g.* l. 3. c. 155; *de verit.* q. 27. a. 1.

ARTICULUS II.

De gratia habituali seu sanctificante.

701. Justificationis causa formalis est gratia habitualis. In hujus jam naturam uberius inquirere oportet, quem ad finem, praeeuntibus theologis explicabimus communem definitionem qua gratia sanctificans est: *supernaturale Dei donum permanenter animae inhaerens, quo homo immediate et formaliter justus efficitur, sanctus, Deo gratus, consors divinae naturae et filius Dei adoptivus, capax eliiciendi opera meritoria vitae aeternae et ejusdem haeres* (1). Dicitur:

1.° *Donum*, quo significatur gratis a Deo homini concedi per merita Christi, ac proinde non cadere sub ullum meritum sive naturae sive personae, per solas vires naturales operantis. Est gratia sanctificans aliquid descendens *ex speciali Dei dilectione*, quae distinguenda est a dilectione generali, ex qua procedunt in creaturis bona naturalia.

702. 2.° *Supernaturale* nempe quoad substantiam (352) i. e. totius naturae creatae et creabilis ordinem vires et exigentiam transcendens, creaturam rationalem ad modum sui *esse* novum et sublimem et ad sublimem et novum statum et virtutem operandi elevans. Gratiam sanctificantem esse hoc sensu supernaturalem alibi demonstratum est, et insuper colligitur ex eo, quod hominem ad Deum in se spectatum et per visionem beatificam possidendum ordinat, mira et eximia unione illum cum Deo coniungit, praerogativas et jura prorsus singularia ac prope divina eidem confert, de quibus inferius.

---

(1) Gratia sanctificans comparatione Dei dicitur *participatio naturae divinae, filiatio adoptiva et amicitia;* comparatione virtutum infusarum *natura* quaedam *supernaturalis*, quae radix sit universalis formaque virtutum; comparatione actuum moralium *dignitas* et *valor* ipsorum; comparatione gloriae *semen* et *ius haereditarium* ad illam; denique comparatione naturae rationalis antonomastice *gratia, iustitia, vita, pulchritudo* et *mundities* ab omni macula peccati lethalis. Ex hoc apparet, quanta habitualis gratiae sit dignitas et pretium, quamque sit necessarium, ut clerici plene noverint et frequenter doceant, quam pretiosa et maxima sint dona, quae Deus gratiam sanctificantem hominibus infundendo, elargitur; quam divina adiumenta habeant justificati contra peccatum, ut relapsum caveant et bonis operibus abundent.

Quaestio hic occurrit, num hoc *donum supernaturale* sit ipse *Spiritus sanctus.* Id censuit Petrus Lombardus docens gratiam sanctificantem seu caritatem non esse aliquod donum creatum, sed ipsum Spiritum sanctum mentem inhabitantem et immediate animam sanctificantem (1). Verum est sententia *certa,* gratiam, qua in justificatione homo formaliter justus constituitur, non esse donum increatum seu ipsam Spiritus sancti personam; sed donum supernaturale creatum, quod ipse diffundit in cordibus nostris, et quo quasi vinculo, intime illi coniungimur. Constat *a)* ex conc. Tridentino (n. 697), juxta quod *α)* formalis causa justificationis est justitia Dei « non qua ipse justus » sed qua nos justos facit. Jam vero si Spiritus sanctus esset causa formalis nostrae justificationis, ea esset ipsa justitia qua Deus justus est; siquidem Spiritus sanctus est ea justitia et justus est ipsa justitia Dei. *β)* Justitia, qua Deus justos nos facit et qua formaliter justi constituimur, *donatur* nobis a Deo, eamque Spiritus sanctus partitur. Sed donum, quod confertur a Spiritu sancto, realiter a Deo distinguitur: ergo. *γ)* Dicitur recipere justitiam « unusquisque suam secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis, » et can. 24 justitia nostra « augeri posse; » atqui si Spiritus sanctus esset forma nostrae justificationis, forma nostrae justitiae esset semper eadem nec daretur diversa justitiae mensura nec augeri posset: ergo. — *b)* Ex Scriptura, in qua dicitur, in eo, qui ex Deo natus, qui igitur justificatus est, *semen Dei* esse (1. Jo. 3, 9), et *caritas Dei diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. 5, 5); atqui tum semen, tum caritas seu gratia distinguuntur a Deo sicut effectus a causa: ergo.

703. 3.° *Permanenter animae inhaerens.* In hoc conveniunt omnes theologi; quaestio tantum est, utrum hoc Dei donum *physice* permaneat et inhaereat animae, vel *moraliter* tantum. Hoc postremum ostendere conatus est Jo. Morinus dicens, gratiam sanctificantem non esse nisi gratiam actualem, quae sine intermissione movet animam justi, jugiter in eam influit, eamque fecundam reddit. Verum contrarium tenent nunc omnes theologi,

---

(1) Non est cum hac confundenda, ut nonnulli faciunt, sententia Dionysii Petavii, de qua inferius.

estque doctrina *certa* (1). Colligitur *a)* ex iis Scripturae locis, quibus gratia sanctificans exhibetur sub symbolis *seminis, vitae, sigilli, lucis, pignoris, inunctionis, splendidae vestis, stolae* (2), vel ex iis, quibus edicitur, Deum in justificato *manere* et in eo *habitare* (3), peccatores, dum justificantur, *recreari, renovari, regenerari, renasci* etc. (4). His omnibus *aliquod physice* permanens et ab *actibus* distinctum insinuatur. — *b)* Ex conc. Tridentini locis allegatis, ubi docetur, gratiam sanctificantem *infundi, inhaerere, conservari, augeri*, eam esse sicuti *stolam*, quam Adam sibi et nobis perdidit, quam candidam et immaculatam conservare jubentur renati, ut eam proferant ante tribunal Jesu Christi et habeant vitam aeternam (Cf. Sess. 6, cap. 7. 10. 11. et 16; can. 32. etc.) — *c)* Ex justificatione infantium, et eorum, qui iis aequiparantur, amentium, quae non potest consistere in actibus virtutum continuis, neque in gratia actuali, quae jugiter influat in eorum animas, quum tam actuum salutarium quam gratiae actualis infantes incapaces sint. Porro una eademque est justitia quoad essentiam in infantibus et in adultis. (Cf. conc. Trident. sess. 6, cap. 3 et 7; sess. 7. can. 7).

Hoc vero donum *physice* permanens et inhaerens declaratur ulterius consistere in *qualitate spirituali, per modum habitus, animae inhaerens*. Cum enim nec mera *relatio* nec *actio* sit, ut jam constat, neque *substantia* esse possit, quia substantiae est esse per se, hoc vero dicitur *inhaerere*; remanet ut sit *accidens*, forma, *qualitas*, quorum est proprium *inhaerere, inesse*, et quidem spiritualis quia talis est anima, cui inhaeret. Forma haec spiritualis, quae animae superadditur eique novum *esse*

---

(1) Sunt, qui censeant hanc doctrinam esse de fide, ut Suarez Vega etc. attamen merito alii hoc negant, et ipsum conc. Tridentinum a voce *habitus* consulto abstinuit. Placet iudicium referre hac de re Perronii *de grat. sanctif.* n. 472: « Haec adnotare volui, ne minus periti in rebus theologicis decipiantur, permiscentes cum articulis fidei quaestiones mere scholasticas, atque ita traducant tamquam haereticam aut erroneam eorum doctrinam, qui nullam agnoscunt distinctionem inter gratiam habitualem et actualem. Quod sane de fide non est. Ceterum cum doctrina, quae ponit distinctionem inter utramque gratiam, *communis* sit et *ab omnibus nunc recepta*, nos ab ea non discedimus; imo *certa* nobis videtur ac magis conformis Scripturis et sensui Ecclesiae, ut postea ostendemus. »

(2) 1. Jo. 3, 9; Eph. 5, 8; Jo. 6, 58; 2. Cor. 1, 21. — (3) Jo. 14, 23; 1. Cor. 6, 19. — (4) Tit. 3, 5. sq. etc.

non quidem substantiale sed *modale* tribuit, vocari solet *habitus*, quia habitus est qualitas, quae per modum dispositionis stabilis rei supervenire concipitur, ita ut absque operatione actuali permaneat. Est vero gratia sanctificans habitus non quidem operativus sed *entitativus* (1), non exercitio gradatim acquisitus, sed supernaturali Dei operatione *infusus* (2).

Hucusque gratiam sanctificantem directe in se ipsa consideravimus, modo ex praecipuis ejus effectibus eandem declarabimus, qua homo scilicet

704. 4.° *immediate et formaliter fit justus, sanctus et Deo gratus etc. Immediate* et *formaliter* i. e. gratia habitualis ex natura sua, per se sola, juxta physicos suae perfectionis gradus, ut forma et qualitas spiritualis intrinsece inhaeret animae ita, ut *vere, proprie* et *intrinsece* non improprie tantum et denominative producat hos effectus. — *Sanctus, justus; sanctus* i. e. immunis ab omni peccato lethali (3), quo a Deo aversus erat, atque

---

(1) Habitus *entitativi* sunt illi, qui determinant substantiam in se ipsa ad bene vel male *essendum;* operativi vero illi, qui disponunt *potentias* ad bene vel male *operandum,* et proprie dicuntur virtutes, si sint boni; *vitia,* si sint mali.

(2) Haec non est nisi ulterior determinatio doctrinae immediate praecedentis, quaeque ideo iisdem argumentis confirmatur. Addi potest conc. Viennense statuens: « Opinionem secundam, quae dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo *gratiam informantem* et virtutes, tamquam *probabiliorem* et dictis sanctorum et doctorum modernorum theologiae magis consentaneam et concordem sacro approbante concilio duximus eligendam; » Catechismus Rom. *(de Baptismo* n. 50.) docens: « Est autem gratia, quemadmodum tridentina synodus ab omnibus sub poena anathematis proposita decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed divina *qualitas* in anima inhaerens, ac velut splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet ipsasque animas pulchriores et splendidiores reddit; » et mox subiicit: « Per eam *qualitatem* ad omnia christianae pietatis officia iustificatos habiles reddi. » Idem dicit S. Thomas 1. 2. q. 110. a. 2. et consentiunt praesertim post Tridentinum omnes theologi.

(3) Gratiam sanctificantem *de facto* expellere peccatum est *de fide* ex Tridentino (sess. 5. can. 5; sess. 6. cap. 7. coll. Catechismo Romano supra allegato). Hoc indicat Scriptura in iis locis, ubi dicit, gratiam opponi peccato, ut *lucem tenebris* (Eph. 5, 8: 2. Cor. 6, 14); *ut sanitatem aegritudini, novitatem vetustati* (Col. 3, 9); *ut resurrectionem morti* (Rom. 6, 4). — De natura huius oppositionis, utrum scilicet sit *absoluta,* sicut calor opponitur frigori, albedo nigredini, vel ex *lege* et *consuetudine* Dei, vel tantum *moralis* fundata in quadam indecentia inde orta, quod gratiae excellentia coniungatur cum deformitate peccati cf. Hurter *Comp. tract.* 8. n. 179. — Mazzella n. 977 ita cum s. Thoma statuit: « Supposita hominis ordinatione ad finem supernaturalem et sancti-

adeo *justus* (1) i. e. constitutus in recto ordine ad finem supernaturalem tum quoad totum suum *esse*, tum radicitus (2) quoad dispositionem operandi. — *Deo gratus* i. e. obiectum vere bonum, amicitiae et amore Dei dignum; talis scilicet homo efficitur, ut a Deo propter eam, quam habet cum voluntate divina conformitatem et praesertim cum ipso Deo similitudinem, diligatur. In justificatione duplex nobis caritas datur, scilicet *creata*, qua diligimus, *increata*, qua diligimur.

705. 5.° *Consors divinae naturae.* Hic effectus est *fide* certus: (2. Petr. 1, 4): *Per quem* (Christum) *maxima et pretiosa nobis promissa donavit* (Deus), *ut per haec efficiamini divinae consortes naturae;* (2. Cor. 3, 8): *Transformamur a claritate in claritatem,* et confirmatur omnibus iis locis, in quibus asseritur, homines per gratiam ex Deo *generari, nasci, renasci,* et *filios Dei fieri:* nam per generationem et nativitatem ipsa natura communicatur isque solus filius dicendus est, qui patris naturam refert (3).

---

ficatione per participationem divinae naturae, macula peccati constituitur in physica privatione gratiae sanctificantis cum habitudine ad peccatum actuale: cum ergo absolute sit impossibile, ut in aliquo subiecto simul existat aliqua forma et privatio eius; absolute impossibile est, ut infundatur animae gratia, et non expellatur ab ea peccatum. »

De peccato vero *veniali* Suarez l. 7. c. 24. statuit 1.° quod remittitur tantum *habenti gratiam sanctificantem;* 2.° non semper et *necessario* per gratiam sanctificantem expellitur; 3.° remittitur vel ex *opere operantis,* vel ex *opere operato,* ad quod requiritur conveniens dispositio.

(1) Justitia hic accipitur pro interna supernaturali rectitudine in ordine ad salutem aeternam. Duplex est: *actualis* et *habitualis:* prior consistit in exercitio et rectitudine actuum omnium virtutum; posterior in permanente perfectione et habituali dispositione recta ad omnia virtutum opera convenienter exercenda. Permanens perfectio magis significatur per *sanctum;* radicalis dispositio ad omne id operandum, quod aequum est et debitum secundum lumen fidei, per *iustum.*

(2) Dicitur *radicitus;* nam bene distinguendum est inter dispositionem remotam ad operandum et proximam. Illam gratia sanctificans ipsa et quidem immediate efficit; haec efficitur per virtutes, quae (utique simul cum gratia sanctificante) infunduntur. Illa in essentia animae, haec in animae potentiis est. Cf. Suarez l. 6. c. 12 et 13.

(3) Cf. prop. 21 et 42 Baji, item quae leguntur in *Missa:* « Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti, da nobis per huius aquae et vini mysterium ejus *divinitatis esse consortes,* qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, » et in *praefatione Ascensionis:* « Qui post resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus

At in quo consistit nobilissimus hic et praecipuus gratiae sanctificantis effectus? Theologi communiter illum collocant in supernaturali et speciali hominis cum Deo *assimilatione* et inde orta cum Deo *coniunctione*.

Talem assimilationem non ex sola voluntatis et morum ad Dei sanctitatem conformatione, sed etiam et praecipue ex similitudine declarant, quae per gratiam tamquam per sigillum animae imprimitur, vi cuius ipsa redditur expressa Dei imago. Quemadmodum enim imago in tela depicta superat umbram, quam corpus proiicit, et rursus imago in speculo repraesentata imaginem superat arte confectam; ita imago divina, quae in anima iusti resplendet, excellit imaginem naturalem animae rationalis, multoque magis similitudinem umbratilem creaturae irrationalis cum Deo, estque speculum nitidissimum, ex quo divinitas ipsa relucet (1).

Ex hac supernaturali assimilatione ad naturam divinam oritur intima *unio* cum ipso Deo ita, ut si Deus, seu loquendo per appropriationem, persona Spiritus sancti, ubique praesens non esset vi immensitatis suae, gratia allectus in tali saltem anima inciperet esse. Haec unio est ex novo titulo nempe *amantis* et *amati*, ex speciali operatione et praesentiae manifestatione ut *auctoris* et *tutoris* charismatum supernaturalium ita, ut in sanctis Deus sit

---

apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in coelum, ut nos *divinitatis suae tribueret esse participes;* » denique in *secreta Domin. IV post Pascha:* « Deus, qui nos per huius sacrificii veneranda commercia *unius summae divinitatis participes* effecisti, praesta, etc. » Patres de hac re cf. apud card. Mazzella n. 1005.

(1) Si ulterius quaeras, in quo proprie haec assimilatio sita sit, Suarez respondet: « Vera ergo excellentia gratiae habitualis, propter quam dicitur esse singularis participatio divinae naturae, est, quia cum natura divina sit quaedam intellectualis natura altioris ordinis quam sit vel esse possit ulla substantia intellectualis creata: *ille gradus intellectualitatis, qui est in divina natura, divino quodam et supernaturali modo participatur per habitualem gratiam;* quo quidem modo a nulla substantia creata per seipsam vel per potentiam sibi connaturalem participari potest. Quod ex primario obiecto divini intellectus declaratur..... Divina enim essentia ratione obiecti intelligibilis in se, et per visionem intuitivam ad ipsam Dei essentiam immediate terminatam adeo est elevata et excellens ratione purissimae actualitatis et immaterialitatis suae, ut a nulla substantia intellectuali possit connaturaliter videri, nisi a se ipsa. Per gratiam vero et dona supernaturalia elevatur natura creata intellectualis ad participationem illius gradus intellectualitatis divinae, in quo possit obiectum illud intelligibile divinae essentiae in se intueri. Et ad hunc finem per se primo dantur dona habitualis gratiae, et consequenter ad alios actus eiusdem ordinis, illi fini consentaneos » *de grat.* l. 7. c. 1. n. 30.

ut in *templo, domo, throno,* ut effundens suae gratiae divitias, ut se communicans amato ad fruendum. Morali hac unione continetur inhabitatio Spiritus sancti.

His iuxta plures theologos absolvitur *participatio divinae naturae,* quae est fundamentum deinde *filiationis adoptivae.* Adoptio enim est « assumptio personae extraneae in filium cum iure haereditatis. » Cum vero adoptio supponat communionem in eadem natura inter adoptantem et adoptatum (alioquin homo adoptare posset equum, lapidem etc.) talem communionem naturae dicunt illi theologi fieri per illam *assimilationem* et *unionem* in qua collocant consortium divinae naturae. Alii tamen gravissimi theologi, ut Petavius, Thomassinus, Lessius (1) et inter recentiores Scheeben Scripturae et praesertim pluribus ss. Patrum effatis

---

(1) Lessius *de perf. div.* l. 12. c. 11. cum appendice subiecta ita suam sententiam explicat: « Sed quo medio, qua ratione adoptionem nobis contulit? Ratione prorsus admirabili; nam primo unum hominem in filium naturalem assumpsit tota divinitatis plenitudine in ipsum refusa et substantialiter unita; per hunc adoptat et filios Dei efficit omnes illos, qui illi homini per fidem et sacramenta tamquam rami trunco et palmites viti inseruntur. Statim enim ut quis adhaerescit Christo, a Spiritu Christi, qui est ejus divinitas, veluti animatur et vivificatur, ac proinde efficitur filius Dei: *qui enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei,* ut inquit Apostolus Rom. 8, 14. Eodem enim Spiritu vivunt, quo Deus ipse, et quo Christus filius Dei naturalis vivit, etsi hic Spiritus diverso modo istis communicetur. Personis enim divinis communicatur per *identitatem.... humanitati* vero Christi per *unionem hypostaticam, nobis* per quandam *extensionem,* qua mediante dono gratiae iustificantis incipit esse noster spiritus, nostra vita nos inhabitans, movens, ornans, regens et omnes vitales functiones Domino placentes in nobis excitans et addens. Itaque hoc Spiritu divinae personae vivunt naturaliter, cum sit illarum esse et vita naturalis; humanitas Christi quasi naturaliter propter substantialem unionem: nos vero omnino supernaturaliter.... Cogita Spiritum sanctum esse veluti immensam quandam animam, quae angustiis istius humanitatis non coercetur, sed in omnem partem quasi in infinitum exundat: itaque sufficiens est, ut non solum illum hominem seu hoc individuum, sed omnes etiam illos, qui illi adhaeserint, vivificet, et consequenter filios Dei efficiat. Facit autem haec non immediate per se nos informando, sed per dona gratiae, quae nobis infundit. Sumus ergo filii Dei proprie et formaliter non tam per donum aliquod creatum secundum physicam suam entitatem consideratum, quam per inhabitationem et possessionem Spiritus divini vivificantis et regentis animas nostras, sive per gratiam habitualem, *quatenus haec facit nos possidere Spiritum Dei.* » Ipse Franzelin, qui contrariam defendit sententiam, explodit tamen *arbitrariam* Ripaldae censuram in Lessii doctrinam, ac si esset conc. Tridentino contrariam. Quaenam fuerit mens Concilii quoad *causam unicam formalem iustificationis* lege apud Scheeben *Handbuch der katholischen Dogmatik* 2. B. n. 837 et 838.

innixi contendunt, hac speciali assimilatione supposita, aliquid amplius ad consortium divinum et adoptionem requiri. Dicunt scilicet, per gratiam sanctificantem, quae concipitur ut aliquid creati, in animam iusti attrahi eisque uniri Spiritum sanctum, quo eadem anima particeps redditur naturae divinae, et homo filius Dei adoptivus constituitur.

Rationes pro hac sententia hae fere sunt: *a)* Difficile intelligitur, quomodo *aliquod creatum* (talis est enim gratia sanctificans et eius effectus: assimilatio specialis) possit constituere consortium cum divina natura, uti illud a Patribus describitur, et communionem illam naturae, quae requiritur in adoptione. Unde ad plenius divinae naturae participationem explicandam ad doctrinam Lessii recurrit ipse Hurter (1). — *b)* Constituimur, inquit iste theologus, filii Dei *regeneratione.* De ratione vero generationis est naturae communicatio; cum ergo aliunde constet, nos reddi naturae divinae consortes, participes non solum charismatum Spiritus sancti, sed ipsius Spiritus sancti; omnia suadent, eatenus nos reddi *pleniori* saltem sensu filios Dei adoptivos, quatenus regeneratione in nos transit Spiritus adoptantis; adeo ut adoptatus, quamvis non naturaliter possideat naturam adoptantis (tunc enim esset filius naturalis) *supernaturaliter* illam participet. Unde nobilissima erit haec filiatio adoptiva, *aemula filiationis naturalis.* — *c)* Eidem suffragantur Scripturae et Patrum effata, quibus docent, Spiritum sanctum non tantum per dona sua, sed *secundum substantiam (κατ' οὐσίαν) iustos inhabitare.* Et sane *α)* Scriptura docet illum Spiritum sanctum, qui est Patris et Filii Spiritus, qui a Patre procedit, iustis *mitti, infundi, donari;* iustos eum *accipere, habere, portare,* adeo ut sint eius *templum* (2). Atqui nomine Spiritus sancti, qui a Patre procedit, qui Patris et Filii est Spiritus, cuius nos sumus templum, non bene intelligitur tantum aliquod charisma. *β)* Eandem *inhabitationem substantialem* in iustis diserte tradunt Patres et ex ea inferunt, nos *divinae consortes esse naturae,* cum nullius creaturae praesentia reddi possimus consortes divinae naturae. Cyrillus Alex: « In iis vero, qui credunt in Christum, non simpliciter illustra-

---

(1) *Comp. tr.* 8. n. 197. — (2) Jo. 14, 16; 15, 26; Rom. 5, 5; 8, 9; I. Cor. 3, 16; 6, 19. etc.

tionem Spiritus esse censemus, sed ipsum Spiritum inhabitare penitus et hospitari confidimus. Unde iure quoque templa Dei dicimur » (1); et in alio loco: « Deus erit et ex Deo secundum naturam Spiritus, cuius participatione per fidem in Christum donati, et naturae divinae participes efficimur, et ex Deo nati esse dicimur, et eam ob rem dii nuncupamur, non gratia solum ad supernaturalem gloriam evecti, sed quod iam Deum in nobis habitantem atque diversantem habeamus » (2); et iterum: « Si ignis nemo particeps esse potest sine igne, quinam divinitatis particeps esse potest quispiam nisi per Deum? Jam vero quod in nobis inest, tamquam Deus ac Dei locum et operationem implet, potest ne Deus non esse? » (3) et alibi: « Quomodo divinae naturae participes secundum dicta sanctorum erunt ii, quibus communicatur Spiritus, si hic conditis rebus annumeratur, et non potius ex ipsa nobis divina natura procedit: non ita ut per ipsam in nos transeat tamquam alienus, sed ut sic loquar, ut velut qualitas quaedam divinitatis in nobis insit, et in sanctis habitet ac perpetuo maneat? » (4). Porro haec omnia sola inhabitatione morali et coniunctione amicitiae vix explicari possunt, sed praesentiam substantialem et realem et physicam unionem importare videntur (5).

---

(1) *L. 5. in Jo.* 7, 39. — (2) *In Jo.* 1, 13. — (3) *Dial.* 7. p. 637.

(4) *L. 9. in Jo.* p. 810. Ita etiam Athanasius: « Omnes similiter per Spiritum participes Dei reddimur.... Sed si Spiritus s. res creata esset, nulla sane Dei communicatio nobis in ipso esset: sed rei creatae coniungeremur, et divinae naturae alieni essemus, utpote nulla in parte eius facti participes.... Si porro Spiritus communicatione divinae naturae consortes efficimur, nemo certe nisi insanus dixerit, Spiritum non Dei, sed creatae esse naturae. » Ep. 1. *ad Serapionem n. 24.* — Cf. Patres apud Petavium *de Trin.* l. 8. c. 4; Thomassinum *de Incarn.* l. 6. c. 8. sq.

(5) Haec unio *non ita quidem* est intelligenda, ac si per gratiam homini natura divina quoad essentiam communicetur, sicut apud homines natura parentum communicatur filio; hoc enim modo natura divina non communicatur nisi divinis personis; *neque ita,* quomodo humana Christi natura divinae naturae particeps est, i. e. per unionem hypostaticam; *neque ita,* ut natura humana mutetur in divinam et vicissim; sed *incolumi distinctione naturae divinae et humanae,* potest copulatio, unio, inhabitatio quaedam ex parte substantiarum cogitari, quae physice coniunguntur. Huius unionis *dispositio* et *vinculum* necessarium est *gratia creata accidentalis,* qua mediante attrahitur gratia *increata substantialis,* ex quibus duobus principiis, quorum unum alterum includit ac veluti exigit, *perfectus status gratiae* constituitur. Unio itaque, quae per gratiam sanctificantem ut formam immediate efficitur, per hanc

706. 6.° *Filius Dei adoptivus* sensu declarato: *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus* (1. Jo. 3, 1).

707. 7.° *Capax efficiendi opera meritoria vitae aeternae*, i. e. opera, quae secum ferunt vitam aeternam, opera, quae ut rami et fructus ex radice, nempe ex illo semine divino in nos per gratiam sanctificantem immisso et simul ex libera hominis cooperatione propullulant, et quibus homo meretur in altera vita in partem vocari thesaurorum divinorum, i. e. participem fieri beatitatis, quae Deo soli naturâ est propria, participare de cognitione, qua Deus ipsemet cognoscit, scilicet Deum intueri sicuti est facie ad faciem, participare de amore, quo Deus ipsemet diligit.

708. 8.° *Ac eiusdem vitae aeternae haeres* i. e. habens ius ad vitam aeternam. Ius ad haereditatem fundatur in filiatione. *Si autem filii* (Dei), *et haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi* (Rom. 8, 17). Haec Christo conveniunt iam ex se, nempe quia Filius Dei proprius est, nobis vero per gratiam san-

---

specialem Spiritus sancti inhabitationem completur et perficitur, prout matrimonium, quod primum solum est ratum, per copulam consummatur. Ita Scheeben l. c. n. 872 usque ad 884. Ad haec animadvertit Katschthaler: « Ut mihi videtur, res ita se habet: Id, quod per gratiam sanctificantem in anima *seminatur*, per hanc Spiritus sancti in anima existentiam ad *effectum* ducitur; vita divina, per gratiam sanctificantem seminis instar in anima iusti latens, per Spiritum sanctum in anima habitantem et efficacem sese manifestare incipit; istae nempe amoris divini exhibitiones erga animam iusti incipiunt, istud sanctum, ut dicam, contubernium inter sponsatos (Deum scilicet et animam iusti), vinculo Spiritus sancti (amoris subsistentis) alligatos, supernaturali et mira ratione inchoat. » *De grat. sanctif.* p. 49.

Quaeras, utrum haec *specialis* inhabitatio Spiritus sancti sit *propria*, an tantum *appropriata? Efficienter* sumptam, communem esse toti Trinitati; item *Patrem* et *Filium* inhabitare animam iusti per *circuminsessionem*, concedunt omnes. Quaestio est tantum, utrum *terminative*, aut alio modo inhabitatio illa sit propria Spiritus sancti? Scilicet, cum constet ex s. Scriptura et Patribus inhabitationem sicut ipsam animae sanctificationem speciali quadam ratione Spiritui sancto tribui; quaeritur: utrum sit modus specialis unionis Spiritus sancti cum iustis, qui sit *proprius* soli tertiae personae; an ei solum per *appropriationem* tribuatur? Quoad hanc rem theologi non plane consentiunt. Communior sententia tenet tribui Spiritui sancto per appropriationem adeoque esse communem toti Trinitati. Cf. Kleutgen *Theol. der Vorzeit t. 2. disp. 7. c. 6.* Sunt etiam, qui dicant, eam esse *propriam*, secundum *hypostasim* ita, ut revera *persona* Spiritus sancti cum iusto speciali quodam modo copuletur: non quidem *substantialiter*, sed potius *accidentaliter;* non quidem plene ita, uti Verbum divinum coniunctum est cum humana natura; attamen analogice ad hanc Verbi cum natura humana unionem. Cf. Scheeben l. c. n. 859.

ctificantem, quam Christus nobis meruit, et qua Christi fratres et inde Christi cohaeredes efficimur (1).

709. Scholion. Quaerunt theologi, utrum gratia sanctificans distinguatur realiter a caritate habituali. Affirmant s. Thomas et eius schola; quia sicut virtus naturalis hominem in esse naturali perfectum, ita virtus supernaturalis eundem in esse supernaturali constitutum supponit: atqui caritas est virtus supernaturalis, gratia vero sanctificans constituit hominem in esse divino et supernaturali: ergo caritas praesupponit gratiam sanctificantem, tamquam novam naturam, secundum quam homo dicitur regenerari, nasci filius Dei; ac proinde gratia sanctificans realiter distinguitur a caritate. Illud ipsum videntur insinuare conc. Viennense et Tridentinum distinguentes gratiam sanctificantem a virtutibus (2).

---

(1) Secundarii effectus gratiae sanctificantis sunt 1.° quod animam *splendore ac pulchritudine coelesti* perfundit; 2.° hominem reddit *vivum membrum Jesu Christi (Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus* Gal. 2, 20; cf. et Catechismum Rom. Part. 2. c. 2. n. 52); 3.° dignum illum reddit *speciali dilectione et providentia divina* (Is. 49, 15. 16), quae est patris ad filium adoptivum, quae tanta est, ut *diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum:* 4.° hominem fragilem *specialiter idoneum reddit ad vincendas tentationes et operandas omnis generis virtutes (Omnia possum in eo qui me confortat* Phil. 4, 13); 5.° *veram efficit felicitatem et pacem,* quam mundus dare non potest *(Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* 2. Cor. 7, 4); 6.° *illuminat veramque confert libertatem,* verumque *in omni pietate progressum.* Cf. de toto hoc subiecto Scheeben *Die Herrlichkeiten der göttlichen Gnade* et Franco *Il sopranaturale ossia ricchezze interiori del Cristiano.*

(2) En argumenta, quibus innititur haec sententia: « Multa quidem esse concedimus, quae communiter gratiae et charitatis nobilitatem extollunt; quia tam naturali vinculo copulantur, ut nuspiam gratia sine charitate nec charitas informis dari possit. Hinc prodiit error Scoti, Durandi et aliorum dicentium, quod gratia et charitas idem sit essentialiter. Non tamen eis conveniunt eodem modo tot ac talia praedicata: quia gratiae ut est prima radix; charitati autem, quasi naturaliori et universaliori fructui illius. Praeterea est quaedam excellentia gratiae, quae non convenit charitati. Nam 1.° esse primum principium formale τοῦ esse supernaturalis, convenit per se gratiae. 2.° Dividere inter filios regni et perditionis convenit gratiae in quantum facit filium Dei formaliter, sed charitas facit operative. Nam gratia est principium essendi in natura divina participata, charitas autem est principium operandi secundum naturam divinam, participatione supposita. 3.° Charitas est forma virtutum et coniungit fini ultimo proxime, et gratia hoc ipsum efficit ut principium primum. Quare utrumque simul debet haberi, et neutrum superfluit. Oportet enim, quod natura quaevis potentiam suam habeat; et anima simul obtinet a Deo lumen et

S. Bonaventurae contra, Scotus, Bellarminus aliique docent ratione tantum gratiam sanctificantem distingui a caritate, quatenus unum idem donum, qua parte reddit hominem Deo gratum, gratia dicitur, qua parte respicit opus et voluntatem promptam reddit ad Deum super omnia diligendum, caritas nominatur. Ratio est, quia in Scripturis omnes effectus gratiae sanctificantis tribuuntur caritati. (Cf. Luc. 7, 47; Jo. 14, 21; 1. Jo. 4, 6; Jacob 1, 12).

ARTICULUS III.

De gratiae sanctificantis comitatu.

710. Gratiae sanctificantis *comitatum* intelligimus illos gratiarum thesauros, qui simul cum gratia sanctificante animam hominis intrant ibique manent. Catechismus Romanus habet: « Huic autem (gratiae) additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quae in animam cum gratia divinitus infunduntur » (1). Hae sunt justificationis veluti partes integrales. Sicut rex, qui domum subditi benigne intrat, non venit nisi egregio comitatu stipatus, ita et Spiritus sanctus, qui in animam justificati venit; sicut lapis adamantinus ab artifice auro circumcingitur, sic et gratia sanctificans donis insignibus circumdatur.

Virtus est habitus bene disponens potentiam in ordine ad operandum. Dividuntur virtutes in *acquisitas* et *infusas*, prout iteratis actibus ab homine ipso comparantur, vel a Deo infunduntur (2). Infusarum aliae etiam actuum frequentatione acquiri potuissent, v. g. notitia linguarum, s. Scripturae etc., et dicuntur infusae *per accidens*, et sunt supernaturales quoad *modum* tantum; aliae quae a solo Deo effici possunt, et dicuntur infusae *per se* et sunt quoad *substantiam* supernaturales. Hae produ-

---

virtutes. 4.° Denique sentiendum est, quod habitus ille, secundum quem Spiritus inhabitat animam, inclinat voluntatem ad merendum, in quantum est prima radix meriti; non tamen exequitur hoc per seipsum immediate, sed mediante habitu charitatis, quo formaliter voluntas inclinatur. » Satolli *op. cit.* q. 2. a. 3.

(1) P. 2. c. 2. n. 51.

(2) Virtus *infusa* definitur a s. Thoma: « qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur » 1. 2. q. 55. a. 4.

cuntur lumine et motivo supernaturali hominemque ferunt in obiectum supernaturale, et quidem ultimo in Deum supernaturaliter possidendum, prouti in se est. De his nobis tantum sermo est.

Hae virtutes ratione obiecti dividuntur in *theologicas*, quae pro obiecto materiali Deum habent, pro formali seu motivo aliquod ejus attributum (1); et *morales*, quae versantur circa honestatem cuique virtuti propriam et obiecta, quibus illa honestas inest, motivo supernaturali (2).

711. Prop. 105. **Gratia sanctificans secum habet virtutes infusas, nominatim vero virtutes theologicas, fidem, spem, et caritatem.**

Demonstr. i. p. Est omnino *certa*, quod fluit *a)* ex controversia de habituum infusione tempore concilii Viennensis, quae coarctabatur ad *infantes*, dum quoad adultos nullum dubium erat; *b)* ex Catechismo Romano, cujus verba supra allegavimus (n. 710); *c)* ex synodo Atrabatensi (1035) docente: « Prius foedi eramus deformitate peccatorum, in ipsa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum; » *d)* ex Scriptura: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde* (Tit. 3, 6); verba enim *abunde effudit* s. Augustinus explicat dicens: « In remissionem peccatorum et copiam virtutis » (3); *e)* ex ratione theologica. Enimvero modus operandi sequitur modum essendi: atqui gratia sanctificans constituit hominem in esse divino: ergo operationes divinas gratiam sanctificantem con-

---

(1) Tres sunt virtutes theologicae, his verbis ab Apostolo notatae (1. Cor. 13, 13): *Nunc autem manent fides, spes, et caritas: tria haec: maior autem horum est caritas. Tres*, inquam; etenim totuplex est virtus theologica, quotuplex est virtus, quae erga Deum recte disponit, nosque immediate ad eum dirigit; atqui triplex est huiusmodi virtus. Cum enim in hac vita per fidem ambulemus, et non per speciem, 1.° *fide* credimus Deum et cetera, quae nobis revelavit; et credimus, *quia* verax est nec falli nec fallere potest; 2.° *spe* confidimus, nos Deum tamquam ultimum nostrum finem consecuturos tentationesque superaturos esse; et confidimus, *quia* est omnipotens et infinite misericors; 3.° *caritate* Deum super omnia diligimus et proximum sicut nosmetipsos propter illum; et hoc facimus, *quia* est summe bonus et infinite amabilis.

(2) Praecipuae virtutes *morales* sunt quatuor *cardinales*, scilicet, prudentia, iustitia, fortitudo, et temperantia. Dicuntur *cardinales*, quod in his virtutibus, velut in cardinibus, tota vitae humanae probitas et honestas vertatur.

(3) Cf. Catechismum Rom. l. c.

sequi necesse est. Porro quemadmodum natura, puta hominis, ita est principium operationum sibi consentanearum, nempe rationalium, ut eas exercere non possit, nisi per potentias sibi congenitas, intellectum scilicet et voluntatem; sic gratia sanctificans, quae accedit homini velut nova natura, comites individuas habet virtutes infusas, per quas veluti per supernaturales potentias supernaturaliter operatur (1).

712. DEMONSTR. II. P. *a)* Sequitur per modum corollarii. Si enim in iustificatione virtutes infunduntur, certe omnium nobilissimae, *theologicae* nempe, infundentur. *b)* Conc. Trident. (sess. 6. c. 7.) docet: « In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo per J. Christum, cui inseritur, *fidem, spem,* et *caritatem:* » quae certe neque de actibus neque de gratia actuali intelligi possunt. *c)* Confirmari potest hac ratione. Gratia non dissimili ratione videtur operari in filiis adoptionis ac natura in filiis naturalibus. Jam vero natura inserit filiis speciale instinctum agnoscendi parentes, fiduciam in illos et amorem tenerum: cui *triplici* affectui in ordine naturali *triplex affectus* ordinis *supernaturalis* erga Deum, sive tres respondent virtutes theologicae; ergo gratia has inseret iustificatis (2).

713. SCHOLION. Quaeritur 1.° utrum etiam virtutes *morales* in iustificatione infundantur? Sententia affirmans est *communior* inter Theologos. Augustinus: « Istae virtutes (cardinales) nunc in convalle plorationis per gratiam Dei dantur nobis » (3). Favet ratio theologica supra allata (n. 711).

Advertas, virtutes infusas conferre *facilitatem internam* ipsi facultati respectu sui actus, sed non auferre difficultatem, quae *extrinsecus* oritur ex fomite concupiscentiae, tentationibus aliisque adiunctis.

714. Quaeritur 2.° utrum in iustificatione infundantur *dona Spiritus sancti?* Haec juxta s. Thomam sunt quaedam hominis perfectiones, quibus homo disponitur ad hoc, quod bene sequatur *instinctum Spiritus sancti.* Hinc conveniunt cum virtute infusa in eo, quod sint habitus: differunt, quod illae regantur vel norma

---

(1) Cf. s. Thomam 1. 2. q. 110. a. 2. et Kleutgen *Theol. d. Vorz. disp.* 7. c. 4. §. 5. — (2) Hurter *Comp. tr.* 8. n. 216. — (3) *In Ps.* 83.

rationis vel lumine fidei: haec vero impulsu seu speciali illustratione Spiritus sancti (1). — Porro infundi tradit communior sententia. Homo enim in iustificatione inseritur Christo tamquam membrum capiti, ut Spiritu eius vivat et regatur: *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius* (Rom. 8, 9). Ergo iustus debet disponi ad excipiendas omnes motiones Spiritus sancti: disponitur autem ad ordinarias per habitus virtutum, ad extraordinarias vero per dona, ut patet ex dictis: ergo sicut in iustificatione infunduntur habitus virtutum, ita et habitus donorum. « In ordine ad finem ultimum supernaturalem, inquit s. Thomas, ad quem ratio movet secundum quod aliqualiter et imperfecte informata per virtutes theologicas, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritus sancti secundum illud (Rom. 8, 14): *Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt.* Et ideo ad illum finem consequendum necessarium est homini habere donum Spiritus sancti » (2).

CAPUT II.

De dispositionibus ad justificationem.

715. Concilium Trident. (sess. 6. cap. 7) plures ad justificationem concurrere causas docet: *finalem,* quae est gloria Dei et Christi, ac vita aeterna; *efficientem,* quae est Deus misericors qui gratuito abluit et sanctificat; *meritoriam,* nempe Unigenitum Dei Filium, qui pro peccatis nostris satisfecit divinae justitiae, et nobis promeruit justificationem; *instrumentalem,* scilicet

---

(1) Ita v. g. sapientia est gratia gratis data, est virtus moralis et est donum Spiritus sancti, sed diverso modo. Ut gratia gratis data inservit ad alios erudiendos in lege divina; ut virtus infusa perficit habentem et quidem ut virtus quatenus disponit rationem gratia Dei adiutam ad recte iudicandum de rebus divinis et ex eis de creatis, et donum Spiritus sancti quatenus movet hominem ad (suavius et excellentius) contemplanda divina. Cf. Thom. 1. 2. q. 68, ubi a. 1. ait: « His, qui moventur per instinctum divinum, non expedit consiliari secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiorem instinctum, quia moventur a meliori principio, quam sit ratio humana. » Cf. etiam n. 602 *annot.* 2.

(2) *Ibid.* q. 68. a. 2.

sacramenta; *formalem*, nimirum justitiam Dei, non qua ipse est justus, sed qua nos justos facit. Quoad tres priores nulla est protestantibus lis nobiscum; duae vero posteriores circa quas a nobis dissentiunt, partim probatae, partim suo loco probabuntur.

A causis proprie dictis distinguit concilium *dispositiones*, quae ex parte hominis ad justificationem consequendam requiruntur, quae sunt tantum conditio, *sine qua non* infunditur gratia, necessariae ad removendum impedimentum, rationes habentes meriti de *congruo* seu impetrationis. Has autem enumerat idem concilium: *fidem, timorem, spem, amorem, detestationem peccati* cum proposito non peccandi. Protestantes ex his non admittunt nisi solam fidem et quidem eam, quae sit mera fiducia. Contra hos statuimus:

716. Prop. 106. **In adultis, ad justificationem consequendam, aliae, praeter fidem, dispositiones requiruntur; seu sola fides non justificat.**

De fide ex conc. Trident. (sess. 6. cap. 6): « Disponuntur autem ad ipsam justificationem, dum excitati divina gratia et adiuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt; atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quae est in Christo Jesu; et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae justitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes, Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tamquam omnis justitiae fontem, diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per eam poenitentiam quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, et servare mandata divina; » et can. 9: « Si quis dixerit, sola fide impium justificari ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse eum suae voluntatis motu praeparari atque disponi; a. s. »

Declar. Sermo est de *adultis*, nam nulla requiritur dispositio in infantibus, ut constat ex universali Ecclesiae traditione, quae parvulos, quamvis rationis impotes, hactenus baptizavit in re-

missionem peccatorum; unde Trident. (sess. 7 can. 13) dicit anathema iis, qui docuerint parvulos, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos. Enim vero si inobedientia primi hominis potuit illis nocere, a fortiori obedientia secundi hominis, qui factus est nobis justitia a Deo, illis proderit.

DEMONSTR. I. Scriptura *a)* exigit ad justificationem assequendam conversionem et poenitentiam: (Zacch. 1, 3): *Convertimini ad me... et convertar ad vos;* (Act. 2, 28): *Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum;* (ib. 3, 19): *Poenitemini et convertimini ut deleantur peccata vestra:* ergo generatim aliquas dispositiones necessarias requirit. — *b)* Diserte alias praeter fidem requirit dispositiones, nam haec etiamsi adeo intensa sit, ut montes transferat (1. Cor. 13, 2), si caritate destituitur, *nihil prodest;* et secundum Jacobum (2, 14) si opera non habet, *mortua est, non salvat.* — *c)* Alias praeter fidem nominatim commemorat dispositiones. (Eccl. 1, 28): *Qui sine timore est non poterit justificari;* (Prov. 28, 25): *Qui sperat in Domino sanabitur;* (1. Jo. 3, 14 etc.): *Qui non diligit manet in morte.*

717. II. Augustinus: « Qui fecit te sine te, non justificat te sine te.... Fecit nescientem, justificat volentem » (1); et *ibid.* Serm. 27. c. 1: « Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur. » — Doctrina Lutheri de sola fide justificante destruit virtutis studium, latam aperit desidiae ac levitati januam, moralitatem omnem subvertit.

718. *Nota.* Concilium Trident. in enumerandis actibus, qui ad justificationem disponunt, neque omnes omnino commemorare, cum oratio quoque, eleemosyna et jejunium disponant, neque omnium semper necessitatem statuere intendit, cum *extraordinarie* aliquem sine praevio timore per contritionem perfectam justificari contingat; sed illos recensuit, qui *ordinarie* in adultorum praeparatione adesse quique propius disponere solent.

719. *Obi.* (Rom. 3, 28): *Arbitramur justificari hominem sine operibus legis;* et (5, 1): *Justificati ergo ex fide;* et (Eph. 2, 8): *Salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis:* ergo Paulus excludit opera, et fidei tribuit justificationem. *Resp. Dist.* 1.am partem

---

(1) Serm. 15. *de verbis Apost.* c. 11. n. 13.

tem *conseq.:* Excludit opera, quae fidem et gratiam praecedunt *conc.*, quae ex fide et gratia procedunt, *neg.* Paulus de prioribus loquitur, Jacobus de posterioribus (1). — *Dist.* 2.^{am} partem *conseq.:* Justificat fides *obiectiva*, quae creditur, quo nomine venit tota oeconomia N. T. in oppositione ad legem *conc.;* fides *subiectiva*, qua creditur, *subdist. fides* quae *per caritatem operatur, conc.;* fides non informata caritate, iterum *subdist.* ut prima, praecipua dispositio « humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis » (sess. 6. c. 8), *conc.;* ut forma justificans et dispositio ultima se sola sufficiens *neg.* Scilicet etiam non informata caritate fides potest dici justificare, sicut aliae virtutes, spes, eleemosyna, timor Domini, poenitentia in Scriptura justificare dicuntur. Imo et potiori jure, cum isti actus ex fide tamquam e radice progerminent, minime vero haec ex illis.

720. Prop. 107. **Fides ad justificationem necessaria non est firma persuasio, qua peccator credit peccata sibi esse remissa; sed firmus assensus, quo divinitus revelata vera esse creduntur.**

Declar. Triplicem fidem distinguunt Protestantes: *historicam*, qua credimus esse vera, quae in Scripturis continentur; *miraculorum*, qua fiunt miracula; *promissionum*, quae fertur in promissiones divinas de remissione peccatorum. Hanc vero *generalem* dicunt, si respicit promissiones omnibus factas; *specialem*, si unusquisque sibi divinam promissionem applicans, certo credit sibi peccata per Christum esse remissa. Haec fides specialis, seu melius *fiducia, persuasio*, secundum Protestantes, est quae *sola* justificat, deque ea agitur in thesi.

Est *de fide* ex conc. Trident. (sess. 6. can. 12): « Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur, a. s. »

721. Demonstr. i. (Marc. 16, 15): *Praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Fides necessaria ad salutem est fides justificans; porro hujus obiectum est evangelium seu

---

(1) Cf. Wieser, *Pauli Ap. doctrina de iustific.* §. 15.

universum verbum Dei revelatum. (Jo. 20, 31): *Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Fides *vitam* afferens est fides in divinam Christi missionem. Apostolus de ea fide loquens, sine qua impossibile est placere Deo, ait: *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (Hebr. 11, 6). Porro obiectum fidei hujus non est aliqua specialis promissio, sed revelata veritas Dei existentis et remuneratoris. Demum quaenam sit fides necessaria ad peccatorum remissionem docent quae leguntur (Act. 8, 37): *Dixit Philippus* (eunucho): *Si credis ex toto corde, licet* (baptizari). *Et respondens ait*: *Credo Filium Dei esse Jesum Christum.*

722. II. Consonam esse hanc doctrinam universae traditioni constat ex antiquissima consuetudine exigendi a catechumenis professionem articulorum symboli, in quibus hujusce fidei promissionum nullum prorsus vestigium occurrit. — Accedunt rationes theologicae. Fides justificans utpote dispositio praecedere debet justificationem; atqui fides, qua quis credit sibi esse remissa peccata, si vera est, posterior est ipsa peccatorum remissione: ergo. — Nihil potest credi fide divina, quod non est revelatum, imo incertum. Atqui remissio peccatorum unicuique facta nullibi revelata est, sed incerta, ut infra demonstrabitur: ergo.

Provocant quidem Protestantes ad articulum symboli: « Credo remissionem peccatorum » et ad loca Scripturae peccatorum remissionem per Christum promittentia, verum ea continent promissiones generales et conditionatas, non vero specialem unicuique factam et absolutam, mihi vel tibi peccata esse remissa. Illa promissio generalis conditionata ingreditur cum aliis veritatibus pariter revelatis fidem justificantem; haec remissio specialis obiectum est non verae fidei, sed potius fiduciae. Fiducia vero haec, ut spes remissionis non tam obtentae quam *obtinendae*, ad fidem adiungi debet, veluti una ex dispositionibus ad justificationem requisitis.

723. De hac fide ad justificationem necessaria haec ulterius advertas: 1.° Non sufficit fides *late* dicta, quae innititur testimonio creaturarum, ut patet ex prop. 23 ab Innocentio XI damnata: « Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit; » et ex conc. Vatic. docente, fidem justificantem eam esse, qua a Deo « revelata vera esse

credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter *auctoritatem* ipsius Dei *revelantis*, qui nec falli nec fallere potest » (1).

2.° Haec fides necessaria est ad justificationem tum necessitate praecepti tum necessitate medii (n. 32). Hoc probant testimonia supra allata (n. 721) et insuper inculcat conc. Vatic. l. c.: « Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum ejus consortium pervenire, ideo nemini unquam sine illa contingit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. »

3.° Hujusmodi fides implicite sese extendere debet ad Evangelium, *qua late patet*, (n. 31), ad omnia quaecumque Christus revelavit; explicite vero complecti debet veritates *Dei existentis et Dei remuneratoris* (n. 32).

CAPUT III.

De proprietatibus justificationis.

724. Justificationis proprietates sunt tres: *incertitudo, inaequalitas, amissibilitas*, quae respondent totidem proprietatibus oppositis, quas Protestantes justificationi vindicant. Hujusmodi proprietates cum justificationis consequantur naturam, ex hac jam demonstrata facile deducuntur.

725. Prop. 108. **Nemo absque speciali revelatione certus esse potest certitudine fidei de sua justificatione.**

Declar. Est contra Protestantes asserentes id posse justos et id debere ut justi sint, et quidem *de fide* ex conc. Tridentino (sess. 6. cap. 9): « Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet; sic quilibet, dum seipsum, suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest;

---

(1) Const. *Dei Filius* c. 3.

cum nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se Dei gratiam esse consecutum » (cf. can. 13. et 14).

Sermo est de *infallibili* certitudine; *moralis* enim vel *coniecturalis* minime excluditur, quae inde exurgit « in quantum, ait s. Thomas, percipit (aliquis) se delectari in Deo et contemnere res mundanas, et in quantum homo non est sibi conscius alicuius peccati mortalis » (1).

726. Demonstr. (Prov. 20, 9): *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* (Cf. Eccl. 9, 1); et (1. Cor. 4, 4): *Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum.* — Augustinus: « Fortasse tu nihil invenis in conscientia tua, invenit ille, qui melius videt » (2) — Justificatio pendet etiam a dispositionibus, de quarum existentia et qualitate nunquam certo constare potest.

727. Prop. 109. **Accepta justitia non est in omnibus aequalis, neque semper aequalis manet in eodem justo, cum coram Deo per bona opera augeatur.**

Est contra Protestantes docentes justitiam Christi, si nobis applicatur, esse in omnibus aequalem, et opera sive bona sive mala nihil conferre ad justificationem, et quidem *de fide* ex conc. Tridentino (sess. 6. can. 24): « Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed opera ipsa fructus solummodo et signa justificationis adeptae, non autem ipsius augendi causam, a. s. »

Demonstr. i. p. (Luc. 7, 47): *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* — Augustinus: « Induti sunt sancti justitia, alius magis, alius minus » (3). — Rationem assignat conc. Trident. cap. 7. docens, unumquemque recipere justitiam suam « secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, *prout vult*, et secundum propriam cujusque *dispositionem* et *cooperationem* ».

728. Demonstr. ii. p. (Prov. 4, 18): *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem.* (Apoc. 22, 11): *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctifice-*

---

(1) 1. 2. q. 112. a. 5. — (2) Serm. 23 *de Verb. Dom.* n. 14. — (3) In Ep. 29 *ad Hier.* n. 13.

tur adhuc. (2. Cor. 9, 10): *Deus augebit incrementa frugum justitiae vestrae* — Augustinus: « Justificati sumus; sed ipsa justitia, cum proficimus, crescit ». (1) — Justitia crescit coram Deo, adeoque in eodem justo potest esse inaequalis, si justificatus meretur bonis operibus augmentum gloriae et gratiae. Atqui meretur, ut patebit ex infra dicendis de merito; ergo.

729. Prop. 110. **Gratia amitti potest, et per quodvis peccatum mortale subsequens revera amittitur.**

Est *de fide* ex Trident. can. 23 contra Calvinum: « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum, qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum, a. s. »; et ex can. 27 contra Lutherum: « Si quis dixerit nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, praeterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti: a. s. ».

Demonstr. (Prov. 33, 12): *Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccavit.* (1. Cor. 10, 12): *Qui se existimat stare, videat, ne cadat;* (Jo. 15, 6): *Qui in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum et in ignem mittent et ardet.* Confirmatur exemplo angelorum malorum, Adami, Saulis, Davidis, Salomonis, Petri, Judae etc. — Augustinus l. *De corr. et grat.*, praesertim c. 6 et sq., totus in eo est ut probet, hominem « si jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, esse corripiendum: quia acceptam gratiam suo in malum libero amisit arbitrio. » — Ipse Grotius fatetur, christiani esse ea dogmata abhorrere, quae pietati noceant; quale illud est a nonnullis defensum: pecca fortiter, sed crede fortius, et nihil nocebunt tibi centum homicidia et mille stupra (2).

730. **Corollarium.** *Una cum gratia amittuntur reliqua dona infusa, non tamen fides et spes, quae nonnisi per actus ipsis directe oppositos amittuntur.* Sane virtutes et dona se habent ut *fructus* gratiae sanctificantis (Gal. 5, 22), ut vires et potentiae ex gratia tanquam ex nova *natura* et *vita* promanantes. Atqui fructus cum arbore perduntur, vires cum vita amittuntur: ergo.

(1) *De Verb. Apost.* c. 5. — (2) *In Discussione apologiae Riveti* p. 217.

Excipitur autem *fides* et *spes*. Quoad fidem id expresse definitum est a Trident. can. 28: « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul et fidem semper amitti; aut fidem, quae remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine caritate habet, non esse christianum, a. s. » Idem valere et de *spe* communiter docent theologi.

Nihilominus etiam *fides* et *spes* amitti possunt per peccata opposita, infidelitatis nempe et desperationis; ut patet ex Scriptura (1. Tim. 1, 5; 4, 1; 2. Tim. 2, 17); ex natura rei, cum omnis virtus libera sit, et ex experientia.

731. Scholion. De quaestione: *an gratia habitualis imminui possit peccato veniali*, idem tenendum est, quod s. Thomas docet de caritate habituali, ubi scribit quod « caritas nullo modo diminui possit, directe loquendo. Potest tamen *indirecte* dici *diminutio caritatis* dispositio ad corruptionem ipsius (caritatis), quae fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum caritatis » (1).

Sectio III.

DE MERITO.

732. Gratiae sanctificantis duo sunt effectus: alter in genere causae formalis, nempe justificatio, de qua hucusque egimus; alter in genere causae efficientis, nempe meritum bonorum operum, de quo nunc agemus. Protestantes ex sua doctrina, quod homo sub externo cortice justitiae corruptus maneat, concludunt, ipsum non posse quidquam boni de sua corruptione producere. Quod si nihilominus opera bona facit, haec ad summum non sunt nisi signa inhabitantis justitiae alienae.

Ecclesia vero catholica ex opposito principio de interna hominis per gratiam renovatione infert, arborem bonam posse etiam bonos fructus ferre. Hanc doctrinam proponemus duobus capitibus: 1.° de meriti praenotionibus, 2.° de veritate et obiecto meriti.

---

(1) 2. 2. q. 24. a. 10.

CAPUT I.

Praenotiones de merito.

733. Ad praenotiones spectat 1.° definitio et divisio meriti, 2.° explicatio conditionum ad meritum.

ARTICULUS I.

De definitione et divisione meriti.

734. Meritum generatim definitur in *concreto:* « Opus bonum factum in obsequium alterius aptum ad obtinendam ab eo aliquam remunerationem; » in *abstracto:* « Valor operis movens ad retributionem. » Differt meritum a *satisfactione,* quia illud respicit *mercedem;* haec iniuriae *compensationem.* Differt ab *impetratione*, quia illud movet propter intrinsecum valorem operis; haec per modum submissae petitionis. Ceterum omni operi triplex simul inest ratio: meriti seu remunerationis, satisfactionis et impetrationis.

735. Generalis haec ratio meriti communis est merito *apud homines* et *apud Deum.* Meritum *apud Deum* aliud est *naturae,* aliud *personae.* Nomine meriti naturae intelligitur illa conditio et indoles creaturae, vi cujus certa perfectio ei debetur, ne manca remaneat; sic e. g. naturae humanae aliqua cognitio veritatis debita est. Meritum personae vero est illud, quod ex bono opere resultat. Propria dicta ratio meriti igitur nonnisi in personis reperitur.

Meritum personae ulterius distinguitur in meritum *naturale* et *supernaturale,* prout opus ex solis viribus naturae vel ex gratia procedit. In merito supernaturali praecipuum locum tenet illud, quod dici potest meritum *excellentiae* vel melius *essentiale,* quodque solius Christi est proprium, in gratia unionis hypostaticae fundatum. Derivatur inde meritum illud, quod vocant *participatum,* quia ex participatione meritorum Christi inest operibus nostris.

736. Hoc meritum, de quo unice est sermo, subdistinguitur in meritum *de condigno* et *de congruo.* Vocatur de condigno illud, quod eum habet valorem eamque aequalitatem cum praemio, ut hoc ei debeatur ex justitia saltem supposita promissione praemiantis. Haec vero aequalitas non est *absoluta,* ut aequalitas pretii cum re emenda in contractibus (quo sensu negavit Paulus *condignas* esse *passiones hujus temporis ad futuram gloriam*), sed est aequalitas *virtutis* et proportionis, sicuti est inter semen et fructum, qui ex semine nascitur. — De congruo vocatur illud, cui deest aequalitas cum praemio, vel saltem, cui defectu promissionis non debetur praemium aliquo modo ex justitia, sed convenit tantum ex decentia et liberalitate praemiantis. Sic operarius de condigno meretur mercedem, miles stipendium, si officio suo rite funguntur. Si vero rex militi strenue dimicanti gradum ducis conferat, id congruum quidem erit, sed non debitum.

737. Distinguunt aliqui meritum de congruo *infallibile,* i. e. habens infallibilem retributionem, vi promissionis divinae de ea factae; et *fallibile,* i. e. non habens infallibilem retributionem, eo quod nulla de illa facta sit a Deo promissio, quodque vix differt ab impetratione. Exemplum primi habetur in contritione caritate perfecta, tanquam in *ultima* dispositione ad gratiam sanctificantem, quam peccator infallibiliter meretur; non tamen de condigno, siquidem deest status gratiae; ergo de *congruo*: exemplum vero secundi in dispositionibus *remotis* ad justificationem.

ARTICULUS II.

De conditionibus meriti.

738. Meriti conditiones expendentes, notabimus et quae ad omne meritum, et quae ad meritum de condigno, et quae ad meritum de congruo requiruntur.

A) Conditiones generales ad omne meritum sunt sequentes:

1.° *Status viae:* (Eccli. 14, 17): *Ante obitum tuum operare justitiam;* (ib. 18, 19): *Ante judicium para justitiam tibi;* (Jo. 19, 4): *Venit nox quando nemo potest operari;* (Gal. 6, 10): *Dum tempus habemus operemur bonum.* — Hieronymus: « Tempus sementis est praesens vita, cum transierit, operandi tempus

aufertur » (1). — Ratio a priori est voluntas Dei, qui hanc mortalem vitam constituit ad tendendum in beatitudinem (2).

2.° Ut actus sit liber non solum a *coactione* sed etiam a necessitate, ut constat ex damn. Iansenii prop. 3.ª *Ad merendum* etc.

3.° Ut actus sit *honestus in individuo* i. e. quoad obiectum, finem saltem *primarium* et circumstantias, saltem eas, quae actui ipsi intrinsecae sunt, iuxta axioma: Bonum ex integra causa. Ratio est quia opus malum non est praemio dignum, sed poena; et opus indifferens, si daretur, non esset magis dignum praemio quam poena, nullamque haberet rationem obsequii. — Advertendum etiam est, meritum radicaliter residere in *actu interno*, a quo in actum externum derivatur, sicut viceversa actus externus in internum redundat, eumque intensiorem reddit. Ceterum disputant theologi, utrum actus externus formaliter et ratione sui meritum augeat, nec ne.

4.° Ut actus sit *supernaturalis* tum ratione principii (ex gratia) tum ratione finis seu motivi (ex fide). Actus enim meritorius est medium ad praemium supernaturale; debet ergo esse ejusdem ordinis cum illo. Confirmatur ex eo, quod actus meritorius est certe *salutaris*, ad quem requiritur gratia supernaturalis. Porro advertas, rationem meriti in valore boni operis ejusque proportione ad praemium consistere. Ejusmodi valor autem et proportio non in indivisibili consistit, sed multos gradus admittit. Quamvis stricte illud tantum opus, quod cum praemio aequalitatem habet, retributionem talis praemii immediate exigere possit; nihilominus etiam opera, quae talem valorem nondum habent, ad praemium saltem disponere ejusque retributionem veluti remote et de congruo postulare possunt. Praemium enim se habet ut fructus, bonum opus ut arbor. Fructus autem proxime quidem in arbore virente et florente, remote jam in semine et radice praecontinetur. A pari, actus per gratiam elevantem dignificatus prima radix est vitae aeternae, ad quam connaturali sua destinatione et evolutione excrescere debet. Hinc vides,

---

(1) *In c. 6. 1. ad Cor.*

(2) Hinc beati nil de novo merentur. Quare cum beneficia nobis impetrant, Deus non movetur eorum precibus, tamquam meritis aliqua ratione exigentibus praemium suo valori proportionatum, sed tamquam petitionibus personarum sibi amicarum et dignarum quae impetrent ob antiqua merita.

omnem actum *supernaturalem* aliquo modo *salutarem* et *meritorium* esse, ita ut realiter isti conceptus identificentur (1).

739. *B) Conditiones ad meritum de condigno*, praeter recensitas, sunt sequentes:

1.° *Status gratiae*. Id constat ex Christo docente, neminem, posse fructus facere nisi manserit in eo (Jo. 15, 4), ex Tridentino, quod, ubi de vero i. e. condigno merito loquitur, semper justificatos aut supponit aut expresse nominat (sess. 6. cap. 16. can. 32), ex damnatis quibusdam ad rem propositionibus Bajanis, et ex eo, quod in operante peccatore nulla est dignitas proportionalis ad futuram gloriam.

2.° *Promissio divina*. Opera bona hominis justi per se digna sunt et proportionem habent cum vita aeterna, quia procedunt ex gratia, quae est semen gloriae. Nihilominus Deus non tenetur ex justitia dare illis talem gloriae mercedem, secluso pacto et promissione. Potest enim v. g. fieri, ut quis integro die laboret in alterius vinea, et labor ipsius dignus sit stipendio diurno; et tamen alter ex justitia non teneatur illi stipendium persolvere, nisi cum eo pactus sit. Eodem modo dici potest, justi opera, seclusa promissione, esse digna vitâ aeternâ, non dignitate justitiae, sed proportionis medii ad finem; at, posita promissione, mereri vitam aeternam ex justitia. Hoc sensu ait Augustinus: « Debitor factus est Deus, non aliquid a nobis accipiendo, sed quod placuit promittendo » (2). Id colligitur ex Scriptura vitam aeternam divinae promissioni tribuente, (Jac. 1, 12; Hebr. 6, 12; 10, 36.) et ex Tridentino l. c. vitam aeternam appellante mercedem « ex ipsius Dei promissione bonis operibus et meritis fideliter reddendam. »

3.° Ut quis *sibi*, non alteri mereatur. Ratio est, quia Deus non ordinavit nec proposuit alicui, ut praemium, gratiam aut gloriam alterius, sed tantum propriam. *Omnes nos*, ait Apostolus, *manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum* (2, Cor. 5, 10).

Non vero requiritur juxta plures theologos ut actus ex *caritate* procedat, cum conc. Tridentinum *omnibus* bonis operibus

---

(1) Egger n. 409. — (2) Serm. 158 (al. 16). *De Verbis Apost.* c. 2.

justorum meriti praerogativam vindicet, sed sufficit ut opus sit justi et ex Deo seu ex gratia profectum (1).

Neque requiritur, ut actus sit non *praeceptus* seu supererogatorius, cum evidenter constet ex divinis literis, patribus et conc. Trid. sess. 6. c. 14, iustos etiam per praeceptorum observationem mereri. Imo juxta Suaresium opus praeceptum ceteris paribus magis est meritorium propter virtutem etiam obedientiae.

740. *C) Ad meritum de congruo requiruntur conditiones* sub littera *A)* non vero sub littera *B)* enumeratae.

741. **Corollarium.** Cum meritum pendeat ab his conditionibus, quo magis hae crescunt, eo magis crescit et ipsum. Crescit ergo meritum: *a)* ex dignitate personae; eo carius enim obsequium esse solet, quo carior et dignior persona, quae illud praestat; carior vero est, quo est maior gratia, qua movetur et informatur. Unde maius in eodem opere est meritum justi, quam peccatoris, magis justi prae minus justo, et infinitum est meritum personae infinite dignae Christi. — *b)* Ex bonitate specifica operis. Unde magis meritorii sunt actus virtutum theologicarum, quam moralium. — *c)* Ex quantitate tum absoluta tum relativa operis, tum ex intensitate et duratione eiusdem. — *d)* Ex difficultate, dummodo illa ex parte operis, non ex debilitate et pigritia operantis oriatur. — *e)* Maxime ex motivis, inter quae principem locum obtinet caritas, ita ut homo qui aliquod opus ex magna caritate facit, saepe magis mereatur, quam alius, qui opus ex se maius et dignius, sed cum minori caritate peragit.

CAPUT II.

De veritate et obiecto meriti.

742. Duobus articulis exponemus: 1.° veritatem et obiectum meriti de condigno, 2.° veritatem et obiectum illius de congruo.

(1) Cf. de hac quaestione Gury — Ballerini *Comp. Theol. Mor.* l. 1. n. 31.

ARTICULUS I.

De veritate et obiecto meriti de condigno.

743. Prop. 111. **Justi per bona opera ex gratia facta vere et proprie apud Deum merentur augmentum gratiae sanctificantis, vitam aeternam et gloriae augmentum; et haec omnia quidem de condigno.**

Prima pars prop. continet existentiam et obiectum meriti, et est *de fide* ex conc. Tridentino (sess. 6. can. 32): « Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum, bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et J. C. meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmentum, a. s. »

Demonstr. i. p. Merentur *a) vitam aeternam;* (2. Tim. 4, 7): *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* (1. Cor. 9, 24): *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* (Matth. 5): *Merces vestra copiosa est in coelis.* Atqui judicium, bravium, merces, corona etc. sunt correlata ad verum meritum: ergo. — *b) Augmentum gloriae;* (Matth. 16, 27): *Et tunc reddet unicuique secundum opera ejus;* (ib. 10, 41): *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae mercedem Prophetae accipiet; qui recipit justum nomine justi, mercedem justi accipiet; et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae.... non perdet mercedem suam.* (2. Cor. 9, 6): *Qui parce seminat, parce et metet, et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet.* (1. Cor. 3, 8): *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Conc. Florentinum docet beatos Deum intueri « pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius. » — *c) Gratiae augmentum;* (Prov. 4, 18): *Justorum semita, quas lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem.* (Eccli. 18, 22): *Ne verearis usque ad mortem*

justificari. (Eph. 4,15): *Veritatem facientes in caritate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* (Rom. 6,19): *Exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem,* et (v. 22): *Liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam aeternam.* — Augustinus: « Caritas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici » (1).

744. Demonstr. ii. p. Dogma fidei est justos mereri, et meriti obiectum esse gratiam, vitam aeternam, et augmentum gloriae. Quaeritur nunc de *qualitate* hujus meriti. Affirmamus esse de *condigno* et haec est sententia theologice certa. Nomine enim *veri* meriti, quo utitur Tridentinum, quoad triplex illud obiectum, venit semper meritum de *condigno* non de congruo. Et sane illi operi competit ratio meriti *condigni,* cui tribuitur praemium ut *merces,* ex *justitia,* in *judicio,* a *judice,* servata justitiae forma i. e. secundum *proportionem* operis. Atqui de vita aeterna ejusque augmento haec ex allatis argumentis constant: ergo. De augmento vero gratiae ita idem probat s. Thomas: « Illud cadit sub merito de condigno, ad quod motio gratiae se extendit. Motio autem alicujus moventis non solum se extendit ad ultimum terminum motus, sed etiam ad totum progressum in motu. Terminus autem motus gratiae est vita aeterna. Progressus autem in hoc motu est secundum augmentum caritatis vel gratiae, secundum illud (Prov. 4, 18): *Justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem,* qui est dies gloriae. Sic igitur augmentum gratiae cadit sub merito condigni (2). »

Praeter haec nihil est, quod homo mereatur de condigno.

ARTICULUS II.

De veritate et obiecto meriti de congruo.

745. 1. Nullus homo potest sive de condigno sive de congruo mereri *primam gratiam actualem.* Patet ex gratuitate gratiae, unde illud: *principium meriti non cadit sub merito.*

746. 2. Potest peccator, adiuvante gratia, mereri de congruo

---

(1) *Tract. 5. in Epist. Jo.* — (2) 1. 2. q. 114. a. 8.

justificationem. Poenitentiae actus, non quidem ex dignitate operantis, attamen ex semetipsis, utpote supernaturali gratia factis, aliquam causalitatem et proportionem habent ad justificationem. Imo hanc certo mereri potest de congruo *infallibili* per actum contritionis perfectae.

Dices: Peccator gratis justificatur; ergo justificationem mereri non potest. — *Resp. Dist.* non potest eam mereri de condigno *conc.*, de congruo *subdist.* de congruo quod in aliqua priori gratia non sit fundatum *conc.*, quod in aliqua priori gratia sit fundatum *neg.*

747. 3. Justus de congruo *fallibili* mereri *sibi* potest *reparationem post lapsum, gratias actuales uberiores, perseverantiam finalem, aliis autem quidquid sibi mereri potest,* imo et *primam gratiam,* quam sibi mereri non potest.

Est sententia communior. Ratio cur illa bona *sibi* possit mereri est, quia opera supernaturaliter bona habent de se aliquam proportionem ad haec praemia, quae ideo expectari possunt a benigna Dei aequitate et liberalitate. Deinde illa potest justus impetrare; ergo et mereri de congruo fallibili. — Ratio cur possit illa bona *aliis* mereri fere tota fundatur in lege amicitiae inter Deum et justos intercedentes. Advertendum autem est, ut quis alteri mereatur, requiri *specialem ad id oblationem,* quia opus bonum per se cedit in utilitatem non alterius sed ipsius operantis. Item advertas, quod meritum de congruo pro aliis nulla ex parte minuit praemium de condigno debitum justo propter eadem opera. Etiam inter homines videmus, quod licet miles laboris sui condignum stipendium integrum a principe recipiat, censetur retributionem aliquam saltem de congruo etiam filiis mereri.

748. *Nota. Oratio,* praeter meritum sibi, qua operi, insitum, cui applicanda est enarrata doctrina, habet praeterea propriam et peculiarem aptitudinem ad *impetrandum.* Ea tota innititur bonitate Dei, cui consentaneum est moveri ad dandum, solum quia rogatur; et praeterea habet peculiarem Dei promissionem, ratione cujus est sub aliquibus conditionibus *certa* et *infallibilis,* et quidem probabiliter etiamsi pro aliis fiat. Promissio enim est generalis.

749. Scholion I. Est communis sententia admissa ab omnibus theologis, opera meritoria justorum per subsequens peccatum

non destrui, sed *mortificari* tantum, et remisso peccato *revivi-scere.* Hoc innuit Scriptura, dum toties protestatur, Deum homini poenitenti peccata plenissime indulgere, ac amissa bona restituere (parabola de filio prodigo); innuit conc. Trid. (sess. 6. c. 16), dum ad meritum exigit tantum, ut opus sit bonum, factum per gratiam et a vivo membro Christi et ut justus in gratia decedat, non autem ut in gratia *sine interruptione* perseveret; docent Patres diserte et s. Thomas 3. q. 89. a. 5 (1).

750. Scholion II. Novatores contendunt licitum non esse bonum agere intuitu mercedis aeternae. Hunc errorem conc. Trident. damnavit (sess. 6. can. 31): « Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, a. s. » Scriptura passim mercedem proponit ad nos inducendum ad bona opera facienda. (Luc. 6): *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula;* (Col. 3, 23): *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus; scientes quod a Domino accipietis retributionem haereditatis.* De Moyse testatur Apostolus (Hebr. 11, 26): *Aspiciebat enim in retributionem*; David de se ipso (Ps. 118, 112): *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem* — Augustinus: « Quando facis bonum opus, propter vitam aeternam fac.... Noli facere nisi propter vitam aeternam (excludendo bona temporalia). Ideo fac, et securus facies; hoc enim mandavit Deus » (2).

Ex his refellitur etiam error Quietistarum, qui duce Michaele de Molinos, docent intuitu mercedis operari esse saltem imperfectum; hominem internum seu perfectum per unum actum se Deo semel pro semper resignare debere, postea vero nec petere, nec gratias agere, nec tentationibus resistere, sed omnes actus suspendere ac mere passive se habere, etiam circa beatitudinem et damnationem. Etenim *a)* falsum est, quempiam per

(1) Quod si Patres subinde de *reditu* loquuntur *peccatorum,* de eo intelligi debent, quem s. Thomas p. 3. q. 88. a. 1. vocat reditum *secundum quid:* quatenus scilicet peccatum subsequens eo maiorem malitiae et ingratitudinis prae se fert rationem, quo saepius iam Deus peccatori remiserit peccata; ratione cuius maioris ingratitudinis solet Deus subinde gravius punire peccatum subsequens ac illud punisset, si nulla praecessisset iam peccatorum remissio.

(2) *In Ps.* 120.

unum actum oblationis esse perfectum; christiana enim perfectio, quae in perfectione divini amoris consistit, non sine magno et diuturno labore, continua et constanti amoris proprii inordinati ac pravarum cupiditatum mortificatione, et sui abnegatione, nec non frequenti et constanti virtutum omnium exercitio comparatur. *b)* Non licet reliquos actus suspendere, nam omnes tenentur saepissime toto vitae suae curriculo actus virtutum elicere et praecepta servare. Neque *c)* licet mere passive in omnibus se habere, nam omnes tenemur inordinatos concupiscentiae motus, praesertim luxuriam incitantes, reprimere et pravas cupiditates coercere. Denique *d)* nullus adultus sine propria cooperatione et exercitio bonorum operum salvatur. Quae omnia *e)* damnatione confirmantur propositionum de Molinos facta per Innoc. XI.

TRACTATUS VI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

751. Gratia sanctificans Christi meritis parta ordinarie non immediate, sed per instrumenta quaedam ac velut canales nobis applicatur, qui vocantur *sacramenta;* per haec enim, ut ait Trident. (proem. sess 7), « omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. » Sacramenta iuxta Patres et theologos sunt: *Dominicae incarnationis reliquiae, adumbrationes et vasa,* quibus Christi sanguis et merita continentur: *medicamenta sauciatae naturae humanae, fontes aquarum salientium in vitam aeternam,* per quos lapsi homines eriguntur, curantur et ad beatitudinem perducuntur; *septem columnae,* quibus Ecclesia innititur; *fundamenta vitae christianae,* quibus varii status et stadia huius vitae ad altiorem elevantur ordinem gratiaque sanctificantur. Hinc huius tractationis dignitas, utilitas et necessitas.

752. Antequam de singulis agamus sacramentis, ea praemittimus quae omnibus sacramentis sunt communia; quapropter hic tractatus inscribitur *de sacramentis in genere.* Ea autem quae ad omnia sacramenta pertinent, ad tria capita reducuntur: 1.° de essentia et existentia sacramentorum, 2.° de eorundem causa efficiente, 3.° de eorum efficacia.

753. *Nota.* Res sacramentaria, universim spectata, pertinet partim ad Jus Canonicum, partim ad theologiam Moralem, ad Pastoralem, ad Liturgicam; partim demum ad Dogmaticam: et sub hoc postremo respectu tantum a nobis est evolvenda.

CAPUT I.

De essentia et existentia sacramentorum.

754. In hoc capite quaeritur quid sint, an et quot sint sacramenta, quaenam eorum intrinseca constitutiva; unde tres articuli: 1.° de notione sacramenti; 2.° de existentia et numero; 3.° de materia et forma sacramentorum.

ARTICULUS I.

De notione sacramenti.

755. *Sacramentum* ex sua etymologia significat rem *sacram* i. e. a communi usu separatam, et Deo ejusque cultui deputatam; et hanc genericam significationem tam in profano quam in ecclesiastico usu retinuit. Apud profanos enim scriptores designabat *pecuniam* a litigantibus depositam in manu pontificis, vel *jusjurandum,* quo per aliquod sacrum i. e. numinis invocationem milites sese ad obediendum obstringebant. Penes scriptores vero ecclesiasticos sacramentum idem sonat ac graece *μυστήριον,* et sumitur:

1.° *Generali significatione,* et quidem dupliciter *a)* pro re sacra occulta et latente; sic obiecta fidei et religionis christianae, tum quatenus sola revelatione divina innotescunt fidelibus, tum etiam quatenus occultantur non initiatis, sacramenta appellantur, et hoc sensu Paulus (Eph. 1, 9) dicit: *Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae.* — *b)* Pro signo (1), symbolo,

(1) Signum est omne id, quod cognitum, deducit nos in cognitionem alterius. Dividitur *a)* in *sensibile,* ut signum crucis; et *spirituale,* ut character sacramentalis. — *b)* In *naturale,* quod aliquid ex natura sua significat, ut fumus, qui naturaliter indicat ignem, et *arbitrarium,* ut hedera pensilis vinum venale significat. — *c)* In *rememorativum, demonstrativum, prognosticum:* prout indicat rem praeteritam, praesentem vel futuram. — *d)* In *symbolicum,* quod cum re significata analogiam aut similitudinem habet; et *purum,* quod simi-

typo rei sacrae, ut (Eph. 5, 32): *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia.*

2.° *Strictiori sensu* pro signo alicuius sanctitatis practico, qua acceptione usurpatur in hoc tractatu.

Verum cum haec definitio abstrahat a significatione gratiae praesentis vel futurae, a sanctificatione theologica vel legali, ea sacramentis tum veteris tum novae legis communis est. Nam etiam in V. T. dari sensu stricto sacramenta, negari non potest; ea vero in specie etiam differre a sacramentis N. L. ex conc. Florentino deducitur. Distinguenda porro est duplex sanctitas: interna altera et vera, quae eadem est ac gratia sanctificans; externa altera et legalis, quae consistit in passiva quadam consecratione et deputatione ad cultum divinum, in aggregatione ad populum Dei, et in externa quadam corporis munditia. Sacramenta V. L. sanctitatem internam non conferebant, sed legalem tantum (cf. Exod. 28 et Lev. 8), illam tamen significabant non quidem immediate, sed mediante sanctitate legali. Haec enim erat figura verae sanctitatis, ac proinde sacramenta V. L. immediate significando et efficiendo sanctitatem legalem, mediate etiam significabant sanctitatem gratiae, quam tamen non conferebant, dum nostra sacramenta immediate gratiam significant et conferunt. Unde sacramenta V. L. triplex habebant officium. Primum erat immediate significare sanctitatem legalem: alterum eandem immediate efficere; tertium illa legali mediante significare sanctitatem gratiae. Exinde specifica exurgit sacramentorum veteris et novae legis definitio; ad hoc enim sufficit, ut genericae definitioni jam traditae quod utriusque oeconomiae proprium est, addatur. Sacramentum itaque V. L. erat: *ritus sensibilis divinitus institutus ad significandam et efficiendam sanctitatem legalem et per hanc ad significandam gratiam dandam in nova lege.* Sacramentum vero novae legis est: *signum sensibile permanenter a Deo institutum, vim habens significandi et efficiendi veram sanctitatem seu gratiam habitualem;* seu brevius: *Signum sensibile practicum gratiae.* Haec definitio utpote quae nostra respicit sacramenta paulo fusius est explicanda. Dicitur itaque:

---

litudine destitutum est. — *e*) In *speculativum*, quod rem nude significat; et *practicum*, quod rem non tantum significat sed etiam causat.

1.° *Signum;* nam omne sacramentum in cognitionem rei sacrae, quam significat, ducit; et quamvis omnibus sacramentis commune sit conferre aliquam gratiam, sacramentum tamen rectius ponitur in genere signi, quam causae, quia tam antiqua quam nova eandem gratiam significant, non vero eandem efficiunt. Hoc porro signum est *a) sacrum,* tum ex parte rei significantis, quatenus est res sive caeremonia sacra, ad cultum Dei ordinata, in loco sacro perficienda et a persona sacra; tum ex parte rei significatae, quae est gratia; *b) gratiae sanctificantis demonstrativum,* quam principaliter significat, secundario vero etiam *commemorativum* passionis Christi, quae est causa justificationis nostrae, et *prognosticum* gloriae futurae, quae ejusdem justificationis finis est; *c) arbitrarium*, quia quod sacramentum gratiam significet, praesertim modo sacramentali et practico, id nonnisi ex institutione divina habet; at simul de signis naturalibus participat, eo quod signum cum re significata quandam analogiam et similitudinem habet, unde signum *symbolicum* dici potest. Aliquid simile in vocabulis, quae onomatopoëtica audiunt, accidit.

2.° *Sensibile* h. e. aliquo sensu perceptibile, ut est ablutio, unctio, certa verborum formula. Deus quippe convenientissime statuit, ut sacramenta essent signa accomodata conditioni hominum, qui rebus sensibilibus ad spiritualium notitiam deduci solent. Praeterea cum sacramenta sint vincula quaedam, quibus fideles in unam Ecclesiam visibilem colliguntur, debuerunt esse sensibilia, iuxta illud Augustini: « In nullum nomen religionis, sive verum sive falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligentur » (1).

3.° *Permanenter*, quia sacramenta sunt media ordinaria salutis, et praecipuae caerimoniae, quibus fideles in unam uniuntur religionem, et ab aliis distinguuntur, atque adeo tamdiu durare debent, quamdiu perseverat illa religio, propter quam instituta sunt.

4.° *A Deo institutum,* quia nulla res sensibilis, quamquam aliquam cum gratia habet similitudinem, est eiusdem signum

---

(1) *Contra Faustum* l. 19. c. 11.

simpliciter naturale, unde ut gratiam significet et efficiat, non nisi ex institutione habet illius, qui, sicut est fons et auctor gratiae, ita est ejusdem dispensandae arbiter.

5.° *Vim habens significandae et efficiendae sanctitatis*, nam omnia sacramenta ad significandam gratiam ordinata fuerunt, et ad eam conferendam.

Ex instituta analysi sequitur, elementa sacramenti constitutiva esse: signum sensibile, Dei institutionem permanentem, gratiae significationem et collationem.

756. **Corollarium.** Ex dictis facile cernitur, e censu sacramenti excludenda esse manna deserti, serpentem aeneum, transitum per mare rubrum, aquam de petra manantem, etc.; quia, licet haec rem aliquam sacram praefigurarent, non erant tamen caerimoniae sacrae, vel quid stabile a tota religiosa societate frequentandum. Pariter excluditur martyrium, lotio pedum in coena Domini, sacramentalia, prima tonsura, professio religiosa etc., quia haec non sunt signa efficacia gratiae. Excluditur item sacrificium, utpote quod ordinatum ad cultum ipsi Deo exhibendum: sacramentum autem ad hominum sanctificationem. Nihil tamen obstat, quominus idem, sub diversa ratione, et sacramentum sit et sacrificium.

757. Scholion. *Sacramentalia* dicuntur res aut actiones ab Ecclesia institutae aut adhibitae, ad quosdam effectus praesertim spirituales producendos, et reducuntur ad tria genera: *exorcismos*, *benedictiones* et *consecrationes*. Vocantur *sacramentalia*, quia aliquam cum sacramentis similitudinem habent: sunt enim res sensibiles et sacrae, ad hominum sanctificationem institutae. Differunt vero a sacramentis in eo praesertim, quod a Christo instituta non sunt, neque gratiam ex se, seu ex opere operato producunt. Quoad horum efficaciam, certum est, 1.° fideles praesertim justos talium usu gratiam mereri vel impetrare posse *ex opere operantis;* 2.° *specialem* aliquam virtutem spiritualem illis esse adscribendam, alioquin omnia fidelium opera bona essent sacramentalia. Haec specialis virtus, quae tamen non est infallibilis, dirigitur maxime (non unice), uti apparet ex ipso Ecclesiae usu et orationibus, adversus *potestatem*, *incursus* et *impugnationes* daemonum, qui circumeunt quaerentes quem devorent, nititurque virtute et dignitate Ecclesiae illa instituentis.

ARTICULUS II.

De sacramentorum existentia.

758. Existentia sacramentorum a libera Dei pendet voluntate; potuisset enim absolute alio modo quam per sacramenta homines sanctificare, quamquam, ut per haec media hoc fieret, congruum fuit (1). Haec tamen ad hunc finem semel istitutas, necessaria sunt ad hominum salutem, non tamen eodem modo, ut de singulis suo loco patebit.

In quaestione de existentia sacramentorum distinguendi sunt varii hominum status; scilicet *innocentiae, patriarchalis* seu *legis naturae, legis mosaicae,* et *christianae.*

759. Utrum in brevissima illa innocentiae periodo fuerint sacramenta, definiri non potest, et si quando Augustinus eorum mentionem facit, haec vox late accipitur pro re arcana.

760. In periodo patriarchali, quae etiam legis naturae dicitur non quidem ad exclusionem *gratiae,* sed ad exclusionem legis *positivae* mosaicae (2), quaeque pro Israelitis usque ad legem scriptam, per Moysen datam, perduravit (intervallum enim temporis, quod a praecepto circumcisionis facto Abrahae usque a Moysen fluxit, veluti praeparatio ad legem mosaicam considerari potest); pro aliis nationibus, quae ea lege non tenebantur, perseveravit usque ad Christum, imo usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, fuisse aliquod remedium ad delendum in infantibus pecca-

---

(1) Cf. s. Thomam 3. p. q. 61. a. 1. S. Bonavetura has adfert convenientiae rationes: « Expediens fuit (institutio sacramentorum) a parte aegroti: quia erat coecus quoad rationem, ideo data sunt ei sacramenta visibilia ad eruditionem; erat elatus quoad irascibilem, ideo data sunt ei sacramenta corporalia ad sui humiliationem; erat fastidiosus quoad concupiscibilem, ut non saperent ei spiritualia, ideo sacramenta sunt ei data ad exercitationem, ne forte in unius solius perceptione vel in spiritualium tantum contemplatione sibi posset fastidium generari et taedium. » *In 4. D. 1. P. I. a. 1. q. 1.*

(2) Post Adae lapsum ipsa divina promissione Christi Redemptoris futuri constitutus est ordo reparationis, et in hoc ordine Ecclesia universalis seu populus Dei sub capite Christo. Quicumque in Christum venturum fidem profitebatur, huic populo Dei aggregabatur. Quoad oeconomiam itaque gratiae supernaturalis, Ecclesia seu populus Dei erat universalis; electio populi Israel in *peculiarem* populum Dei respiciebat temporales promissiones. Cf. Card. Franzelin th. III.

tum originale theologi unanimi consensu colligunt ex voluntatis Dei salvificae *universalitate.* « Nec credendum est, inquit Augustinus, et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento ejus opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa, Scriptura latere voluerit » (1). In quo proprie situm fuerit hoc remedium, disputant theologi; nonnulli cum Vasquesio putant solam fidem *internam* parentum vel aliorum suffecisse ad infantium justificationem per merita Christi venturi; alii multo plures tenent, necessarium fuisse actum aliquem religiosum (2) aliorum, licet non determinatum in individuo, quo consacrarentur, qui actus cum per se aptus esset ad rationem signi, *sacramentum* legis naturae dici solet.

Utrum etiam pro adultis instituta fuerint in illo statu sacramenta, latet nos: s. Thomas in sententiam affirmantem concedere videtur.

761. In periodo mosaica certe fuerunt sacramenta. Et primo quidem pro parvulis Israeliticis *remedii* naturae, ex quo instituta est ex Dei ordinatione et foedere cum Abraham inito, vices gerebat circumcisio, de qua haec statui posse videntur:

1.° Ea non fuit ad delendum peccatum originale instituta, sed ad consignandum peculiarem Dei populum eumque a ceteris gentibus distinguendum. 2.° Posteri Abrahae pro caerimonia illa religiosa suae fidei in Christum venturum protestativa, qua hucusque ad infantium iustificationem usi fuerant quaque remedium naturae continebatur, determinarunt et adoptarunt circumcisionem, ad quam ex Dei praecepto aliunde adstringebantur, quaeque proinde duplici munere fungi coepit: et *signi* foederis ex Dei ordinatione, et *sacramenti* pro infantibus ex libera posterorum Abrahae electione. 3.° Qua sacramentum peccatum originale delebat et justificabat infantes, non tamen ex opere operato, sed quatenus illa parentum externa fidei protestatio, dispositio erat sufficiens ex divinis promissis ad sanctificationem propter Christi merita fu-

---

(1) *Contra Jul.* l. 5. c. 11. n. 45.

(2) S. Thomas existimat « probabile, quod parentes fideles, pro parvulis natis, et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei » 3. p. 70. a. 4.

tura impertienda. Unde circumcisio, sicut sacramentum legis naturae, non erat causa sanctificationis, sed ejusdem signum et conditio. — Pro feminis, quae circumcisionem non poterant accipere, et probabiliter pro pueris qui circumcidi non poterant et in mortis periculo versabantur, imo et pro eo tempore quo in deserto circumcisio suspensa fuit, perseveravit sacramentum naturae.

Pro adultis autem in hac periodo certe fuerunt sacramenta, quae communiter ad quatuor revocantur: *agnus paschalis*, figura eucharistiae; *ritus*, quibus initiabantur sacerdotes, figura sacramenti ordinis; *variae lustrationes et mundationes*, figurae sacramenti poenitentiae. Haec sacramenta non efficiebant remissionem peccatorum quoad culpam nec gratiam conferebant ex opere operato, sed ex opere operantis, i. e. quando homines ex fide et dilectione utebantur hujusmodi sacramentis.

762. Quoad periodum christianam statuimus:

Prop. 112. **Novae legis sacramenta neque plura neque pauciora sunt quam septem (1).**

De fide contra Novatores saec. XVI, qui gradatim negando septenarium numerum sacramentorum eo devenerunt, ut duo tantum admittant: baptismum et coenam, contra quos conc. Trident. (sess. 7. can. 1) definivit: « Si quis dixerit, sacramenta N. L.... esse plura vel pauciora quam septem, videlicet baptismum etc., aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum, a. s. »

Declar. Septenarius sacramentorum numerus dupliciter demonstrari potest: *analytice* et *synthetice*. Analytica demonstratio fit de unoquoque probando, illud esse verum sacramentum, unde concluditur: ergo septem sunt sacramenta. Talis demonstratio esset nimis prolixa, et alioquin instituitur in singulis tractatibus,

---

(1) Potiora vero discrimina inter vetera et nostra sacramenta sunt: 1.° in externo ritu et caerimonia; 2.° nostra sunt faciliora, praesertim si conferamus baptismum cum circumcisione; 3.° nostra sunt pauciora, quia v. g. innumeris expiationibus sola poenitentia successit; 4.° nostra sunt meliora utpote non per Moysen, sed per Christum promulgata; 5.° vetera erant signa et figurae nostrorum; 6.° vetera data erant ad certum tempus: nostra durabunt ad consummationem saeculi; 7.° nostra habent vim iustificandi, quam vetera non habebant.

quorum synthesis erit numerus septenarius sacramentorum. Demonstratio autem synthetica fit ostendendo, documenta fidei numerum septenarium sacramentorum qua *talem* exhibere, et hoc iterum dupliciter: *directe* adducendo Scripturas et Patres testantes, septem esse sacramenta, et haec fieri non potest quia nec Scriptura nec Patres hoc modo numerum septenarium sacramentorum affirmant; *indirecte* demonstrando ex consensu christiani nominis fidem Ecclesiae in hanc doctrinam adeoque eiusdem apostolicitatem, quod fieri potest et faciendum assumimus.

763. Demonstr. Tempore, quo Protestantium nova haeresis erupit, ex multis saltem jam saeculis Ecclesia universa pubblice, diserte, theoretice et practice conspirabat in fidem, septem esse N. L. sacramenta. Cujus fidei testes sunt *a)* catecheses, constitutiones synodales, fidei professiones et theologi omnes, qui a primis scholae exordiis de septem sacramentis tamquam de re in Ecclesia vulgatissima tractant. Ita Hugo a s. Victore initio saec. XII et paulo post Petrus Lombardus, Petrus Pictaviensis et ceteri. — *b)* Ipsi Graeci schismatici, ut constat *α)* ex nulla unquam facta a Graecis contra Latinos super hanc rem reclamatione, ne tempore quidem conc. Lugdunensis et Florentini; *β)* ex professionibus fidei Graecorum, inter quas est illa Michaelis Paleologi Gregorio X oblata; *γ)* nominatim ex irrito Protestantium conatu pertrahendi Graecos ad suum errorem. Huc spectat responsio Jeremiae Constpn. Patriarchae ad Protestantes a. 1575, in qua quoad hoc caput declarat septem esse Ecclesiae sacramenta: baptismum, s. unguenti unctionem etc.; synodi a. 1638 et 1642 Costantinopoli, et 1672 Hierosolymis contra Cyrillum Lucarim calviniana lue imbutum habitae, in quibus anathema ei hac de causa dictum, et eadem doctrina proposita fuit; *δ)* tandem ex eorum libris liturgicis et ritualibus. — *c)* Sectae Orientis ab Ecclesia saec. jam V. divulsae, uti sunt Nestoriani et Monophysitae eandem de septenario sacramentorum numero fidem profitentes.

Jam vero ex tali consensu duplex exurgit ad probandam *apostolicitatem* fidei de numero sacramentorum septenario argumentum, *theologicum* alterum, alterum *historicum*. Theologicum, illudque certissimum colligitur ex principiis de Traditione. Consensus enim constans et universalis in aliquam veritatem ut

revelatam criterium est indubium apostolicitatis illius doctrinae, quia secus universa Ecclesia posset a fide deficere, actumque esset de promissionibus Christi relate ad directionem et assistentiam Spiritus sancti. — Historicum deducitur ex impossibilitate hujus fidei origines aetate apostolica recentiores assignandi. Nam hujusmodi innovatio non fuit saec. XII inducta, ut effutiunt Protestantes, cum haec fides communis sit nobis cum Graecis ac proinde schismate graeco anterior. Et sane, si Graecorum esset foetus, num illam aequo animo tulissent Latini! Et non tulissent modo, sed in eam concessissent omnes et ita concessissent, ut neminem factae mutationis vel levis invasisset suspicio! At forsan a Latinis error exiit? Quis credat, tam faciles se in hac re praebuisse Graecos illos, qui circa ritus mere ecclesiasticos tantas Latinis moverunt lites? Ergo illae Graecorum Ecclesiae, quae eo tempore, quo mutatio facta dicitur, jam magnis odiis in Romanam Ecclesiam exarserant, suam antiquam et Apostolicam fidem sponte novae Latinorum doctrinae accomodassent? Et Photianae Ecclesiae exemplum illico secutae essent omnes, quae per Orientem disseminatae sunt, Haereticorum sectae, non minus Photianis, quam Romanae Ecclesiae infensae? Ergo Latini et Graeci hanc fidem hauserunt ex fonte communi, qui antecessit eorum separationem, scilicet ab Ecclesia universali saec. IX et VIII, a qua divulsi sunt graeci. Sed neque saec. IX vel VIII haec innovatio facta est, cum fides, quam defendimus, reperiatur apud illas Orientis sectas, quae jam saec. V. Ecclesiae castra deseruerunt. Quare ex eadem ratione inferendum est, eam Orientales et Occidentales hausisse ex fonte communi, ex Ecclesia matrice saec. V et IV. Antea vero, quando Ecclesia tot decorata martiribus atque eximiis illustrata doctoribus *tenax admodum erat antiquitatis et adversatrix omnis novitatis,* talis innovatio in re magni momenti, *practica, quotidiana* nullo modo concipi potest. Insuper talis innovatio induci non potuisset quin moveretur Ecclesia, excitarentur Patres, reclamarent Episcopi, cogerentur concilia atque sequeretur innovationis damnatio; quarum rerum nulla extat memoria. — Praeterea ostendant nobis, quis auctor fuerit novi dogmatis, quo tempore illud primum serpere coeperit, qua ratione in omnes Ecclesias etiam orientales haereticas et schismaticas irrepserit. Quare obtinet hic Augustini axioma: « Quod uni-

versa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur » (1).

764. Confirmat ratio congruentiae. Septem sacramenta catholicorum ad omnes vitae spiritualis necessitates parata sunt: sive haec spiritualis vita consideretur in individuis, sive in communitate quae est Ecclesia. Sicut enim vita supernaturalis in suo ordine analoga est vitae naturali: ita in suo cursu et evolutione eandem analogiam sequitur. Quemadmodum igitur in vita naturali homo individuus nascitur, roboratur, alitur; si in morbum incidit, medicina sanatur, et sublatis morbi reliquiis perfectae incolumitati restituitur; humana vero societas propagari debet et legitimo regimine gubernari: ita in vita spirituali, homo *nasci, roborari, ali, sanari, reconvalescere;* Ecclesia vero *propagari* et *regi* debet. Ad hos effectus obtinendos septem sacramenta ordinata sunt (2).

765. Ad solvendas difficultates, quae moveri solent, haec sunt animadvertenda: 1.° Patres, sin minus de septenario numero, certe de singulis septem sacramentis testimonium dicunt, prout videbimus in tractatibus specialibus. 2.° Quod autem desideretur apud Patres simul facta connumeratio septem omnium sacramentorum, id explicari potest *a)* ex eo quod Patres methodum scientificam non sequantur, ut posteriores scholastici; *b)* ex scopo peculiari ipsis proposito, quod erat singulorum sacramentorum consideratio, non vero analytica et comparativa proprietatum singulis communium inquisitio, ut per hanc ad syntesin pervenirent, ex qua connumeratio omnium sacramentorum sub numero septenario oritur; *c)* ex commoda sacramentorum distributione in duas veluti classes *perficentium* et *medicinalium; d)* denique ex arcani disciplina. 3.° Nominatim vero *pedum lotio*, licet omnia requisita habere videatur, non est sacramentum, quia non *praecepta a Domino* fuit *ut perpetuo*, sicut veri nominis sacramentum, in *Ecclesia maneret;* neque *promissionem*, tanquam *signum prae-*

(1) *De bapt.* l. 4. c. 24. — Paulo fusius exposuimus hoc argumentum, quia frequens deinceps ad illud provocandi occurret occasio.

(2) Cf. s. Thomam p. 3. q. 65. a. 1. Paulo aliter s. Bonaventura in *Centiloquio* P. 3. sect. 47. congruentiam numeri sacramentorum ex triplici necessitate vitae christianae explicat, ut sint nempe *medicamenta vitiorum, adiuvamenta virtutum, armamenta militiae.*

ticum, habuit *gratiae sanctificantis*, sed poenae tantum comminationem *Petro* factam ob inobedientiam, unde nunquam pro vero proprioque sacramento habita fuit ab Ecclesia, cujus praxis in re sacramentaria est optima revelatae doctrinae *interpres* (1).

ARTICULUS III.

De materia et forma sacramentorum novae legis.

766. Sacramenta veteris legis rebus tantum conficiebantur, adeoque eorum significandi modus erat per se minus determinatus. — Sacramenta vero novae legis rebus et verbis constant. Ratio est, quia sacramenta novae legis, utpote antiquis perfectiora, et gratiam praesentem significantia et conferentia, debent esse signa gratiae clariora quam antiqua, quae solum gratiam per nova dandam significabant; clariora vero veteribus non sunt, nisi ratione verborum, quae, ut ait Augustinus, obtinent in significando principatum.

767. Hae res et haec verba inde a saec. XII modo loquendi penes theologos communi, a conc. Florent. et Trident. usurpato et probato, designantur jam nomine *materiae* et *formae*, qua formula non tantum duplex illud elementum, quo constat sacramentum, sed mutua quoque inter utrumque indicatur habitudo. Sane ea est inter materiam et formam relatio, ut *a)* ex utriusque unione constituatur unum integrum distinctum ab utraque; *b) materia* per se sit imperfectum quid et indifferens ad multas formas, *forma* sit perficiens et determinans ad certam perfectionem; *c) materia* ut perficiendum supponatur, *forma* ut perficiens accedat, et velut elevans materiam ad esse nobilius absolvat totum compositum. Iam vero res in sacramento, ablutio v. g., est quid indifferens ad plures usus v. g. ad denotandam abstersionem a sordibus vel refrigerationem; verba autem (ego te baptizo) accedunt ad ablutionem illamque determinant ad hanc unam altiorem significationem sacramentalem, ablutionis nempe animae a peccatis, ac utriusque concursu unum constituunt si-

---

(1) Cf. Franzelin th. XIX.

gnum, videlicet baptismum. Aptissime igitur res materia, verba forma appellantur.

768. Porro haec non ita sunt intelligenda, ac si de ratione materiae sacramentalis necessarium omnino sit, ut ea sit res *materialis* et *palpabilis;* sufficit enim sit elementum aliquod sensibile quidem, sed minus determinatum, ad plura indifferens, quod alterius elementi accessu magis determinetur et perficiatur; proinde et *actus* sensibili modo manifestati rationem habere possunt *materiae,* ut in poenitentia et matrimonio. Eodem modo ad rationem *formae* sufficit, ut verbis *aequivaleant,* uti nutus in mutis, qui contraherent matrimonium. Denique inter materiam et formam sufficit distinctio *virtualis.* Ita in matrimonio eadem verba vel iidem actus rationem habent materiae, quatenus exprimunt id, quod est minus determinatum et indiget determinari per alterum, videlicet quatenus exprimunt *traditionem* corporum per se spectatam: habent vero rationem formae, quatenus traditionem hanc ad rationem signi sacramentalis determinant, seu quatenus eam mutuam traditionem declarant et firmant tamquam obligationem matrimonialem perpetuam, id quod mutua *acceptatione* fit.

769. *Nota.* Ad sacramenti confectionem requiritur materiae et formae unio *moralis,* seu talis, qua ex communi hominum judicio utraque unum constituatur, spectata uniuscujusque sacramenti natura. Sic in ceteris sacramentis talis coniunctio debet esse simultanea, in poenitentia vero et matrimonio ex ipsa eorum natura notabile tempus etiam potest intercedere.

CAPUT II.

De causa efficiente sacramentorum.

770. Triplex, cum agitur de institutione sacramentorum, distinguitur causa efficiens pro triplici potestate *auctoritatis, excellentiae et ministerialis.*

771. Potestas *auctoritatis* ea est, quae relate ad aliquem effcetum sub omni respectu principalis est, ideoque nec derivata ab alia

nec aliis subordinata. Jam vero talem potestatem, quum de sacramentorum institutione agitur, soli Deo esse propriam, evidens est. Etenim per sacramenta significatur et efficitur gratia. Is igitur solus eorum institutor potestate auctoritatis esse potest, qui primo et principaliter est auctor gratiae. Atqui solus Deus est primarius et principalis auctor gratiae, quippe quae excedit omnem facultatem creatam et quaedam est participatio divinae naturae (1): ergo. Cum autem Christus verus sit Deus, ipsi, secundum quod est Deus, convenit hujusmodi potestas.

Potestas excellentiae ea est, qua altior, quum de sacramentis agitur, in creata natura inesse nequit, cujusque formalis ratio eo continetur, quo Christus, ut homo est, principalis causa gratiae, non quidem efficiens, attamen meritoria est; quae proinde respectu solius divinae potestatis ministra, quoad aliam vero quamcumque principalis est. Porro constat, Christum passione et morte sua non solum meruisse nobis peccatorum remissionem et gratiam, sed etiam ut sua merita iis, quibus vellet, mediis, nobis applicaret. Hinc praesenti ab ipso electa oeconomia, ipse signa in specie et in genere designavit eisque efficaciam contulit sanctificandi. Unde sacramenta continent et repraesentant pretium sanguinis Christi moventque Deum ad physice potestate auctoritatis producendam gratiam. Liquet etiam hanc potestatem excellentiam, quippe quae ad causam meritoriam reducitur, totam derivari a persona Verbi quae actionibus humanae naturae Christi dignitatem conferebat. — Haec autem potestas juxta s. Thomam consistit in quatuor: *a)* in eo, quod Christus per merita sua vim et efficaciam sacramentis tribuere potuerit; *b)* quod ipse solus sit principalis et proprio jure sacramentorum minister: quare ab aliis ministrari non possunt, nisi tamquam vicariis, Christi nomine et loco agentibus; *c)* quod ipse solus potuerit sacramenta instituere; *d)* quod, quum causa non pendeat ab effectu, sed potius e converso, ipse solus sacramentorum effectum etiam sine sacramentis conferre potuit (2).

Demum potestas pure ministerialis est ea, quae omni principalitate et causalitate destituta extenditur tantum ad administranda sacramenta divinitus instituta. Talis potestas competit

(1) Cf. s. Thomam 3. q. 64. a. 2. — (2) S. Thomas p. 3. q. 64. a. 3.

omnibus, quibus a Christo ipso communicatum est munus dispensationis mysteriorum Dei. In his ad validam sacramentorum administrationem non requiritur fides et probitas, sed tantum intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia.

Hinc agemus: 1.° de auctore sacramentorum, 2.° de probitate ministri, 3.° de ejusdem intentione.

ARTICULUS I.

De auctore sacramentorum.

772. Prop. 113. **Christus omnia et singula sacramenta per se et immediate instituit.**

Declar. Actio, qua Christus sacramenta instituit, est *theandrica;* omnis enim eorum virtus est ex passione eius, cui infinitam dignitatem conciliavit Verbi persona. Hinc solus Christus sacramenta instituere potuit. Sed hoc duplici modo perficere potuisset: 1.° per Apostolos et Ecclesiam, potestatem ipsis communicando signa aliqua instituendi, quibus ipse deinde gratiam adnecteret; et tunc *mediate* tantum eorum auctor esset: hoc sensu nonnulli theologi ante conc. Tridentinum asserebant aliqua sacramenta v. g. confirmationem et extremam unctionem a Christo per Apostolos vel a Spiritu sancto per Ecclesiam instituta fuisse (1). 2.° *Immediate* per se ipsum signo cuidam sensibili, saltem in genere a se determinato, gratiam alligando. Jam vero si praescinditur ab institutione sive immediata sive mediata, propositio est sine dubio *de fide*, ex verbis conc. Tri-

---

(1) Alexander Alensis dixit, confirmationem « institutam fuisse Spiritus sancti instinctu in conc. Meldensi a. 845, quantum ad formam verborum et materiam elementarem, cui etiam Spiritus sanctus contulit virtutem sanctificandi, » qua in re allucinatus est quum in conc. Meldensi nihil occurrat ad sacramentum confirmationis spectans, nisi interdictum Chorepiscopis impositum, ne confirmationis sacramentum administrent. Ex quo interdicto, non quod affirmat Alexander, sed plane contrarium colligitur; maxime, quod concilium in ipso ferendo ad auctoritatem Innocentii I provocat.

tini (can. 1): « Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, a. s. » Neque de hoc unquam quis dubitavit, quum a Christo totus sit cultus christianus. Institutio autem immediata, quamquam a Tridentino dici non potest expresse definita, est tamen *certa* et, iuxta alios, *proxima fidei*, hancque assumimus demonstrandam.

773. Demonstr. I. Ex revelatione, quae duplex suppeditat argumentum, alterum ex Scriptura, alterum ex conc. Trident. Itaque primo Scriptura expressis verbis nos instruit Christum Dominum per semetipsum sacramenta baptismi, poenitentiae et Eucharistiae instituisse. Nisi igitur aperte contrarium demonstretur, cetera etiam sacramenta ab ipso immediate instituta credenda sunt, eo vel magis quod (Act. 1, 3) Lucas narret, Christum se ipsum vivum post passionem praebuisse in multis argumentis, *per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei.* Vix autem aut ne vix quidem cogitare valemus Christum, Apostolis ea exponentem, quae ad regnum Dei seu Ecclesiam ab ipso fundatam attinent, quin ipsum simul cogitemus instituentem ea sacramenta, quae forte instituta nondum erant. Sacrificium enim et sacramenta ad ea omnino referenda sunt, quae non accidentalia sed quae fundamentalia ac prorsus essentialia censentur. — Accedit Pauli testimonium (1. Cor. 4, 1): *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* Si Apostoli ad sacramenta, quae utique ad mysteria Dei pertinent, tantum ut administratores referuntur, non ipsis, ut Spiritus s. organa erant, sed Christo eorum institutio adscribenda est. Quod clarius patet ex collatione eorum quae dicit Apostolus cap. praeced. 4 et 5: *Quid igitur est Apollo? Quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis.*

Idem secundo eruitur ex canone allato Trid. et quidem *a*) ex sensu definitionis Tridentinae obvio, juxta quem ea instituere quis dicitur, quae per se ac immediate instituit. — *b*) Ex ratione usus loquendi, qui concilii aetate vigebat. Ne enim dicamus, eos solos theologos, qui communi de sacramentorum institutione sententiae stabant, hac loquendi formula usos esse, Christum nempe omnia sacramenta instituisse, ceteris abstinentibus; certum est, ista aetate

in Ecclesia apprime distincta fuisse ea, quae ex Christi institutione repetenda sunt, atque ea, quae institutionis divino-apostolicae vel tantum apostolicae aut ecclesiasticae aestimanda sunt. Cum huius autem distinctionis in Ecclesia existentia componi nequit, ut propositio « omnia sacramenta a Christo instituta sunt, » aliter, quam de immediata institutione intelligatur. — *c*) Nominatim autem ex eo quod propugnatores mediatae institutionis suam sententiam de extrema unctione potissimum intellectam volebant, et concilium illam explodit (sess. 14. can. 1) docens, eam a *Christo institutam et a Jacobo promulgatam fuisse*, proindeque non institutam a Jacobo potestate a Christo habita, quia promulgator institutionis institutor ipse non est.

774. II. Rationes suggerit duas s. Thomas: *a)* « Christus non ex invidia praetermisit potestatem excellentiae Ecclesiae ministris communicare, sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur; sicut apud illos qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae,* ut dicitur (1. ad Cor. 1, 12). » — b*)* « Apostoli et eorum successores sunt vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta. Unde sicut non licet eis constituere aliam Ecclesiam; ita non licet eis tradere aliam fidem, neque instituere alia sacramenta: sed per sacramenta, quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia Christi » (1). Cum his cohaerent quae habet Tridentinum (sess. 21 cap. 2) concedens Ecclesiae potestatem mutandi quidem ritus quos ipsa instituit, minine vero substantiam sacramentorum.

775. Scholion. Ex hac doctrina sequitur, Christum sacramentorum materiam et formam, quae eorum sunt partes essentiales, determinasse. Haec autem determinatio *in genere,* vel in *specie* fieri potuit. Facta est *in genere,* si statuisset, sacramentum v. g. ordinis conferendum esse aliquo signo sensibili, quod spiritualem potestatem eodem signo traditam et gratiam ad eam exercendam significaret, quin hoc vel illud determinasset, sed hanc determinationem Ecclesiae reliquisset, quae potest uti qualibet materia, quae intra genus illud contineatur; *in specie,* si ipse Christus

---

(1) P. 3. q. 64. a. 4 et 2.

inter plura, unum elegit signum, ut si v. g. statuisset ordinem esse conferendum per manuum impositionem et correspondentia verba. Haec determinatio *in specie* non ita est intelligenda, ac si facta esset secundum materialem sonum verborum, et secundum phrasim grammaticam, sed secundum significationem et sensum.

Jam vero certum est, hujusmodi determinationem in aliquibus sacramentis, ut v. g. in baptismo et Eucharistia, factam fuisse in specie; de aliis praesertim de ordine disputant inter se theologi eo quod Ecclesia graeca aliis ritibus illud conferat ac latina. Attamen, quod probe advertas, etiamsi alicujus sacramenti Christus in genere tantum materiam et formam determinasset, illius nihilominus, ut diximus, immediatus esset auctor.

776. **Corollarium.** Ex his omnibus sequitur, quamlibet mutationem substantialem circa materiam et formam nullum reddere sacramentum. Censetur vero mutatio substantialis materiae, si juxta communem usum et acceptionem hominum discrepat a materia usitata et ab ipso Christo praescripta, formae, si non manet amplius idem sensus verborum; alioquin est accidentalis.

Si vero mutatio materiae vel formae sit tantum accidentalis, efficitur quidem sacramentum, sed minister peccat praesertim in re alicujus momenti.

ARTICULUS II.

De fide et probitate ministri.

777. Minister sacramenti alius est *principalis*, scilicet Christus per potestatem excellentiae; alius *secundarius*, qualis esse potest, de lege ordinaria, solus *homo viator*, cum huic tantum Christus potestatem contulerit administrandi sacramenta. Neque *omnis* homo etiam viator est, ut contendit Lutherus, *omnium* sacramentorum minister, sed ii tantum qui ad hoc munus destinati sunt, ut constat ex Tridentino (sess. 7. can. 10): « Si quis dixerit, christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem, a. s. »

778. De his ergo quaeritur, utrum ad validam sacramentorum administrationem veram *fidem* et *statum gratiae* habere debeant.

Circa *fidei* necessitatem exorta est in Africa, saec. III celebris quaestio, quae *rebaptizantium* vocatur. Agrippinus, Carthaginensis episcopus, statuerat (a. 217) esse rebaptizandos eos, qui ab haereticis fuerant baptizati. Ei in episcopatu suffectus est Cyprianus, qui innovationi inhaerens simul cum Firmiliano episcopo Caesariensi in Cappadocia et quibusdam aliis orientalibus episcopis decreverunt, irritum et nullum esse sacramentum collatum ab haereticis, illudque esse iterandum. Re delata Romam ad Stephanum Papam, obstitit Stephanus et respondit: « Si quis a quacumque haeresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in poenitentiam.... Quod accepimus ab Apostolis hoc sequimur. » Post Cypriani mortem fere omnes Africani episcopi victas dederunt manus, nullumque amplius hujus erroris vestigium apparet usque ad saec. IV, quo Donatistae, nomine sumpto a celebri sectae patrono, Donato a Casis nigris, rebaptizantium errorem renovarunt, sed longius progressi illum extenderunt etiam ad ministri *probitatem* contendentes, irrita esse sacramenta, quae vel haeretici extra Ecclesiam, vel improbi, saltem peccatores publici, in sinu Ecclesiae contulissent. Eundem errorem tum quoad fidem tum quoad probitatem resuscitarunt saec. XII Apostolici ac Waldensens, saec. XIV Wicleffitae ac Hussitae, saec. XVI Anabaptistae. Contra hos statuimus:

779. Prop. 114. **Ut valeat sacramentum, non requiritur in ministro fides aut sanctitas.**

Declar. Relate ad *sanctitatem* prop. est *de fide* quoad omnia sacramenta ex Trident. (sess. 7. can. 12): « Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum; a. s. »

Quoad necessitatem *fidei* vero, quatenus spectat ad baptismum est etiam *de fide* ex eodem Trident. can. 4: « Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum; a. s. » Quatenus vero spectat ad reliqua sacramenta (si poenitentiam excipias, quae invalide a sacerdote acatholico administratur, non quidem ex defectu fidei, sed ex de-

fectu jurisdictionis, qua carent acatholici) *certa* est ac *fidei proxima.* Quae enim conc. Trident. de baptimo pronuntiat, ob intimam analogiam, de reliquis sacramentis dicta etiam intelligi debent.

Dicitur *ut valeat,* quia agitur de *validitate* non de *liceitate* administrationis, quae apprime distinguenda sunt. Sciendum enim est, ut Catechismus conc. Tridentini presse quidem sed nitide exponit, ministros sua pravitate sacramenti virtutem impedire non posse, sed sibi nocere quamplurimum et damnationem acquirere.

Coniungimus *fidem* et *probitatem* simul, quia utraque veritas iisdem defenditur argumentis.

780. Demonstr. i. Quamquam dogma hoc diserte non continetur in Scriptura, illud tamen ex iis, quae in Scripturis expressa sunt, deduci potest. Duo sunt, quae Scripturae docent: *a)* ministrum non sua sed divina auctoritate operari: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus* (1. Cor. 3, 7), et *b)* Deum hanc potestatem a ministro, ob ejus infidelitatem et peccata, non auferre: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* (Matth. 7, 22 sq.): ergo

781. II. Luculentum pro hac veritate argumentum petitur ex traditione. Hanc traditionem testatur *a)* universalis et tranquilla *consuetudo* omnium Ecclesiarum usque ad Agrippini tempora. « Saluberrimam consuetudinem, inquit Augustinus (1), tenebat Ecclesia in ipsis quoque schismaticis et haereticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est.... Quam consuetudinem credo ex apostolica traditione venientem, sicut multa quae non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita et commendata creduntur.... Hujus consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum, quando re in quaestionem pertracta, communis traditio etiam ad concilii plenarii auctoritatem roburque deducta est ». — *b) Reclamatio,* Romani Pontificis Stephani aliorumque pastorum contra illam novitatem. « Cum undique, ait Vincentius Lirinensis, ad novitatem rei

(1) Augustinus *De baptismo* l. 2. c. 7 et 9.

cuncti reclamarent atque omnes quaquaversus sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc bonae memoriae P. Stephanus Apostolicae Sedis antistes cum ceteris quidem collegis suis sed tamen prae ceteris resistit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci dignitate superabat. Denique in epistola, quae tunc ad Africam missa est, idem his verbis sanxit: nihil novandum, nisi quod traditum » (1). — *c)* Instantior veritatis *praedicatio*, quae facta fuit et ab Augustino et Hieronymo aliisque Patribus et praesertim in Conciliis, e quibus Arelatense I. (a. 314), Nicaenum I., Constnp. I, (a. 381), Arelatense II. (a. 452), Constantiense contra Wicleffum ac demum Tridentinum.

782. III. Rationes theologicas etiam afferunt Patres ad hanc veritatem suadendam. Causa principalis sacramentorum est Christus, qui ea conficit et administrat per ministros tamquam suos legatos. Sacramenta itaque sunt actiones ipsius Christi, adeoque ab ipso non autem a ministro sanctificandi virtutem derivant. « Dedit Judas (baptismum), inquit Augustinus, et non est baptizatum post Judam; dedit Joannes (Baptista), et baptizatum est post Joannem quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis erat. Non Judam Joanni, sed baptismum Christi etiam per Judae manus datum baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato recte praeponimus.... Quos baptizavit Joannes, Joannes baptizavit: quos autem Judas baptizavit, Christus baptizavit. Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est qui baptizat* (Jo. 1, 33) » (2). — Haud dissimilem rationem adducit s. Thomas (3): « Ministri Ecclesiae, inquit, instrumentaliter operantur in sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est ministri et instrumenti. Sicut autem supra dictum est (4), instrumentum non agit secundum propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem ejus a quo movetur.

(1) *Commonit.* c. 9. — (2) *Tract. 5 in Joan.* n. 18. — (3) 3. q. 64. a. 5. — (4) Ib. q. 62. a. 1 et 4.

Et ideo accidit instrumento, in quantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, praeter id quod exigitur ad rationem instrumenti; sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animae habentis artem, sit sanum vel infirmum; et sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea vel plumbea. Unde ministri Ecclesiae possunt sacramenta conferre, etiamsi sint mali ». — Praeclaras quoque adhibent ad veritatem illustrandum analogias. Quemadmodum enim verbum Dei etiam cum fructu ab improbis ministris annunciari; semen sordidis licet manibus satum fructificare, aqua per canales etiam lapideos et ferreos derivata irrigare, sigillum quoque ferreum regis imprimere imaginem, medicus per membra infirma curare potest; ita quoque sacramentorum virtus independens est a ministrorum probitate.

ARTICULUS III.

De ministri intentione.

783. Intentio generatim est voluntas deliberata aliquid faciendi vel omittendi, in casu, conficiendi sacramentum. Haec intentio spectari potest *ratione obiecti*, in quod fertur voluntas, et *ratione modi*, quo in illud fertur.

Ratione obiecti, intentio potest esse vel interna vel externa. Scilicet quamvis quaelibet deliberatio, utpote ex animo, semper interior sit, eam tamen ob externam actionem, qua se prodit, *externam* aliquando appellamus. Haec autem aut sincera est, et tunc quod opere exercetur intenditur animo, aut simulata, et tunc aliud completur opere, aliud cogitatione versatur. In hac etiam simulatione vel actio serio exercetur, ut si hypocrita devotionem ostendat, vel mimice et irrisorie, ut dum histriones agunt personam regis. Utraque haec exterior simulatio ab intentione procedit: qui enim simulat aut irridet, vult simulare aut irridere. *Interna* ergo intentio est sincera illa, per quam operans, nedum serio exercet actum suum, sed etiam interno proposito vult agere quod exercet. *Externa* vero est, quae coniungitur cum simulatione, vel occulta et latente, ut in hypocrita, vel patente et externa, ut in mimo. — Interna esse potest vel *explicita* et *particularis*, quatenus minister

nomine Christi agere ac gratiam conferre intendit; vel *implicita* et *generalis,* quatenus aliquis in confuso id facere vult, quod Ecclesia vel christiani in huiusmodi ritu facere consueverunt.

Ratione modi potest esse *actualis, virtualis, habitualis,* et *interpretativa.* Dicitur actualis, quando quis sacramentum conficiens, de eo conficiendo actu cogitat. Quod si intentionem actu elicit: volo v. g. nunc consecrare, dicitur in actu *signato;* si intentionem non quidem actu elicit, sed tamen ad ipsam actionem e. g. ad consecrationem attendit, dicitur in actu *exercito.* Virtualis est ipsa actualis intentio moraliter et virtute in ministro perseverans. Habitualis nihil est aliud, quam promptitudo aut facilitas operandi ex habitu vel acquisito vel infuso, qualis et dormientibus inesse potest. Interpretativa est ea, quae numquam extitit, et praesumi potest existere vel extitura, si operans ad circumstantias illius actionis adverteret.

784. De hac ministri intentione duplex est quaestio; altera adversus Protestantes eaque facilis; altera inter theologos catholicos eaque celebris et subtilis. Censent illi, valere sacramentum, nedum simulatione, sed etiam irrisorie et iocose, imo sine ulla intentione, ut esset in ebrioso, collatum. Nam in sententia novatorum iustificat sola fides, et ideo quomodocumque exhibeantur signa excitantia fidem, ea suscipiens, si credat, eaque inspiciat tamquam pignus et sigillum divinarum promissionum, adipiscitur iustificationem. Contra hos statuimus.

785. Prop. 115. **Ad valorem sacramenti requiritur in ministro intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia.**

De fide ex conc. Trident. (sess. 7. can. 11): « Si quis dixerit, in ministris dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia; a. s., » ex conc. Constantiensi et Florentino.

Demostr. i. (1. Cor. 4, 1): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei;* (Jo. 20, 21 sq.): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, quorum remiseritis peccata etc.;* (Luc. 22, 19): *Hoc facite in meam commemorationem.* Apostolos ergo Christus non tamquam nuntios constituit, qui simpliciter perferant obsignatum mittentis mandatum, sed ut *ministros* suos, *potestateque* eos instruxit ut nomine suo sacra-

menta conficiant. Jam vero eadem actio materialis poni ab ipsis potest vel ut sunt simplices homines, vel formaliter ut sunt ministri Christi. Porro ut sacramentum conficiant, debent agere ut Christi ministri, uti potestate ministeriali a Christo ipsis commissa. Ut vere in sacramenti administratione quis se gerat ut Christi minister, debet ad minimum habere voluntatem saltem generatim et in confuso utendi potestate sua, agendi nomine Christi et non proprio marte, seu quod perinde est, faciendi quo facit Ecclesia. Alio modo: Ad confectionem sacramenti requiritur ut res et verba per se ad plures usus et significationes indifferentia determinentur ad esse sacramentale. Atqui hoc non fit nisi agentis intentione: ergo. Confirmatur exemplis. Neque enim mater abluens infantis sordes corporales, etiamsi per invocationem diceret: *Fili, lavo te in nomine Patris et Filii etc.*, sacramentum conficeret, et hoc ideo quia deest ipsi intentio. Idem dicendum de sacerdote antiquiore, qui docens iuniorem ritum sacrificii Missae, accipit panem, profertque verba consecrationis; quia totus est ad repraesentandum, non vero ad faciendum quod facit Ecclesia, nec in mentem eius veniret se consecrasse.

786. Quoad controversiam vero inter catholicos tenemus:

Prop. 116. **Ad valorem sacramenti non videtur sufficere solemnitas ritus externa, si intentio interna sit contraria.**

Demonstr. Sententia, quod etiam tum valet sacramentum, quando, qui illud administrat, serio quidem ponit ritum externum, sed in animo contrariam fovet opinionem, et quod foris agit, intus irridet, nomen et auctoritatem habet ab Ambrosio Catharino, illamque amplexi sunt theologi praesertim galli, ut Contenson, Jueninus, Serry, Drouvenius etc. Etsi haec opinio ab ea Protestantium differat, (hi enim frustraneam putant quamlibet ministri deliberationem adeoque sacramentum probant externa subsannatione collatum, quod omnes catholici negant), iisdem tamen refellitur argumentis. Et sane, pendet a voluntate ministri, utrum velit actiones ponere utendo ea potestate *supernaturali* sibi commissa, an eas velit ponere non quatenus est minister et non ex ea potestate supernaturali, sed suo nomine, facultate *sibi inhaerente mere naturali* qua *omnis* homo pollet.

Ergo ut illa actio *per se indifferens* sit *huius* vel *illius* potestatis exercitium, sit *sacramentalis* ex potestate ministeriali profecta, necesaria est voluntas saltem implicita in ministro utendi hac sua potestate et ministerialiter ponendi actionem; seu requiritur aliqua intentio interna *determinans* actionem, ut sit potius exercitium potestatis *ministerialis* quam *naturalis* omnibus hominibus, etiam feminis, communis. — Idem colligitur *illative* ex Tridentino. Hoc enim praeter materiam et formam requirit *intentionem faciendi quod facit Ecclesia;* iam vero intentio ponendi ritum externum ab actu, quo ponitur Ecclesiae forma, inseparabilis est. Atqui concilium, praeter observationem ritus externi et *formam Ecclesiae,* requirit, *ut sacerdos facere intendat quod facit Ecclesia:* ergo. Praeterea declarat (sess. 14. c. 6) absolutionem invalidam « si sacerdoti animus *serio* agendi et *vere* absolvendi desit. » Atqui hic profecto deest, si minister sacramentum tantum *simulat,* neque intentionem absolvendi habet; ergo. — Demum damnata est ab Alexandro VIII. propositio (28): « Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit; non intendo quod facit Ecclesia. » Quare censet Benedictus XIV. (1), si casus, quem Catharinus supponit, reapse occurreret, vel baptismum iterandum esse sub conditione, vel, si per tempus liceat, sedem Apostolicam esse consulendam.

787. **Corollarium.** Ex dictis sequitur, 1.° non requiri intentionem producendi *effectum* sacramenti, neque celebrandi ritum *tamquam sacrum,* neque faciendi id quod facit Ecclesia *Romana;* sed sufficere intentionem generalem faciendi quod facit Ecclesia, seu quod christiani in huiusmodi ritu facere consueverunt, quamcumque ipse veram Christi Ecclesiam putet. Talem intentionem habere potest et ille qui Ecclesiam ignorat vel negat, nam et iste potest habere intentionem generalem perficiendi ritum illum, non suo quidem, sed christianorum nomine sacrum. 2.° Non sufficere ad valorem sacramenti intentionem *habitualem,* vel *interpretativam,* nec tamen necessario requiri *actualem,* sed sufficere et requiri *virtualem* (2).

---

(1) *De synodo* l. 8. c. 4.

(2) « Dicendum, ait s. Thomas, quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat actualem intentionem, habet tamen habitualem (hoc nomine Thomas

788. Scholion. *De subiecto sacramenti,* haec tenenda sunt:

1. Apud omnes in confesso est, non aliud esse subiectum sacramentorum, quam *hominem viatorem.*

2. *Omnis homo* viator capax est trium sacramentorum, nempe baptismi, confirmationis et Eucharistiae, positis ponendis. *Non omnis* autem capax est omnium sacramentorum; nam e. g. sanus non est capax extremae unctionis, nec mulier ordinis.

3. *In adultis* ad valorem sacramenti requiritur *aliqua intentio* illud suscipiendi, quia sacramentum non minus in suscipiente, quam in conficiente, debet esse actio humana. Hinc Innocentius IV in l. 3. decret. (tit. de bapt. q. 90) expresse docet: « eum, qui sine consensu baptizatur, aut matrimonium contrahit, nec baptizari, nec matrimonium contrahere. » Haec autem intentio non est necesse, ut sit *actualis* aut *virtualis,* sed sufficit *habitualis,* imo pro quibusdam sacramentis, puta, baptismo, confirmatione, poenitentia, extrema unctione, *interpretativa,* ut constat ex Ecclesiae praxi quoad subita vi morbi oppressos. Non requiritur autem fides aut sanctitas ad *validam* susceptionem, excepto poenitentiae sacramento, in quo actus poenitentis, qui fidem includunt, requiruntur tamquam ejus pars materialis, sacramentum vero sine materia non perficitur. — *Quae ad licitam et fructuosam* sacramentorum susceptionem exiguntur, in singulis tractatibus indicantur.

4. *In infantibus* et perpetuo amentibus nulla dispositio requiritur ad valorem et effectum sacramenti, quia cujusvis actus sunt incapaces.

---

intelligit *virtualem),* quae sufficit ad perfectionem sacramenti: puta, cum sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere quod facit Ecclesia. Unde si postea in ipso exercitio actus cogitationis ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur sacramentum; quamvis studiose curare debeat Sacramenti minister, ut etiam actualem intentionem adhibeat, sed hoc non est totaliter positum in hominis potestate, quia praeter intentionem cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare. » 3 p. q. 64. a. 8.

CAPUT III.

De efficacia sacramentorum.

789. Sacramentorum efficacia tum in *modo,* quo operantur, tum in *effectibus*, quos producunt, se prodit. Quoad modum doctrina catholica docet, ea ex vi sua seu ex opere operato gratiam conferre; quoad effectus, gratiam sive *primam* sive *secundam* esse effectum communem omnibus sacramentis, quodlibet sacramentum suam peculiarem gratiam conferre, quae gratia *sacramentalis* appellatur, tria vero baptismum, confirmationem et ordinem imprimere in anima characterem. Itaque huius capitist, otius huius tractationis ponderosissimi, ordo dicendorum erit: 1.° de modo, quo gratiam sacramenta producunt; 2.° de gratia, quam omnia producunt; 3.° de charactere, quem tria imprimunt.

ARTICULUS I.

De modo, quo gratiam conferunt.

790. Prop. 117. **Ea est virtus sacramentorum novae legis, ut non ponentibus obicem, tamquam causae instrumentales, gratiam conferant ex opere operato.**

Thesis statuitur contra Protestantes contendentes, sacramenta tantum ad excitandam vel nutriendam fidem esse instituta, nec aliud efficere quam quod efficit Evangelii praedicatio, atque est *de fide* ex conc. Trident (sess. 7. can. 5 et sq.), quorum 6. ita sonat: « Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam, non ponentibus obicem, non conferre... a. s. »; et 8: « Si quis dixerit per ipsa novae legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam.... a. s. »

Declar. 1°. Obex *gratiae* est indispositio ad gratiam, cujusmodi

est in adultis (1) impoenitentia pro sacramentis mortuorum, et *conscientia peccati* mortalis pro illis vivorum. Obex in adultis tolli non potest nisi per *actus liberos* ipsius hominis auxilio gratiae actualis elicitos, et quidem impoenitentia tollitur per fidem, spem, attritionem, propositum, quibus efficitur ea quae vocatur *necessaria dispositio*, h. e. non repugnantia ad infusionem gratiae; conscientia lethalis peccati tollitur per hoc quod homo sese constituit in statu gratiae, et ita se disponit ad augmentum gratiae per alia sacramenta vivorum obtinendum. Hujusmodi dispositiones in suscipiente sunt quidem necessariae, ut effectum sacramenti consequatur, illae tamen non producunt gratiam, neque sacramento vim tribuunt et efficaciam; sed tantum removent obicem seu obstacula, quibus impediri possent et retardari effectus sacramenti, adeoque sunt tantum *conditio sine qua non.*

2.° *Causa,* ut verbis utar s. Thomae (2), « importat influxum aliquem ad *esse* causati, » et differt a *conditione* eo quod haec requiritur quidem ad productionem effectus, sed in eum non influit et ejus existentiae rationem sufficientem non continet; causa autem ipsum effectum per suam activitatem producit eumque praecontinet.

Causarum duo sunt genera: aliud *physicarum,* aliud *moralium.* Causae morales non ipsum in se effectum attingunt ejusque esse physicum producunt, sed ejus ratio eo tantum sunt, quod bonitate et dignitate sua causam physicam intelligentem ad eum physice producendum movent. Ipsae enim non secus, quam causae physicae, dividuntur in causas *principales* et *instrumentales,* prout bonitas et dignitas, qua ipsarum virtus continetur, vel in eis est ex propria forma permanente, vel in eis tantum existit,

---

(1) Quoad infantes, quorum nullus esse potest actus liber, nullus est relate ad aliqua sacramenta obex gratiae; quoad alia est *ineptitudo.* Ineptitudo generatim est incapacitas suscipiendi aliquod sacramentum et dicitur etiam obex *sacramenti,* qui differt ab obice *gratiae,* quia ille pertinet ad ordinem physicum et impedit valorem sacramenti, hic pertinet ad ordinem moralem et eiusdem impedit fructum non valorem. Talis ineptitudo potest inveniri quoad nonnulla sacramenta etiam in adultis; huiusmodi esset v. g. sanitas pro extrema unctione, femineus sexus pro ordine etc. Defectus intentionis ad scuscipiendum sacramentum et doloris in poenitentia de utraque obice participat. — Dispositio *deficiens* est obex non quidem ad gratiam, sed ad gratiam uberiorem.

(2) *In l. 5. Metaph. lect. 1.*

quatenus superior causa eis utitur in easque influit. Ut rem exemplis declaremus, siccitas est *conditio* requisita ad comburendum, lux ad scribendum, sed nec illa comburit, nec ista scribit aut scripturam praecontinet, dum vera causa est ignis et scriptor. Porro scriptor est causa physica principalis scripturae, penna causa physica instrumentalis. Impetratio filii regis quae tanti valet apud regem ut moveat eum ad concedendam veniam reo, est causa moralis principalis hujus veniae; et epistola a filio regis conscripta, qua venia impetratur pro reo et quae movet regem ad veniam concedendam ex eo quod impetrationem filii sui dilectissimi contineat, profecto est causa moralis instrumentalis veniae quae conceditur. — Patet, sacramenta, sive eorum efficacia physica sit sive moralis tantum, non posse esse causas principales gratiae, sed instrumenta Dei, qui solus est causa principalis physica efficiens gratiae, et instrumenta Christi, cujus merita sunt principalis et prima causa moralis omnis gratiae.

3.° In formula « ex opere operato, » si spectes formam grammaticam, vox *operatum* significatione passiva (1) adhibetur pro opere *quod efficitur*. Rem quod attinet hac locutione significatam, *opus operatum* opponitur *operi operantis* seu operationi meritoriae, qua ipse operans aliquid meretur, et significat non subiecti operationem, sed obiective ipsum opus editum per se, quin ratio habeatur *meriti* hominis operantis, h. e. ipsum sensibile sacramentale signum valide positum. Per formulam ergo « sacramenta conferunt gratiam ex opere operato », *affirmatur* ipsum signum sensibile sui applicatione conferre gratiam, *excluditur* quod gratia conferatur ex opere meritorio operantis, puta, fide, ad quam tantum excitandam referatur signum sacramentale, non vero excluduntur sed *adsignificantur* actus liberi ministrantis et suscipientis tamquam conditio, sine qua opus operatum nec esse nec fructum producere potest.

Sensus itaque thesis hic est: virtus sacramentorum novae legis non est, ut excitent fidem, per quam homo mereatur gratiam,

---

(1) *Operatum* passive accipi a Lactantio, Tertulliano, Ambrosio; in Vulgata passive adhiberi verba *promereri, exhortari, consolari, interpretari*, imo et apud ipsos optimos scriptores latinos hunc usum non esse admodum infrequentem, docent passim theologi. Cf. de Augustinis *de re sacram.* p. 1. a. 3.

quae virtus propria erat sacramentorum V. L., neque ut per ea solum obtineatur gratia actualis illustrationis et motionis, cui homo cooperans perveniant ad justificationem, quae est efficacia sacrificii novae legis; sed ea est, ut per sacramenta, tamquam causas instrumentales, gratia sanctificans *immediate* et *efficienter* (1) conferatur.

791. Demonstr. I. *a)* Non solum applicatio signi sensibilis immediate coniungitur cum gratiae collatione: (Marc. 16, 16): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* (Act. 8, 17): *Imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum;* sed etiam *b)* explicite relatio sacramenti ut causae ad gratiam ut ejus effectum declaratur. (Jo. 3, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s., non potest introire in regnum Dei;* (Act. 2, 38): *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine J. Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus s.;* (Act. 22, 16) Ananias ita Paulum mirabiliter vocatum, et certe jam fide repletum alloquitur: *Quid moraris? exsurge et baptizare, et ablue peccata tua;* (Tit. 3, 5): *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus s.;* (Jo. 6, 59): *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum;* (1. Tim. 4, 14): *Noli negligere gratiam.... quae data est tibi.... cum impositione manuum presbyterii;* (2. Tim. 1, 6): *Resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum;* (Jo. 20, 22 sq): *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* etc. Jam vero his locutionibus ex una parte exhibetur signum sensibile v. g. ablutio, manuum impositio etc., ex altera hujus effectus immediatus, qui non est fides et poenitentia sed, his in adultis praesuppositis, *remissio peccatorum, regeneratio, renovatio, gratia Dei, vita in Christo, communicatio Spiritus s.* Relatio vero inter signum sensibile et effectum ea est, quae exprimitur non solum per coniunctionem immediatam collationis gratiae cum applicatione signi sensibilis, sed adhuc expressius per particulas *ex, per,* ablativo

(1) Dicimus efficienter, quia abstrahimus nunc a modo quo ea sunt causae instrumentales, utrum physica an solum morali virtute et efficacia. Non enim solutio huius quaestionis, sed solum veritas efficaciae sacramentorum est *de fide.*

causali, particula finali *in* (1), scilicet omnibus loquendi formulis, quibus vera causalitas enunciari potest.

792. II. Idem probatur ex traditione, et primo quidem ex traditione theoretica seu Patrum doctrina. Docent enim Patres *a)* finem et effectum immediatum signi interni esse gratiam et sanctitatem in anima producendam. « Caro abluitur, ait Tertullianus (2), ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur. » Nexum vero hunc inter signum et effectum *b)* repetunt ex eo, quod Spiritus s., virtus divina, elementis aquae, olei etc., verbo consecrante, illabitur illis vim tribuens sanctificandi. « Invocato Deo, ita iterum Tertullianus (3), supervenit statim Spiritus de coelis et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt; » et Basilius: « Si qua est gratia in aqua, non est ex ipsius aquae natura, sed ex Spiritus praesentia » (4). Id *c)* multiplici similitudine, praesertim cum loquuntur de baptismo, illustrant. Aquam enim comparant utero materno, ex quo regeneramur, vel sublimius utero Virginis, cui Spiritus sanctus tribuit virtutem ad generandum Christum; vel eam appellant undam genitalem, in quo christiani veluti pisces nascuntur, et ejusdem fecunditatem conferunt cum illa primitus indita aquis per Spiritum, qua ferebatur super illas ad producendas animas viventes. Ita Chrysostomus, Nyssenus, Leo M., Cyprianus, Tertullianus aliique. Item verba sacramentalia ad conficiendam Eucharistiam passim comparant verbo creanti.

Accedit secundo traditio practica, quae deducitur ex baptismo infantium, quem ipsi sibi contradicentes admittunt Protestantes. Parvuli per baptismum justificantur; atqui hujus justificationis

---

(1) Baptismus Christi, poenitentia ut dispositione praesupposita, dirigitur causalitate immediata *in remissionem peccatorum* (Act. 2, 28); baptismus autem Joannis erat *baptismus poenitentiae in remissionem peccatorum* (Mar. 1, 4; Luc. 3, 3) h. e. signum significans et externa propositione excitans virtutem poenitentiae, quae virtus demum sit in remissionem peccatorum; incisum enim « in remissionem peccatorum » immediate pendet a nomine *poenitentiae*, ut patet ex ipsius Baptistae declarationibus (Luc. 3, 16).

(2) *De resur. carnis* c. 8. — (3) *De bapt.* c. 4. — (4) *De Spiritu s.* n. 35.

causa non est fides subiecti, quod est incapax, neque fides aut probitas ministri, quae non requiruntur: ergo causa est ipsum opus operatum, ablutio nempe baptismalis. — Denique nobiscum hac etiam in re consentientem habemus Ecclesiam graecam schismaticam.

793. **Corollarium** 1. Formula igitur « ex opere operato » inde ab ineunte saec. XIII adhibita et usu universali, ipsiusque conc. Tridentini auctoritate consecrata, qua per sacramenta novae legis dicitur gratia conferri, nihil aliud quam hanc ipsam paulo ante demonstratam efficaciam exprimit visibilium sacramentorum. Protestantes ergo, quando eam reiiciunt sensu genuino Ecclesiae et catholicorum theologorum, doctrinam reiiciunt certo revelatam; quando autem sensus ei substituunt a catholicorum mente alienos, calumniantur.

794. **Corollarium** 2. Cum iis, quae superius de materia et forma sacramentorum disseruimus et cum hucusque demonstrata causalitate sacramentorum intime cohaeret controversia illa, quae inter catholicos et protestantes agitatur, num verba sacramentalia sint mere *concionatoria*, an *consecratoria*. Protestantes ex principio fundamentali quod non justificamur per applicationem signi sacramentalis, sed per solam fidem promissionum Christi, intulerunt alium errorem, nempe verba sacramentalia non habere alium effectum, quam excitare promissiones, adeoque esse tantum concionatoria, quem errorem damnavit Tridentinum (sess. 7. can. 5). E contra ex doctrina catholica de sacramentorum essentia et efficacia sequitur, verba esse consecratoria. Et sane *a)* verba ordinantur ad sanctificandam et consecrandam materiam, quatenus accedente verbo e profana fit sacra, ex indeterminata determinatur et elevatur ad *esse sacramentale*. « Detrahe verbum, inquit Augustinus, et quid est aqua nisi aqua? accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum » (1). — *b)* Ipsa simul cum materia sanctificant et consecrant animam suscipientem sacramentum (2). Ergo.

---

(1) *In Joann. tract.* 80. n. 3.

(2) Cum Eucharistia sit sacramentum *permanens*, in quo ipse Christus praesens sanctificat animam, verba consecrationis immediate diriguntur ad panem et vinum convertendum in corpus et sanguinem Christi adeoque ad constituendum sacramentum, quod immediate sanctificat hominem.

795. **Corollarium** 3. Effectus, quos Protestantes sacramentis adscribunt, ut nempe sint tesserae, quibus a iudaeis et gentilibus discernantur christiani, aut sigilla divinae promissionis, aut signa militiae Christi, verissimi sunt in sensu asserente, eosque etiam Catechismus Romanus recenset; in sensu tamen excludente ex dictis admitti non possunt, meritoque proscribuntur a conc. Tridentino (can. 5 et 6): « Si quis dixerit, sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; a. s. » — « Si quis dixerit, sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae et iustitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, a. s. »

796. Scholion. Sacramenta *continere gratiam eamque conferre* tamquam causas instrumentales, omnibus catholicis indubitatum est. Utrum vero gratiam instrumentaliter causent influxu *physico,* sicut ignis calorem; an solum *morali,* sicut vox ducis motum militis: celebris controversia est, quae salva fide inter theologos agitatur. De qua quaestione haec nobis, quae ex principiis certis constant, quaeque ad intelligendum tum modum quo verae sunt causae collationis gratiae tum eorum dignitatem nonnihil conferant, statuenda videntur. Itaque:

1.° Principii fundamentalis instar tenendum est, *sacramenta dum fiunt, esse moraliter actiones ipsius Christi Redemptoris* et summi sacerdotis, quas ad passionis suae fructum singulis applicandum ipse primum instituit et per ministros sua auctoritate fungentes iugiter exequitur. Hoc colligitur ex ipsa ministerii ecclesiastici natura; sacerdotes enim non solum in docendo, sed etiam et praecipue in sanctificando pro Christo legatione funguntur: quapropter ministri Ecclesiae non nomine suo sacramenta administrant, sed nomine et auctoritate a Christo accepta, prouti maxime elucet in Eucharistia. Id multipliciter declaratum quoque fuit a Patribus in controversia adversus Donatistas, ut inde probaretur sacramenti valorem a Christo auctore, non a ministri probitate pendere.

Quare 2.° *sacramentis inest supernaturale pretium et dignitas obiectiva,* quae ex Christi meritis promanans constanti ordinis reparati lege exigit hominum, qui initiantur, sanctificationem. Quod

consequitur ex actionis vicariae notione. Actio enim ministri vim dignitatemque suam mutuatur ex domini praesentia, cuius vices gerit et in cuius nomine agit, quod vel inter homines obtinet. Porro Christus passione morteque sua et redemptionem in se obiective complevit, et ut illa quo ipsi placeret modo, nobis applicaretur, meruit. Iam vero in operationibus sacramentalibus voluntate sua valente ad applicanda merita crucis consociata, illas hoc ipso constituit huius suae voluntatis manifestationem quandam et expressionem. Unde inest sacramentis supernaturale pretium et supernaturalis dignitas, quae tum quatenus Christus Redemptor ea ex suis meritis instituit tum quatenus ipse principaliter ea per suos ministros dispensat, tota derivatur ex dignitate personae et ex pretio sanguinis Christi. Sacramenta itaque nomine et auctoritate Christi administrata continent, ut loquuntur Patres (1), pretium salutis nostrae, ac rubescunt sanguine Christi in cruce effuso illumque exhibent coram Deo. At supposita tali Christi institutione sacramentorum fundata in pretio infinito suae passionis et mortis, et supposita Dei acceptatione huius sacrae actionis symbolicae ad effectum applicationis meritorum Christi, sacramentum nomine Christi administratum ipsa sua dignitate derivata ex Christi meritis exigit, constanti lege praesentis ordinis reparati, collationem gratiae, ad quam est institutum.

Ideo 3.° *sacramenta verissimae sunt causae morales collationis gratiae.* Sane causa moralis ea dicitur, quae sua bonitate et dignitate est ratio movens causam physicam intelligentem ad effectum physicum producendum; et per hoc, quod infinita sua bonitate moveat, distinguitur a mera *conditione sine qua non,* vel ab *occasione,* in qua nulla est huiusmodi dignitas vel virtus, sed solum est aliquid connexum cum altero, in quo altero est propria ratio causalitatis non tamen exserenda in actum, nisi quando illa conditio coniungitur. Sic denarium plumbeum est dandae eleemosynae conditio custodi thesauri, quem rex iusserit elargiri ad illius signi ostensionem. Atqui sacramenta sua intrinseca dignitate, utpote actiones Christi, eius merita repraesentantes, movent Deum ad sanctificandos initiatos. Ergo sacramenta non sunt

---

(1) S. Augustinus *in Joan. tract.* 11. n. 4; Chrys. *hom.* 84. *in Joan.;* Hieronymus *in Is.* 1. 16.

conditiones aut merae occasiones, sed verae causae morales sanctificationis. Sunt tamen causae *instrumentales* tantum, quia dignitatem insitam habent non *ex sese* sed per *derivationem* a Christo et a passione eius, qui secundum quod homo est nobisque gratiam promeruit, sanctificationis est causa moralis principalis.

4.° Christus autem non solum est homo, qui gratiam ut causa moralis nobis promeruit, sed etiam verus Deus, qui gratiam per omnipotentem suam voluntatem physice in anima producit. Sub hoc respectu sacramenta sunt etiam velut realia seu, iuxta modum loquendi Augustini, visibilia verba practica Christi spectati secundum divinam naturam et proinde Dei unius et Trini, qui ea instituit iisque utitur constanti lege ad suam divinam actionem seu voluntatem sanctificatricem et productricem gratiae sensibiliter exprimendam, *atque adeo aliquo sensu causae physicae gratiae.* Virtus divina quidem est, quae physice producit et infundit gratiam, sed huius virtutis et actionis divinae expressio sensibilis est ipsum visibile sacramentum, a Deo ad hoc institutum et a Deo per suos ministros ad hoc adhibitum, eo fere modo, quo verbum sensibile Filii Dei: *Lazare veni foras, Puella surge* (Jo. 11, 43; Luc. 8, 54), expressio erat divinae virtutis et operationis, quae physice excitabat mortuos, vel quo manus Christi, cum tactu sanabat, vere dici poterat instrumentum sanationis physicum, quod per illam Christus suam virtutem divinam, quae causa erat physica sanationis, derivaret in infirmum, ei applicaret atque exsereret. Et haec causalitas est distincta ab illa *morali,* quam supra asseruimus. Verba enim illa et tactus Christi vere causabant resuscitationem et sanationem, non tam propter dignitatem, sed propter efficaciam, quae his verbis inerat, eo quod verba erant Filii Dei. Simili modo sacramenta, tamquam verba practica vel instrumenta Filii Dei producunt gratiam. Perinde enim est, nec causalitatis ratio mutatur, sive per se sive per ministrum aliquis voluntatem suam exprimat (1).

---

(1) Haec physica causalitas melius intelligitur, si discrimen advertatur inter operationem primae causae et secundae. Deus enim sola sua voluntate etiam physice operatur; causa secunda autem physice nihil operari potest, quin vires suas in subiectum exserat. Imperium nostrum tantummodo causa moralis, imperium divinum etiam causa physica esse potest. Atqui sacramenta sunt expressio practica huius divinae voluntatis, qua gratiam physice in anima producit: ergo. Cf. Egger n. 442.

Speciali itaque modo virtus et omnipotentia divina inest sacramentis non solum quod tamquam actiones Christi Redemptoris ex dignitate sua supernaturali exigunt coniunctionem divinae omnipotentiae et bonitatis ad conferendam gratiam initiatis, quod a nemine negari potest; sed etiam quod per sacramenta tamquam practicum verbum suum Deus in illo et per illud virtutem sanctificatricem exserit, et sensibiliter manifestat illamque initiatis applicat. Quae inhabitatio Dei physice operantis non est a priori seiungenda, quae potius tamquam ratio et vinculum huius posterioris concipienda est. Talem causalitatem saltem quoad substantiam defendunt theologi plures et auctoritate graves, ut s. Bonaventura, Scotus, Canus, Vasquez, Lugo, Becanus, Frassen, Tournely, Arriaga, Pallavicini, Franzelin aliique recentiores. Alii vero numero plurimi et auctoritate certe non inferiores, ut Thomistae fere omnes, Suarez, Salmanticenses, Bellarminus, Valentia, Toletus, Schäzler, Oswald etc. illam explicationem insufficientem censentes, causalitatem *physicam* sacramentorum tuentur eo sensu, quod ipsum signum sacramentale, per se spectatum et distincte ab illa insidente virtute Dei, physice per *qualitatem* aliquam ei *impressam* vel per *virtutem obedientialem* in animam agat et gratiam producat. Hanc sententiam idcirco non amplectimur, quod ea non sit necessaria, pluribus obnoxia sit difficultatibus magnaque obscuritate involvat doctrinam de sacramentis (1).

---

(1) « Valde enim difficile est intelligere, inquit s. Bonaventura, qualiter illa virtus detur sicut qualitas absoluta; difficilius, quando detur. Difficile est etiam intelligere, cui datur, verbo scilicet an elemento; quae sunt duo nihil unum facientia. Difficile est etiam scire, quamdiu duret. Difficile est similiter valde intelligere, quomodo influat. Difficile etiam, cuius natura sit in se ipsa, et multa talia » *In 4. dist. 1. p. 1. q. 4. a. 2.* Cf. Franzelin th. X et XI.

ARTICULUS II.

De gratia, quam conferunt.

797. Effectus omnibus sacramentis communis est gratia *sanctificans* et gratia *sacramentalis*.

A) De gratia sanctificante.

Omnia novae legis sacramenta rite ea suscipientibus conferre gratiam sanctificantem seu habitualem constat ex hactenus disputatis et *de fide* tenendum est. Haec porro sanctificans gratia vel primum infunditur homini destituto omni gratiae gradu ideoque existenti in peccato mortali, et dicitur gratia *prima;* vel homini iam in statu gratiae constituto eiusdem datur augmentum, et appellatur gratia *secunda*. De hoc itaque effectu statuendum est:

1. *Duo tantum sacramenta, nempe baptismus et poenitentia per se primo conferunt primam gratiam, cetera vero secundam gratiam.* Nam Christus instituit baptismum per modum regenerationis spiritualis, et ad tollendum peccatum originale, et personale ante baptismum commissum: poenitentiam ad remittenda peccata mortalia post baptismum commissa, et ad recuperandam gratiam per illa amissam; ergo. Hinc duo haec sacramenta utpote quae ad vitam spiritualiter mortuis dandam instituta sunt, dicuntur etiam sacramenta *mortuorum*. — Cetera vero quinque sacramenta vitam spiritualem iam supponunt, et ad illam corroborandam, alendam et augendam instituit Christus, ideoque dicuntur sacramenta *vivorum*.

2. *Per accidens sacramenta mortuorum conferre possunt gratiam secundam, et sacramenta vivorum gratiam primam.* Prima pars est *theologice certa* et evidenter sequitur ex Tridentino, iuxta quod haec duo constant: primo contritionem caritate perfectam statim hominem iustificare ante actualem sacramenti susceptionem, et secundo sacramenta obicem non ponentibus gratiam infallibiliter conferre. Si quis igitur perfecte contritus adeoque iustificatus accedit ad poenitentiam, cum haec infallibiliter gratiam conferat, nonnisi eius augmentum recipere potest. — Altera pars continet doctrinam *communiorem*. Hoc vero accedit, quando quis sacramenta vivorum suscipit *a)* in statu peccati mortalis,

b) quin *hoc sciat*, et *c)* est attritus. Nam secundum canonem Tridentini supra allegatum, omnia sacramenta gratiam conferunt non ponentibus obicem. Atqui peccator cum ignorantia invincibili peccati sui, bona fide, et attritione generali de omnibus peccatis suis, ad sacramenta vivorum accedens, non ponit gratiae obicem. Ergo. *Minor* patet; non enim *a)* ponit obicem ratione peccati actualis, quia accedit bona fide; non *b)* ratione peccati habitualis, quia peccatum habituale invincibiliter ignoratum, et generali attritione retractatum non est obex gratiae; sicut juxta communissimam hodie sententiam non est gratiae obex in extrema unctione.

3. *Certum est, idem sacramentum generatim loquendo aequaliter dispositis aequalem, inaequaliter dispositis inaequalem conferre gratiam.* Ita Trident. (sess. 7. cap. 7): « Unusquisque (recipit) suam (iustitiam) secundum mensuram, quam Spiritus s. partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem ». Ratio est, quia sacramenta, ex opere operato gratiam conferentia, operantur ut causae naturales necessariae, quae plus vel minus operantur in subiecto, secundum majorem vel minorem ejus dispositionem. Ita eadem lux crystallum purius magis illuminat. Adde quod hoc maxime conveniens fuerit, ut homines magis excitarentur ad adhibendam meliorem dispositionem. Utrum vero *omnia* sacramenta *respective ad se* invicem, sopposita in subiecto aequali dispositione, aequalem conferant gratiam, res est incerta.

798. *B) De gratia sacramentali.*

1. *Omnia et singula sacramenta praeter gratiam sanctificantem habent peculiares gratias sacramentales, quas conferunt.* Ita omnes, et probatur *a)* quia sacramenta ordinantur ad distinctos fines: ergo debent habere distinctos effectus; *b)* quia si omnia haberent eundum effectum, non differrent formaliter in ratione sacramenti, i. e. in significatione et causalitate gratiae, sed tantum materialiter in ritu seu externa caerimonia. Unde sequeretur: primo, quaedam non esse magis necessaria ad salutem, quam alia; secundo, non posse dari causam, cur tam multa sint a Christo instituta.

2. *Gratia sacramentalis non addit aliquem habitum supra gratiam justificantem.* Est sententia communis, et probatur, quia

talis habitus vel esset in essentia animae, vel in potentiis. Non primum, quia ad sanctificandam animam sufficit gratia sanctificans, et nequit fingi alius finis et effectus, propter quem hujusmodi habitus ponatur in anima. Nec secundum, quia in potentiis solum ponuntur habitus, qui sunt principia actuum supernaturalium. Sed omnes actus supernaturales possunt elici a virtutibus theologicis et moralibus. Ergo non est opus aliis habitibus ab illis virtutibus distinctis, qui per sacramenta conferuntur.

3. *Gratias sacramentalis supra gratiam justificantem addit speciale aliquod auxilium gratiae actualis ordinatum ad proprium finem sacramenti.* Unde ipsamet gratia justificans, quatenus datur per tale sacramentum, et quatenus habet jus ad tale auxilium gratiae actualis necessarium ad talem finem potest dici gratia sacramentalis. Sic baptismus ordinatur ad hunc finem, ut homo spirituatiter renascatur et digne suscipiat alia sacramenta, debet ergo conferre gratiam non solum justificantem, per quam fiat regeneratio, sed etiam excitantem et adiuvantem ad vitam christianam degendam et ad digne suscipienda reliqua sacramenta, quando opus est. Confirmatio ad nos in fide corroborandos instituta, dat jus ad gratias actuales necessarias ad fidem Christi fortiter profitendam: Eucharistia dat gratias actuales ad caritatem nutriendam, i. e. conservandam et augendam: poenitentia tum ad plenius pro peccatis satisfaciendum, tum ad ea in posterum vitanda: extrema unctio ad tollendas reliquias peccatorum, et vincendas tentationes, quae in mortis articulo occurrunt: ordo et matrimonium ad utriusque status officia et obligationes pie et sancte exequenda.

Hinc sequitur: primo, jus quidem non vero gratias actuales statim a suscepto sacramento conferri, sed has tantum successive et opportuno tempore; secundo, illas non conferri physice per sacramenta sed tantum moraliter, quia conferuntur quando sacramenta physice non existunt.

799. Scholion. *De reviviscentia sacramentorum.* Distinximus superius duplicem obicem (fictionem): alterum sacramenti, qui hujus impedit valorem; alterum gratiae, qui, consistente sacramento, ejus impedit fructum. Hic de hoc altero agitur, nam certum est, sublato obice sacramenti valorem impediente, non reviviscere sacramentum, quia sacramentum nullum fuit: quod au-

tem non fuit, non potest reviviscere. Sic baptismus collatus adulto carenti voluntate illum suscipiendi, nullus est, et semper manet nullus, etiam si intentio, quae defuit, postea ponatur.

Quaeritur igitur, utrum sacramentum, valide sed sine fructu susceptum, sublato obice gratiae, gratiam postea conferat, seu, ut ajunt, reviviscat (1). Baptismus cum fictione seu obice, sive culpabiliter sive inculpabiliter susceptus, remoto per subsequentem dispositionem obice, reviviscit, gratiamque ex opere operato confert. Est communissima theologorum sententia post Augustini tempora, qui docet, baptismum cum fictione seu obice schismatis vel haeresis susceptum reviviscere, et redeunti ad unitatem Ecclesiae valere ad remissionem peccatorum, ideoque ad infusionem gratiae sanctificantis, sine qua peccata non remittuntur. Et sane, hominis justificatio sine baptismo aut ejus voto fieri non potest Trident. (sess. 6. cap. 4); ergo nisi baptismi gratia, sublato obice, suscitetur, omnis, qui semel cum obice sacramentum hoc receperit, quidquid ageret, ab omni spe salutis remaneret exclusus. Nam sacramentum iterari non potest, neque etiam votum haberi potest illius quod suscipere non licet. Par est confirmationis et ordinis ratio, quae per characterem in anima perdurant, neque ubi semel suscepta fuerint, iterari possunt. Necesse esset, eos qui illa semel cum obice receperunt, eorum quoque fructu in perpetuum carere, quod non videtur cum Dei bonitate conciliari posse. Eaedem pene rationes poro matrimonio et extrema unctione militant, quippe quae et ipsa sunt *aliquatenus* initerabilia, quum matrimonium inter eosdem coniuges et extrema unctio durante eodem morbi periculo repeti non possit. Disputatur de poenitentia, negaturque communiter de Eucharistia, praesertim si fictio fuerit formalis et positiva, i. e. si Eucharistiam suscipiens, impedimentum gratiae sciens volensque posuerit, vel minime substulerit.

---

(1) Quoties sacramentum valide quidem sed infructuose suscipitur, dicitur ficte, seu cum fictione suscipi, quasi suscipiens fingat se ad sacramenti fructum dispositum esse, et non sit. Sacramentum sic receptum appellatur validum sed *informe*, dum e contra *formatum*, si cum sacramento fructus eius percipiatur a suscipiente.

ARTICULUS III.

De Charactere.

800. Virtuti sacramentis omnibus communi succedit trium dumtaxat virtus propria, qua characterem imprimunt. Quaestio de characteris *existentia* distinguenda est ab ea de ejusdem *essentia*, quum illa non autem haec Ecclesiae judicio sit definita. Itaque:

801. *A) De characteris existentia.*

Prop. 118. **Tria sacramenta baptismus, confirmatio et ordo characterem in anima imprimunt, signum videlicet quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt.**

De fide ex conc. Trident. (sess. 7. can. 9): « Si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt; a. s. »

Demonstr. I. Doctrina de sacramentis imprimentibus characterem, a quatuor saltem saeculis ante exortas Protestantium haereses, ut res indubitata ab omnibus in Ecclesia admittebatur. Ea enim jam ante solemnem Tridentini definitionem diserte declaratur a conc. Florentino, ut certa supponitur a Pontificibus praesertim Innocentio III (1), Gregorio IX (2) et constanti et plenissimo consensu tamquam catholica inde a saec. XII ab universa schola proponebatur. Atqui universalis consensio in aliquam doctrinam tamquam dogma fidei semper habita est *theoretice* et *practice* ut criterium tutissimum apostolicitatis illius doctrinae, ut ex Tractatu de Traditione supponimus: ergo doctrina de characteris existentia est apostolicae originis.

802. II. Ut tum scientiae theologicae ad distinctiorem intellectum fundamentorum fidei tum exigentiae polemicae ad abundantiorem defensionem dogmatis directe satisfiat, praestat continuam prose-

(1) Cap. *Maiores* (Decretal. l. 3. tit. 42. c. 3). — (2) Cap. *Consultationi* (l. 1. tit. 11. c. 16).

qui testificationis seriem usque ad aetatem apostolicam, ex qua manifestum ex ipsis fontibus fiet, conciliorum definitionem non novitatem contra antiquitatem, sed antiquitatis explicationem esse, dum « quod fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria excultum est et observatum » (1). Itaque *a)* saec. V in controversia contra Donatistas, hoc proponebant et defendebant catholici: tria sacramenta baptismum, chrisma et ordinem semel collata ita haerere, ut eadem iterare numquam liceat. Neque Donatistae negabant, haec tria sacramenta valide iterari non posse; sed ea putabant ab haereticis valide ministrari non posse, adeoque nullum omnino producere effectum, et ideo a legitimis ministris Ecclesiae non utique repetenda sed primum conferenda esse. Hinc Augustinus nomine totius Ecclesiae distinguens effectum gratiae Spiritus sancti, quae non potest esse nisi in bonis, et effectum alium collatum per sacramentum ac permanentem etiam in malis, concessit quidem, haec sacramenta in iis, qui ficte i. e. sine fide vel gratiae statu ea suscipiunt, gratiam non conferre sed contendit, illa, ubicumque servatis ritibus administrentur, habere aliquem effectum in initiatis independentem a gratia, perpetuo haerentem et indelebilem, qui maneat etiam in fugitivis a Deo et ab Ecclesia. Declarat autem id, quod manet et haeret, esse sigillum, signum, characterem (utique spiritualem), impressum h. e. qui afficiat ipsam animam, et quo maneat homo specialiter consecratus, et tamquam ovis, miles, minister perpetuo obligatus pastori et imperatori Christo. « Baptizatus in Ecclesia, inquit Augustinus, si fuerit desertor Ecclesiae, sanctitate vitae carebit, sacramenti *signaculo* non carebit... sicut desertor militiae caret legitima societate, non caret regio charactere » (2); et: « Ovis es, ait Donatistae, de grege Domini mei, *cum signo errasti;* ideo quaero magis, quia *ipsum signum habes....* Nescis, quia desertor de charactere damnatur, de quo militans honoratur? Ideo te quaero, ut *non pereas cum signo....* Hoc enim signum salutis *extra tibi inesse potest,* prodesse non potest » (3); et: « Quod accepisti, approbo, quia foris accepisti improbo.... *character est regis* mei, non ero sacrilegus; corrigo desertorem, non immuto chara-

(1) Lirinens. c. 30. — (2) *Serm.* 8. n. 2. — (3) *Ad pleb. Caesar.* n. 4.

cterem » (1). « Sacramentum chrismatis.... in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse in hominibus pessimis » (2). Item de episcopis redeuntibus ex schismate dicit, quod « sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra.... non eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos » (3). Haec autem sacramenta non haerent quoad ritum externum, neque quoad extrinsecam denominationem, quia relate ad hoc non differunt ab aliis sacramentis, sed propter intrinsecam consecrationem « quae consecratio reum quidem facit haereticum extra Domini gregem habentem *characterem*, corrigendum tamen admonet sana doctrina, non iterum similiter consecrandum » (4).

b) Eadem doctrina citra scopum tamen polemicum proponitur et inculcatur a Patribus saec. IV. Ambrosius: « Spiritu sancto signamur, ut splendorem atque imaginem ejus et gratiam tenere possimus, quod est utique spiritale signaculum: nam etsi specie signamur in corpore, veritate tamen in corde signamur, ut Spiritus sanctus exprimat in nobis imaginis coelestis effigiem » (5). Hujus characteris munus est, ut per illum « cognoscamur, etiam quando desertores evadimus » (6), ut « sit maximum praesidium in vita ad securitatem; ovis enim signata non facile patet insidiis, quae vero sine signo est, a furibus facile rapitur » (7), ut angeli « eum tueantur utpote aliquam suae familiae » (8), atque adeo eum a gratiae et a ritu externo distinguunt.

c) Cum hac Patrum saec. IV et V doctrina connectuntur et secundum hanc intelligi debent expressiones, quibus inde ab aevo apostolico in parcis, quae supersunt, monumentis baptismus usu valde communi exhibetur ut *sigillum impressum* (Clemens Romanus), ut *sigillum infragile* (Constitutiones Apost.), ut *signaculum in Christo* muniens contra tentationes (Acta s. Teclae), ut *perfecta custodia et sigillum Domini*, ut *signaculum fidei* (Tertullianus); vel confirmatio vocatur *sigillum doni Spiritus sancti*, uti in forma antiquissima in Ecclesia graeca. Imo in Excerptis ex Theodato apud Clementem alex. (n. 86) haec di-

(1) *In Jo. tract.* 6. n. 16. — (2) *Contra litt. Petil.* l. 2. n. 239. — (3) *Contra Parmen.* l. 2. n. 28. — (4) Epist. 98. n. 5 *ad Bonifac.* — (5) *De Spiritu s.* l. 1. c. 6. — (6) Chrysost. *in 2. Cor. hom. 3.* — (7) Gregorius naz. *or. 40. in bapt.* n. 4. — (8) Cyrillus *Catech.* 1. n. 2.

serta saec. II de charactere habentur: « Cum Domino numisma oblatum esset, non dixit: cujus est possessio, sed cujus est imago et superscriptio? Caesaris; ut cujus esset, illi redderetur. Sic et fidelis Dei nomen per Christum sibi superscriptum habet, spiritum autem veluti imaginem. Quandoquidem et muta animalia per signaculum ostendunt cujus unumquodque pecus sit, et ex signo hoc vindicantur: sic et anima fidelis, quae veritatis *sigillum* accepit, *stigmata* (notas impressas) Christi portat. »

803. III. Nec omnino desunt loca Scripturarum, in quibus, posita constanti doctrina Patrum, videri possit adumbratus character sacramentalis. Paulus enim (2. Cor. 1, 21) scribit: *Qui unxit nos Deus; qui et signavit (ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς), et dedit pignus spiritus in cordibus nostris;* et (Eph. 1, 13): *Et credentes signati estis spiritu promissionis sanctae;* et (4, 30): *Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei; in quo signati estis in diem redemptionis.* Collata hac doctrina de *unctione, impressione sigilli* et de *pignore spiritus s.* inhabitantis, et praesertim phraseologia Pauli cum ea, quam distinctius explicatam et frequentatam vidimus penes Patres, apparet hanc ex illa esse desumptam et ad illius loquendi rationem esse expressam. Imo quum ex traditionis argumento jam constet, Apostolos doctrinam de charactere tradidisse Ecclesiae, atque adeo eandem, ut veritatem revelatam credendam et docendam in mente gessisse et habuisse in intellectu, sequitur non potuisse eos de *sigillo* et *obsignatione* christianorum per aliqua sacramenta eo modo loqui, quo in epistolis Pauli legimus, quin res characteris sacramentalis, cujus sensu tamquam veritatis credendae et docendae erant a spiritu sancto imbuti, ipsis scribentibus obversaretur et eum sensum suis verbis subiicerent. Quare, licet ex Scriptura, solis adhibitis canonibus interpretationis grammaticis, doctrina de characteris impressione nequeat evinci; potest tamen sufficienter demonstrari, doctrinam hanc in divinis literis insinuari et contineri, si interpretatio ad normam intellectus catholici dirigatur, quem esse canonem interpretationis principem ex Tractatu de Traditione constat; eoque magis quod huic interpretationi nullus prorsus canon hermeneuticus internus adversetur.

804. **Corollarium** 1. Sigillum seu character dicitur dupliciter, proprie, scilicet ipsum signum impressum et metonymice instru-

mentum imprimens, derivatione nominis ab effectu ad causam. Hoc altero modo aliquando ipsum sacramentum metonymice appellatur sigillum seu character, in qua appellatione adsignificatur signum impressum vel imprimendum tamquam effectus sacramenti signantis.

805. **Corollarium** 2. Ex impressione characteris infertur quidem non iteratio horum sacramentorum (cf. Trident. sess. 7. can. 9), non tamen ordine inverso ex non iteratione licet, absolute et abstracte loquendo, concludere ad characteris impressionem; quia non iterationis posset assignari alia ratio v. g. sola Dei voluntas vel praeceptum, ut patet in prima tonsura, in consecratione calicum, Ecclesiarum etc. Dico *absolute* et *abstracte* loquendo, quia si negatio repetitionis spectatur, ut nobis ex traditione innotescit, in doctrina de non repetendis his sacramentis continetur doctrina de impressione characteris, quum doceatur haec sacramenta ideo repeti non posse quia indelebilem conferunt ontologicam consecrationem, i. e. propter characterem.

806. *B) De essentia characteris.*

In characteris naturam inquirentes statuimus:

1. Uti certum tenendum esse videtur contra Durandum, characterem non esse, relationem tantum rationis et denominationem externam, qualis est in cive ad munus aliquod deputato a magistratu, sed *aliquid reale animae inhaerens.* Constat ex verbis Tridentini characterem definientis *signum quoddam spirituale et indelebile,* quod in anima *imprimitur;* ex Patribus, qui constanter docent, tria illa sacramenta perpetuo *inesse, manere, haerere;* qui illum illustrant ex notis nummo, ovi, militi realiter impressis; quique hoc muneris ei tribuunt, ut per illum discernamur et recognoscamur ab angelis etc. Profecto haec et alia his gemina designant aliquam supernaturalem qualitatem (1) permanentem in anima, non extrinsecam tantummodo deputationem et relationem, quae ex praeterito sacramento suscepto mente

---

(1) Inter nomina, quibus haec realitas superaddita exprimi potest, nullum aptius est illo *qualitatis;* nam per characterem, si est aliquid reale, constituitur in anima aliqua modificatio, quae de anima ipsa praedicanda foret, si quaeratur: *qualis* per characterem facta sit? S. Thomas revocat illam ad secundam speciem *qualitatis* i. e. ad *potentiam.* Cf. 3. p. q. 63. a. 2. Est porro *supernaturalis* tum ratione causae unde est, tum ratione finis ad quem ordinatur.

concipiatur; eo vel magis quod talis relatio omnibus sacramentis communis est.

2.° Haec supernaturalis qualitas consistit in *quadam consecratione permanente ad Christum* ut apta reddantur membra ejus familiae atque participes fideles functionum ipsius capitis passive et active ad cultum Dei, a gratia distincta. Ita characterem describunt passim Patres. Augustinus v. g.: « Utrumque sacramentum est et quadam *consecratione* utrumque homini datur: illud cum baptizatur, istud cum ordinatur; *ideoque* in catholica utrumque non licet iterari » (1). Charactere, aiunt alii Patres, addicimur Christi familiae, agnoscimur ut pertinentes ad familiam Dei: « Sicut circumcisus, inquit Cyrillus alex. in Dei populum per id signum olim cooptabatur, sic baptizatus Christo in se sigilli instar recepto inter filios Dei adscribitur » (2). Character igitur hominem addicit, obligat et obstringit ad Christum ejusque familiam.

Porro in Christi familia adhuc militante triplex ordinum distinctio considerari potest, cui tres respondent consecrationes seu characteres distincti. Sicut enim Christus est *rex*, *propheta* et *sacerdos*; ita pro triplici hoc munere respondet in ejus familia triplex fidelium status, *subditorum* simpliciter, *certantium* bonum certamen pro fide, et *ministrantium* in mysteriis redemptionis; unde fit quod, per triplicem characterem baptismi, confirmationis et ordinis, triplex habeatur obligatio et consecratio sive *civium* ad Christum regem, sive *militantium pro fide* ad Christum prophetam seu magistrum, sive *ministrorum* ad Christum sacerdotem magnum.

3.° Haec autem consecratio ad Christum consistit *in participatione quadam et assimilatione sacerdotii Christi.* Per tria enim illa sacramenta fideles ad cultum divinum sive passive recipiendo quaedam sacra sive active eadem aliis tradendo deputantur. Jam vero omnis potestas in cultu divino secundum ritum christianum est quaedam participatio ex sacerdotio Christi, cui per illam, quatenus formaliter est summus sacerdos, quodammodo assimilamur. Unde character est *sigillum* ac velut diploma divinum *sacrae hujus potestatis.* Et hinc quoque fit, ut revera

---

(1) L. 2. *contra epist. Parmeniani* c. 13. n. 28. — (2) *In Luc.* 2, 22.

nonnisi in iis sacramentis imprimatur character, quae aliquam novam conferunt potentiam seu idoneitatem spiritualem sive activam sive passivam. Totam hanc doctrinam tradit et declarat s. Thomas. « Secundum propriam rationem.... character est signum configurativum alicui principali, apud quem residet auctoritas ejus ad quod aliquis deputatur, sicut milites, qui deputantur ad pugnam insigniuntur signo ducis, quo quodammodo ei configurantur. Et hoc modo illi qui deputantur ad cultum christianum cujus auctor est Christus, characterem accipiunt, quo Christo configurantur; unde proprie est character Christi.... Totus ritus christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. Et ideo manifestum, quod character sacramentalis specialiter est character Christi, cujus sacerdotio configurantur fideles secundum characteres sacramentales, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi ab ipso Christo derivatae » gradu tamen diverso pro diversis characteribus (1).

807. **Corollarium** 1. Ex his apparet, cur character sit *indelebilis*. Est enim quaedam consecratio tamdiu duratura quamdiu subiectum. Id « patet etiam in rebus inanimatis: nam ecclesiae vel altaris manet consecratio semper, nisi destruatur... » Anima autem est immortalis: ergo « post hanc vitam remanet character et in bonis ad eorum gloriam, et in malis ad eorum ignominiam; sicut etiam militaris character remanet in militibus post adeptam victoriam et in his, qui vicerunt, ad gloriam, et in his, qui victi sunt, ad poenam » (2). Quoad hanc vitam indelebilitas characteris

---

(1) P. 3. q. 63. a. 3. — (2) Ibid. a. 5. in corp. Cf. etiam prop. 28. Rosminii. — Analogiam inter ideam charateris naturalis et characterem supernaturalem ita describit Monsabré *op. cit. Conf.* 63: « Voi dite d' un uomo, che egli ha carattere. Come lo sapete voi? Se voi da vicino o da lontano avete considerate le vicende agitate della sua esistenza: se voi l' avete veduto dibattersi nelle grandi lotte, con indomabile coraggio lavorare al trionfo de' suoi disegni, superare intrepido tutti gli ostacoli, finalmente soccombere sotto i colpi della forza ch' egli disprezza, o coronato di gloria riposarsi sugli allori, alla buon' ora! Sì, questo uomo è di carattere....

Ma un uomo che voi vedete per la prima volta e tosto non vedrete più; un uomo che non si è fermato dinanzi a voi che un quarto d' ora, un uomo piccolo, che voi dominate collo sguardo, voi dite di lui: « Egli è di carattere. » Come lo sapete voi? Voi lo sapete, osservando le rapide manifestazioni della sua fisonomia. Voi non avete veduto in lui una fronte bassa e che fugge indietro, occhi oscuri, tratti flosci, labbra molli e languide: voi avete veduta una fronte nobile come d' un monumento, occhi che scintillavano e penetra-

est *de fide,* quoad alteram est sententia communis et certa, praesertim respectu beatorum.

808. **Corollarium** 2. Ex declaratis patet, characterem, quamvis non sit donum per se sanctificans, habere tamen cum gratia connexionem, quatenus Deus, quantum ex se est, potestati spirituali et characteri gratiam semper vult esse connexam, et quatenus character impressus in anima habet ordinem et congruam relationem tum ad conferenda adiutoria interna, tum ad custodiam specialem bonorum angelorum et ad arcendas tentationes daemonum, ut satis clare colligitur e Patrum effatis, qui charaterem saepe considerant in actuali coniunctione cum gratia ac proinde *plene:* quocirca loquuntur de obsignatione per gratiam, ad futuram haereditatem etc. Hinc character vocatur a theologis *res* et *sacramentum*, quippe qui tum a visibili sacramento efficitur, tum simul significat gratiam sanctificantem, a qua, pro beneplacito Dei, numquam debet esse seiunctus.

---

vano nei vostri come un lampo rapidissimo o come un raggio di sole: lineamenti a tutto rilievo: labbra ferme: in una parola. voi avete veduta una fisonomia, questa fisionomia vi ha manifestata una potenza e allora avete detto: « Questo è un uomo di carattere, perchè chi non ha forza, non ha fisionomia, chi non ha fisionomia, nè forza, non ha carattere. » Ora, o Signori, questo fenomeno della nostra vita esterna si riproduce per analogia nella nostra vita interna, mediante la virtù dei sacramenti, poichè il carattere sacramentale risulta esso pure dalla fisionomia e dalla forza. »

TRACTATUS VII.

DE BAPTISMO.

809. Baptismus (a *βαπτίζω* vel *βάπτω abluo)* significat:

1.° *Litteraliter*, et proprie immersionem ut (Judith. 12, 7): *Et exibat noctibus, et baptizabat se in fonte aquæ;*

2.° *Metaphorice,* bonorum vel malorum abundantiam, qua veluti flumine homo mergitur, ut (Marc. 10, 38): *Potestis bibere calicem, aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* vel (Act. 1, 5): *Baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies;*

3.° *Usu ecclesiastico,* ritum illum sacrum ablutionis, qui est primum inter septem n. L. sacramenta, et definitur a catechismo romano: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitae* (1), vel explicatius a theologis: *Sacramentum a Christo Domino institutum, in quo per ablutionem exteriorem corporis, sub invocatione ss. Trinitatis, homo spiritualiter regeneratur.* In utraque definitione nomine *sacramenti* genus proximum omnibus sacramentis novae legis commune, verbo autem *regenerationis* vel *regeneratur* differentia ultima exprimitur, qua Baptismus a ceteris sacramentis distinguitur; solus enim est Baptismus qui regenerat, quippe qui dat primam vitam spiritualem ac supernaturalem iis, qui naturalem acceperunt. Nam regenerare est quasi secundo generare, vitae naturali spiritualem seu supernaturalem superaddendo. Porro nullum aliud sacramentum, nec poenitentia quidem regenerare dicitur, nam haec non dat primam vitam spiritualem, sed eam post Baptismum per peccatum mortale amissam restituit; ideoque est sacramentum

(1) P. 2. c. 2. q. 5.

ad suscitationem spiritualem potius, quam ad regenerationem institutum.

810. Aliis quoque iisque præclaris nominibus solet Baptismus a Scripturis et Patribus insigniri. Appellatur enim a materia *lavacrum aquae* (Eph. 5, 26); ab effectibus *lavacrum regenerationis et renovationis* (Tit. 3, 5), et ratione fidei, qua de potestate tenebrarum transferimur in admirabile lumen, *illuminatio,* quae appellatio graecis praesertim Patribus familiaris est, eademque de causa *sacramentum fidei* a Patribus Tridentinis (sess. 6. cap. 7); a charactere *sigillum, signaculum* (Cyrillus Hier.); a forma *sacramentum Trinitatis* (Greg. naz.); a caeremoniis *unctio, amictus splendidus, candidum vestimentum,* etc. (iidem aliique) (1).

Praecipui, quibus praefiguratus fuit, typi sunt: praeprimis *circumcisio* et *Baptismus* Joannis; deinde *diluvium et arca Noe* (1. Petr. 3, 20), *transitus maris rubri,* (1. Cor. 10, 1), *ablutio Naaman Syri* (4. Reg. 5, 14), *lotiones legales Judæorum, probatica piscina* (Jo. 5, 2), *aqua profluens ex latere* Christi (Jo. 19, 34). Frequenter etiam primis Ecclesiae saeculis figurabatur Baptismus per piscinam seu vivarium, ubi Christus mysticus piscis *(ἰχϑὺς)* (2) cum fidelibus, qui in eo veluti pisciculi nascuntur, tamquam in suo elemento habitaret; juxta illud Tertulliani: « Nos pisciculi secundum *ἰχϑὺν* nostrum Jesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus » (3). Denique luculentissime Baptismi mysterium manifestatum potius quam adumbratum fuit, quando, Christo in Jordane baptizato, coeli aperti sunt, et ss. Trinitatis majestas apparuit.

Ex his facile hujus sacramenti pretium intelliges; de quo dogmatice spectato breviter quaeremus 1.° naturam, 2.° proprietates et effectus, 3.° subiectum et ministrum.

---

(1) Cf. Catechismum Rom. P. 2. c. 2. q. 4 et 9.

(2) Vox *ἰχϑὺς* est acrostichis vocabulorum *Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ.* — (3) *De Bapt.* c. 1.

ARTICULUS I.

De natura Baptismi.

811. Prop. 119. **Baptismus est verum sacramentum, cujus materia remota est aqua naturalis, proxima est tam immersio quam infusio et aspersio: forma autem consistit in trium personarum divinarum invocatione et in actus Baptismi expressione.**

Demonstr. i. p. *Est verum sacramentum.* — Est *de fide* ex conc. Florent. et Trident. In hoc consentiunt omnes christiani, sive orthodoxi sive haeretici, neque ullus unquam de hoc dubitavit. Praeterea ex (Jo. 3, 5 et Matth. 28, 19) evidenter colligitur, tria sacramenti essentialia elementa in eo reperiri: ritum nempe sensibilem, promissionem ei adnexam gratiae, et institutionem divinam seu mandatum illum observandi; ergo.

812. De *tempore,* quo Christus baptismum instituerit, ss. Patres et theologi variant. Quidam volunt, Baptismum institutum esse *post Christi resurrectionem,* quando ipse Christus dixit Apostolis (Matth. 28, 19): *Euntes* etc. Alii volunt, eum esse institutum *ante Christi passionem,* quo autem accurate tempore, in hoc non conveniunt. Quidam dicunt, baptismum institutum esse tunc, cum Christus Nicodemo dixit (Jo. 3, 5 sq.): *Nisi quis renatus* etc. Alii censent, institutum esse tunc, cum Christus (Jo. 3, 22) discipulos misit ad baptizandum. Alii denique affirmant, institutum esse, quando Christus baptizatus fuit in Jordane.

His ultimis etiam nos consentimus; cum multi Patres, s. Thomas, Catechismus Rom. eandem sententiam tueantur. Dicimus igitur, Baptismum verisimiliter *institutum* esse, cum Christus in Jordane baptizatus fuit et sic aquis vim sanctificandi contulit (1); *promulgationem* autem Baptismi et *obligationem* il-

---

(1) Congruentiae rationem vide penes s. Thomam 3. q. 66. a. 2, qui (et cum Catech. Rom.) annotat: « Etiam ante passionem Christi Baptismus habebat efficaciam a Christi passione, in quantum eam praefigurabat, aliter tamen quam sacramenta veteris legis: nam illa erant figurae tantum; Baptis-

lum suscipiendi factam esse demum post resurrectionem, verisimiliter verbis Domini ad Apostolos factis: *Euntes in universum mundum* etc. (1).

813. Demonstr. ii. p. *Materia remota in baptismo est aqua vera et naturalis.* — Est *de fide* contra Socinianos Christi verba (Jo. 3, 5) de aqua *metaphorica* intelligentes, ex conc. Trident. (sess. 7. can. 2): « Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa D. N. J. Christi: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu s.*, ad metaphoram aliquam detorserit; a. s. »

Constat ex verbis Christi mox citatis: *Nisi* etc., in quibus nulla est ratio suspicandi metaphoram, quae insuper excluditur constanti Apostolorum praxi, qui aqua naturali semper usi sunt. Sic (Act. 8, 36 sq.) Philippo diacono annuntiante necessitatem Baptismi, dixit Eunuchus: *Ecce aqua quid prohibet me baptizari?* subditurque, *descenderunt uterque in aquam.... et baptizavit eum;* similiter (ib. 10, 47) Petrus, effusa visibiliter supra Cornelii familiam Spiritus s. gratia, intulit, *numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum s. acceperunt sicut et nos?* — Accedit luculenta traditio *theoretica* et *practica.* — Ratio a priori est voluntas Christi; ratio convenientiae est, quia aqua vera et naturalis est aptissima tum ad effectus Baptismi repraesentandos; tum ad sacramentum omnibus necessarium conficiendum, cum sit communissima, illiusque usus facillimus (2).

Dices: Joannes (Matth. 3, 11) de se et Christo ait: *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam... ipse vos baptizabit in Spiritu s. et igni:* ergo aqua non est materia baptismi. - *Resp. Dist.* Compa-

---

mus autem ab ipso Christo virtutem habebat iustificandi, per cuius virtutem ipsa etiam passio salutifera fuit » l. c. ad 1.

(1) Cf. Catech. Rom. P. 2. c. 2. q. 20 et 21.

(2) Convenientiam ex triplici capite indicat s. Thomas (3. q. 66. a. 3): Primo quidem quantum ad ipsam rationem Baptismi, qui est generatio in spiritualem vitam; quod maxime congruit aquae: unde et semina, ex quibus generantur omnia viventia, scilicet plantae, et animalia, humida sunt, et ad aquam pertinent: propter quod quidam philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium: secundo quantum ad effectus Baptismi, quibus competunt aquae proprietates, quae sua humiditate lavat; ex quo conveniens est ad significandam, et causandam ablutionem peccatorum: sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris; et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis: sua diaphaneitate est luminis susceptiva; unde competit Baptismo, in quantum est fidei sacramentum: tertio, quia convenit ad repraesentandum

ratio illa est ratione *ritus, neg.;* ratione *effectus, conc.* Per ignem significatur ardens caritas, quam diffundit aqua foecundata per virtutem Spiritus s. dum Baptismus Joannis fiebat ex aqua sterili, cuius applicatio nihil efficiebat ex opere operato.

814. Demonstr. III. p. *Materia proxima est tam immersio quam infusio et aspersio.* — Materia proxima generatim est usus et applicatio materiae remotae; atqui usus et applicatio aquae naturalis est ablutio: ergo haec est materia Baptismi proxima. Porro ablutio triplici modo fieri potest: *immersione, infusione, aspersione.* Quaeritur jam quinam ex his abluendi modis sit necessarius.

Baptismum valere per *immersionem* constat evidenter tum ex Scriptura (Act. 10, 38; coll. Rom. 6, 3), tum ex praxi universali Ecclesiae primis XII saeculis; et hoc nemo negat. Spectamus itaque tantum ablutionis modum per *infusionem* et *aspersionem*, qua de re notandum est, quod de infusione dicetur, illud de aspersione quoque intelligi oportere; quippe quae non est nisi specialis infusionis vel affusionis modus. Haec pars thesis est contra Graecos *certa; imo ad fidem pertinet,* quatenus enunciat Ecclesiae Romanae circa Baptismum doctrinam, quae definitur esse vera a Trident. (sess. 7, can. 3).

815. Probatur *a)* ex Scriptura, in qua legitur (Act. 2, 41; 16, 33) una die tria, altera quinque millia hominum fuisse baptizatos, et (Act. 6, 26) in carcere custodi cum tota familia fuisse a Paulo et Sila collatum Baptismum: quae facta cum ritu immersionis vix explicari possunt. — *b)* Ex Baptismo *clinicorum,* h. e. in lecto ob gravem morbum decumbentium, qui ab initio in Ecclesia sola aspersione frequentatus, semper pro valido fuit habitus (1).

---

mysteria Christi, quibus iustificamur, ut enim dicit Chrysostomus super illud Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit,* etc. *(hom. 24. in Joan. a med.),* « sicut in quodam sepulchro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur; et submersus deorsum occultatur; et deinde novus rursus ascendit: » quarto quia ratione suae communitatis et abundantiae, est conveniens materia necessitati huius sacramenti; potest enim ubique de facili haberi. »

(1) Ita de Baptismo clinicorum ad *Magnum* consultus respondet Cyprianus: « Nec quamquem movere debet, quod aspergi vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicem consequuntur, quando Scriptura s. per Ezechielem prophetam loquatur et dicat: *Et aspergam super vos aquam mundam* etc. (36, 25). » *Ep.* 76. n. 12. Unde apparet, *aspersionem* quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere.

— *c)* Ex pluribus, quae ex antiquitate suppetunt, documentis. Talia sunt Acta s. Laurentii, qui s. Romanum *aqua ex urceo effusa* baptizavit in carcere; Acta s. Bacchi iunioris, s. Gratiliani et s. Lindgeri episcopi, qui exhortabatur mulieres ut morituros infantes baptizarent *intinctos aqua et superfusos* (1). Huc pertinent imagines de Baptismo, saec. II III et IV in Catacombis depictae in quibus raro reperitur immersio sola, sed cum affusione plerumque coniuncta, et quidem ita, ut in pluribus casibus, potior pars existat in infusione (2). — *d)* Ex rei natura. Lotio requiritur ut interna ablutio significetur. Sed haec sufficienter significatur sive aqua applicetur baptizato immersione sive infusione sive aspersione: ergo (3). Praeterea nisi sufficeret effusio vel aspersio, administratio sacramenti adeo necessarii nonnumquam admodum difficilis vel impossibilis esset; nempe propter aquae defectum, propter baptizandorum infirmitatem etc.

Cum itaque modus abluendi non ad sacramenti substantiam sed ad ritus disciplinae, quae varietati subiicitur, pertineat, Ecclesia omni jure, mutatis circumstantiis gravibusque de causis, modum *affusionis* ceu ordinarium ritum administrationis Baptismi praescribere potuit.

816. *Nota.* Quod ad *numerum ablutionis* attinet, in s. Scriptura nil praescribitur. In antiqua Ecclesia, in personas singulas ss. Trinitatis, nec non in memoriam passionis, sepulturae et resurrectionis Domini, seu in memoriam dierum trium, quibus Christus fuit in sepulchro, *trina* immersio usitata erat; quem numerum Ecclesia, mutato ritu immersionis, in *trina* affusione retinuit ad significandam potissimum ss. Trinitatem; sed sufficit etiam *una* affusio, ut constat ex Gregorio M. ep. *ad Leandrum Hispalensem.*

817. Demonstr. iv. p. Est omnino *certa;* dicitur enim ab Eugenio IV *(Decret. pro Armenis):* « *Forma autem est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Non tamen negamus,

---

(1) Martene *de ant. Eccl. rit. l. 1. c. 1. a. 14.*

(2) Katschthaler *Dogm.* l. 3. p. 2. n. 196, qui adductis iis quae de *imaginibus Callistinis* leguntur apud Rossi et Garrucci concludit, praxim *Latinae* Ecclesiae contra calumnias Graecorum his argumentis, in Catacombis repertis, disertissime defendi.

(3) Cf. s. Thomam 3. q. 66. a. 7.

quin et per illa verba: Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus s.; vel: Baptizetur manibus meis talis in nomine Patris etc., verum perficiatur sacramentum; quoniam cum principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit ss. Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum, si, exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum ss. Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum ».

1. *Trium divinarum Personarum nomina* esse exprimenda, manifestum fit a) ex Christi mandato (Matth. 28, 19): *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus s.;* b) ex traditione: Tertullianus: « Lex tingendi imposita est forma praescripta: *Ite,* inquit, *docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, et Filii et Spiritus s.;* (1) Ambrosius: « Nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus s., remissionem non potest accipere peccatorum » (2), et generatim Patres ad probandam adversus Arianos divinitatem Filii (et Spiritus s.) simpliciter ad Baptismi formam saepius provocarunt. Accedit perpetua Ecclesiae praxis, ut patet ex libris liturgicis Ecclesiae Latinae et Graecae ad formam Baptismi divinarum personarum invocationem expressam requirentibus. c) Ex congruentiae ratione; quum enim Baptismus sit fidei sacramentum, conveniens est, illum institui sub diserta ss. Trinitatis invocatione, utpote quae precipuum est fidei mysterium.

2. *Verba debere actum quoque baptizandi exprimere,* ita ut hae voces *(baptizo te)* aut aliae aequivalentes ad formam Baptismi pertineant, evincitur ex verbis Christi: *Baptizantes eos* etc, ex interpretatione et praxi Ecclesiae, ut patet ex antiquissimis Ritualibus et Patrum exemplo. Cum saec. XII haec quaestio inter theologos agitari coepisset, Alexander III decrevit: « Si quis puerum ter in aquam merserit, et non dixerit: Ego te baptizo, puer non est baptizatus » (3). Huc pertinet etiam prop. 27 ab Alexandro VIII damnata: « Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc. praetermissis illis: Ego te baptizo. » — Rationem hanc affert s. Thomas: « Cum ablutio hominum in aqua propter multa fieri possit (e. g. propter refrigerationem, sanitatem etc.), oportet, ut determinetur in verbo forma, ad quid fiat; quod quidem non fit per hoc, quod dicitur:

---

(1) *De Bapt.* c. 13. — (2) *De mysteriis* c. 4. n. 26. — (3) *De Bapt.* cap. *Si quis.*

In nomine Patris...., quia omnia in tali nomine facere debemus. Unde, si non exprimatur actus Baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum *Graecorum,* non perficitur sacramentum » (1).

818. Scholion. Apostoli aliquando baptizasse in nomine Jesu perhibentur (Act. 2, 38; 8, 12; 10, 48), et Nicolaus I in responsione ad Bulgaros baptismum collatum in nomine Jesu validum declarat (2). Hinc quaestio orta est inter theologos, qui de hoc Baptismate sit tenendum. Qua de re triplex est sententia. Prima censet, Baptisma in nomine Jesu collatum valere: eam tuentur Beda, Petrus Lombardus, Caietanus, Orsi etc. Altera tenet Apostolos *ex speciali dispensatione* in nomine Jesu valide baptizasse, ut illud nomen honorabile redderetur infidelibus: ita s. Bonaventura, Thomas, Scotus, Valentia, Toletus, Gonettus etc. Tertia communior atque in praxi omnino tenenda, quam Estius, Suarez, Vasquez, Sylvius, Natalis Alexand., Tournely etc. et omnes fere recentiores amplectuntur, statuit, Baptismum in nomine Jesu collatum numquam validum fuisse. Ad testimonia vero Scripturae superius allata, qui agunt patronos hujus sententiae ita respondent *distinguendo:* Apostoli baptizarunt in nomine Jesu, i. e. auctoritate et Baptismo a Christo instituto ideoque christiano in oppositione ad Baptismum *Joannis,* quemadmodum Petrus (Act. 3) claudum in hoc nomine sanavit, *conc.;* solo nomine Jesu invocato ad exclusionem aliarum personarum, *neg.* — Quoad Nicolaum I vero respondent nonnulli, hic non agi de forma Baptismi, sed potius de fide Baptismum suscipientium, nempe si baptizandus professus sit, se credere sive in ss. Trinitatem, sive in Christum, tunc validum esse baptismum. Si attendimus ad id, Nicolaum in suo responso ad s. Ambrosium provocasse, haec explicatio suum nanciscitur fundamentum. Soto, Bellarminus, Hergenröther cum multis aliis contra dicunt, in hoc responso distinguenda esse duo, nempe responsum, quod dederit Nicolaus interrogantibus, et aliud, quod rescripto suo ulterius inseruerit; Nicolaum non de forma Baptis-

---

(1) L. c. a. 5.

(2) Cap. 104: « A quodam Judaeo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine ss. Trinitatis vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut s. exponit Ambrosius), constat, eos non esse denuo rebaptizandos. »

mi interrogatum fuisse, sed tantum de *ministro*, an scilicet Baptisma a Judaeo vel pagano collatum validum sit nec ne, ad quod definitive respondeat quod sic; quod autem de *forma* suo rescripto inseruerit, tamquam privatam suam sententiam eum proposuisse, atque adeo in responso fuisse quidem locutionem ex cathedra, non autem in iis, quae de Baptismi forma dixerit.

ARTICULUS II.

De proprietatibus et effectibus Baptismi.

819. *A) De proprietatibus.*

Duae sunt Baptismi proprietates, nempe unitas et necessitas. Baptismum esse unicum tum specie, tum numero respectu ejusdem subiecti, post ea quae de ejus materia et forma et de charactere disputata sunt, demonstratione non eget. Remanet necessitas, de qua statuimus:

820. Prop. 120. **Baptismus omnibus ad salutem necessarius est, necessitate medii et praecepti.**

Est contra Pelagianos, Wicleffitas, Calvinianos, Socinianos, *de fide* ex conc. Trident. (sess. 7. can. 5): « Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, a. s. »; et (sess. 6. cap. 4) dicitur: « Justificationem post promulgatum Evangelium sine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non posse. »

Declar. Haec sedulo notanda sunt: 1°. necessitatem medii, quam adstruimus, non esse medii *prorsus absoluti* sed *hypothetici*, cujus nempe certis sub conditionibus aequivalens datur. Hoc autem aequivalens, quando Baptismus haberi non potest, tam pro adultis quam pro infantibus est Baptismus sanguinis, pro adultis vero etiam Baptismus flaminis.

2°. Hanc necessitatem non coepisse ab ipso institutionis Baptismi momento, sed a sufficienti ejusdem *promulgatione*, adeoque, cum non ubique eodem tempore promulgatum fuerit Evangelium, sed successive et temporis cursu, non ubique eodem tempore incepisse Baptismi recipiendi obligationem; citius in Palaestina quam

in imperio romano; citius in provinciis huic vicinis quam in regionibus remotissimis, in quas Evangelium saeculis demum posterioribus fuit illatum; citius in urbibus nobilissimis, quam in villis et vicis.

Hinc 3.° infideles negativos post Christi adventum, sed ante sufficientem Evangelii promulgationem in eodem statu et conditione fuisse et esse, in qua universae gentes ante Christi adventum circa salutis media fuerint. (1).

821. Demonstr. *a)* Necessitas *medii* fluit ex Christi effato (Jo. 3, 5): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Sicut ergo vitam ille non habet corporis, qui ex carne natus non est; ita nec vitam spiritus consequitur, qui ex aqua et Spiritu s. non est renatus. — Necessitas *praecepti* sequitur ex verbis Christi: *Euntes* etc. Si enim omnes homines iubentur baptizari, etiam pro omnibus, cum ad usum rationis pervenerint, existit obligatio Baptismum suscipiendi. Praeterea omnia media necessaria ad salutem, quando sunt in nostra potestate, cadunt sub praeceptum.

b) Idem Patrum auctoritate constat. Ita Iustinus martyr: « Elaborare oportet, ut cognoscatis, quanam via ad remissionem peccatorum et spem haereditatis promissorum bonorum perveniatis. Alia autem non est, nisi haec, ut hunc Christum agnoscentes ac illo ad peccatorum remissionem Baptismo.... abluti sine peccato deinceps vivatis » (2); et Tertullianus: « Praescribitur nemini sine Baptismo competere salutem » (3); Augugustinus: « Noli credere, nec dicere, nec docere, infantes, antequam baptizentur, morte praeventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus » (4). — Pelagiani baptismi necessitatem negantes ut haeretici damnati

---

(1) Hurtert. 3. n. 333 et Katschthaler l. 3. n. 276. — De hac *relativa* Evangelii promulgatione haec habet Perrone: « Relate ad Americanos vix saec. XVI dici poterat, fidem esse sufficienter promulgatam. Quin imo et illud addendum est, eiusmodi promulgationem relativam esse non solum quoad diversas gentes, verum etiam quoad individua, ut patet, cum lex evangelica non solum gentes, sed etiam individua singula obliget et obstringat; hinc si aliquis inculpabiliter illam ignorat, ea minime obligatur. » *De Bapt.* n. 135. Cf. etiam s. Bernardum *de Bapt.* c. 2. n. 6.

(2) *Dial. cum Tryph.* n. 44. — (3) *De Bapt.* n. 12. — (4) *Ad Renatum de anima* l. 3. c. 9.

sunt. Accedit etiam praxis et Ecclesiae sollicitudo, qua cavebat, ne quis negato sacro Baptismatis fonte hac vita excederet.

822. Prop. 121. **Baptismus fluminis suppleri potest per Baptismum sanguinis.**

Declar. Baptismus sanguinis est martyrium, quod juxta vim vocis testimonium significat, et ex usu ecclesiastico definitur: *perpessio mortis, aut lethalis cruciatus ob catholicam fidem, vel ob alicujus christianae virtutis exercitium patienter tolerata.* Est *certissima* ab omnibus catholicis, imo etiam ab haereticis, admissa.

823. Demonstr. (Matth. 10, 32. 39): *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo... Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Haec Christi sententia est generalis, comprehendens tum parvulos tum adultos, etiam non baptizatos. Augustinus: « Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum iis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis » (1); s. Leo M.: « Necari omnes in Bethlehem parvulos iubet.... Sed quod rex impius eximit mundo, Christus inserit coelo; et quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem » (2). — Accedit praxis Ecclesiae, quae pro martyribus ante susceptum Baptismum, sive adulti sive infantes sint, numquam orare, sed ut sanctos colere consuevit. — Ratio sententiam colligit inde, quod Baptismus aquae efficaciam habet ex passione Christi, quatenus fit in similitudinem mortis ejus; atqui martyrium non solum in figura, sed reali imitatione refert mortem Christi. Ergo non possunt martyres ejus fructu privari.

824. *Nota.* 1.° Ad martyrii valorem et effectum in adultis requiritur voluntaria saltem habitualiter mortis acceptatio, ex motivo supernaturali absque voluntate se defendendi, et insuper, si sint in statu peccati mortalis, saltem attritio. At in infantibus nihil ex eorum parte requiritur, quia nullius actus propriae voluntatis capaces sunt.

2.° In parvulis martyrium virtutem Baptismi supplet *ex opere*

---

(1) *De Civ. Dei* l. 13. c. 7. — (2) Serm. *de Epiph. Dom.* c. 3.

operato, i. e. vi propria martyrii, ex speciali privilegio; dispositio enim subiectiva, cujus sunt incapaces, in iis nihil operari valet. Verisimiliter etiam in adultis id contingit, saltem hoc sensu, quod effectus principaliter ab ipso martyrio, et non a dispositione subiectiva, nempe a poenitentia, caritate etc. descendat.

3.° Martyrium supplet Baptismum quoad collationem gratiae sanctificantis et deletionem peccatorum et poenarum, non vero quod characteris impressionem, nec quoad subiectionem sub ecclesiasticam jurisdictionem nec quoad capacitatem proximam alia recipiendi sacramenta.

825. Prop. 122. **Baptismus flaminis supplet in adultis aquae Baptismum.**

Declar. Baptismus flaminis (1) dicitur caritas perfecta includens saltem implicite votum Baptismum aquae recipiendi, quod in proposito generali implendi omnia quae a Deo statuta sunt, continetur. — Supponitur a conc. Trident. (sess. 6. cap. 4.) declarante « Post evangelium promulgatum, nunquam fieri translationem a statu veteris Adam ad statum gratiae sine lavacro regenerationis aut ejus voto, sicut scriptum est: *Nisi quis renatus fuerit* » etc. adeoque *certa*.

826. Demonstr. Christus post sancitam Baptismi necessitatem (Jo. 3, 5) generaliter omnibus caritatem et contritionem perfectam habentibus promittit gratiam et remissionem peccatorum: ergo caritas et contritio perfecta supplent Baptismi vices. (Jo. 14, 21): *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum*, et v. 23: *Si quis diliget me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus;* (Luc. 7, 47): *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Confirmatur exemplo Cornelii et aliorum (Act. 10, 47), qui, antequam baptizarentur, Spiritum s. accepisse leguntur. — Ambrosius *in orat. funebri de* Valentiniano II imperatore, qui Catechumenus mortuus est, ait: « Non habet ergo gratiam, quam desideravit, non habet, quam poposcit? Certe quia poposcit, accepit.... Quodsi (martyres) suo abluuntur

---

(1) Ita dici solet ab afflatu Spiritus sancti, qui solus tantam caritatem infundere valet.

sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas; » et s. Augustinus: « Invenio, non tantum passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismate deerat, posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest (1).

827. **Corollarium.** Ex modo expositis manifestum est, quid sentiendum sit de opinione Cajetani statuentis, parvulos christianorum, quibus per Baptismum subveniri non possit, *ex lege Dei communi et ordinaria* salvari posse *votis et precibus* parentum, maxime si externum quoddam signum adhibeant (2); s. Bonaventurae, Durandi, Gabrielis, Gersonis affirmantium, Deum tales infantulos non quidem lege Dei ordinaria et communi, attamen pro summa sua clementia propter parentum preces et vota salvaturum; Klee existimantis baptismum in hujusmodi infantibus suppleri posse per desiderium suscipiendi Baptismum, quod in iis statim post mortem exoriatur. Hujusmodi opiniones cum Christi verbis de necessitate Baptismi, cum traditionis doctrina quae in controversia Pelagianorum maxime apparet (3), cum praxi et sollicitudine Ecclesiae apte componi non possunt; postrema vero sententia pugnat etiam cum doctrina catholica de statu *viatoris*.

828. *B) De effectibus.*

Protestantes hos Baptismo assignant effectus: 1.° quod homo baptizatus non possit damnari, nisi nolit credere; 2.° quod eum liberet ab obedientia legis divinae; 3.° quod liberet ab observatione legum humanarum; 4.° quod sola memoria Baptismi justificet a peccatis, quae fiunt post baptisma. Omnes hi errores damnantur a conc. Trident. sess. 7 totidem canonibus, i. e. 6, 7, 8, 9 et 10. Cum autem haec omnia partim ad alia loca pertineant, partim obsoleta jam sint, ea sufficiat innuisse.

829. Baptismi effectus primarii apud catholicos sunt:

1. *Baptismus vere delet omnia peccata, tum originale tum*

---

(1) *De bapt.* c. 22.

(2) Annotare iuvat hanc Caietani opinionem Pii V iussu ex secunda editione eius Commentarii in Summ. s. Thomae expunctam fuisse.

(3) Patres conc. Carthaginensis scribunt ad Innocentium I: « Quicumque negat parvulos per Baptismum Christi a perditione liberari et salutem percipere sempiternam; a. s. »

actualia, antea commissa. Est *de fide* ex conc. Trident. definiente, (sess. 5. can. 5) « per Baptismi gratiam tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, et.... nihil esse damnationis in iis qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem... ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. » Recolas testimonia Scripturae et Patrum superius (791) allata.

2. *Remittit omnem poenam etiam temporalem coram Deo debitam.* Est *de fide* ex conc. Florent. *(Decret. pro Armen.):* « Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis; omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt: » quam praxim nulla imponendi opera satisfactoria nunquam non religiose servavit Ecclesia. Ratio est, quia per Baptismum perfecte renascimur et commorimur superiori vitae et sumus tamquam infantes modo geniti. Hinc discrimem patet inter Baptismum et poenitentiam.

3. *Infundit gratiam sanctificantem, virtutum et donorum Spiritus sancti copia instructam.* Pro prima parte cf. n. 697, pro altera n. 711 pro tertia 714.

4. *Imprimit characterem in anima, ratione cujus iterari non potest.* Cf. 801 et Hebr. 6, 4. 6; Rom. 6, 16; Eph. 4, 5; et Catech. Rom. (l. c. q. 53).

5. *Est janua Ecclesiae visibilis, cujus fit membrum* ex conc. Florent: « Per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiae » (*Decret. pro Armen).* (Cf. Gal. 3, 27; Matth. 28, 19; Act. 2, 41). Ex hac in Ecclesiam cooptatione duo exsurgunt pro baptizato momenta gravissima: *a)* Capax fit aliorum *sacramentorum,* et particeps *jurium et beneficiorum, quae Ecclesiae Christianae propria sunt* (Galat. 3, 27 sq.); et *b)* simul *obstringitur legibus Christi,* ab Ecclesia promulgatis; sanctum suscipit officium, religionem christianam fide amplectendi, cum fiducia profitendi et in caritate exercendi; baptizari enim in nomine alicujus significat: se nomini illius seu doctrinae seu auctoritati addictum profiteri per Baptismi ritum. In his duobus momentis, altero ex parte Dei, altero ex parte initiati consistit ratio *foederis baptismalis* inter Deum et baptizatum.

ARTICULUS III.

De subiecto et ministro.

830. *A) De subiecto.*

Prop. 123. **Baptismus infantibus quoque valide et licite conferri potest, neque cum ad annos discretionis pervenerint, sunt interrogandi, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt.**

Est contra Anabaptistas, qui ex lutherano principio de fide justificante deque sacramentis, quorum virtus tantum consistat in excitanda fide, inferebant, infantes utpote actu fidei incapaces inutiliter baptizari, ideoque esse rebaptizandos, et quidem *de fide* ex conc. Trident. sess. 7 can. 13: « Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo, inter fideles computandos non esse; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos; aut praestare, omitti eorum baptisma, quam eos, non actu proprio credentes, baptizari in sola fide Ecclesiae; a. s. »

831. Demonstr. I. p. *a)* Scriptura nullum quidem suppeditat disertum testimonium, sed *principium* tantum, ex quo haec veritas deducatur. Hoc autem est hujusmodi: Baptismus omnibus ad consequendam salutem necessarius est necessitate medii. Si igitur infantes a Baptismo excluduntur, simul excluduntur a regno coelorum. Quis autem credat, Christum voluisse a regno coelorum excludere dimidiam fere humani generis partem, quae tenera illa aetate perire consuevit; quam ipse tanto prosequebatur amore (Matth. 19)? — Indicium nonnulli inde etiam colligunt, quod Apostoli integras perhibentur baptizasse familias, ut Act. 16, 15 et 33; in quibus verisimile est infantes aliquot fuisse.

b) Peremptorie probatur ex traditione theoretica et practica, quae adeo est luculenta, ut ipsi Protestantes coacti fuerint paedobaptismum retinere, licet hac praxi dupliciter sibi contradicerent: primo, quod eum retinerent traditione, quam alioquin contemnunt, innixi; deinde, quod eum eatenus tantum utilem et necessarium censere possint, quatenus ipsi adscribunt aliquam

virtutem *ex opere operato,* quam alioquin exhorrent. Haec traditio maxime elucet ex controversia catholicorum, praesertim Augustini, cum Pelagianis; argumentum fere principale maximeque efficax adversus illos pro peccato originali petebatur ex *paedobaptismo;* neque unquam ausi sunt Pelagiani de huius sive valore sive utilitate dubitare, timentes fidelium reprehensionem matrumque christianarum contradictionem. Quam praxim ante quaestionem pelagianam obtinuisse et ad tempora Apostolorum pertingere testantur Patres. Cyprianus epistola ad *Fidum* directa putantem, parvulos ante 8.um a nativitate diem non esse baptizandos, scribit: « A baptismo atque a gratia.... prohiberi non debet infans » (1); Origenes: « Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit, etiam parvulis dare Baptismum » (2).

c) Suadetur *α)* analogia circumcisionis, quae fuit figura Baptismi; nam si circumcisio parvulis prodesse poterat, cur non etiam baptismus qui est circumcisio Christi non manufacta (Col. 2, 11)? *β)* Ex eo quod, cum parvuli habitualiter tantum sint a Deo aversi, peccatumque originale aliena contraxerint voluntate, convenire admodum videtur, ut citra dispositiones actuales ad Deum habitualiter convertantur, et aliena veluti fide et voluntate a peccato mundentur.

832. **Corollarium.** Ex his sequitur, parvulos baptizatos, cum adoleverint, non esse rebaptizandos; si enim infantium Baptismus est validus, iam iterari non potest. Cf. Conc. Trident. canonem supra citatum.

833. Demonstr. ii. p. Est etiam *de fide* contra Erasmum et Protestantes ex conc. Trident. (can. 14 eiusdem sess.): « Si quis dixerit, huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse an ratum habere velint, quod patroni eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; a. s. »

a) *Ex ipsa rei natura.* Illi qui baptizantur cooptantur in Ecclesiam, seu in societatem a Christo institutam; iam vero

(1) *Epist.* 63.

(2) L. 5 *in epist. ad Rom.* c. 9. — Testimonia pro hac praxi in Catacombis reperta cf. penes Katschthaler l. c. n. 265.

quicumque ingreditur aliquam societatem, tenetur leges servare illius societatis, cuius membrum est. Et hoc valet etiamsi *nativitate* fiat membrum illius societatis; hinc in quavis societate quisvis nascatur, velit nolitve ex eo instanti obstringitur ad eius leges servandas. Ergo iniuria non fit infanti, si vi *regenerationis* obnoxius declaratur legibus, quae in societate regeneratorum, i e. in Ecclesia vigent. — *b) Ex ipsa lege naturali et civili;* hac enim tenentur parentes et tutores infantibus consulere, quamdiu sibi ipsi providere nequeunt; et parvuli, cum adoleverint, tenentur ea servare pacta, quae in eorum utilitatem pro ipsis parentes vel tutores inierunt. Ergo pariter, sicut parentes infantum et tutores, quales sunt patrini et Ecclesia, tenentur eis procurare Baptismum, quia ad eorum salutem aeternam est omnino necessarius; ita ex sua parte infantes cum adoleverint, iis obstringuntur obligationibus, quas Baptismus secum fert et quas ipsi, per patrinos, declararunt sibi sumpsisse adimplendas. — *c)* Ex *lege divina,* cui subditur eo ipso quod homo natus est, antecedenter ad suam voluntatem; iam vero lex divina omnes homines obstringit, ingrediendi Ecclesiam proindeque suscipiendi Baptismum, statim ac sufficientem rationis usum assequantur, unde absonum est quod ratas non habeant eas promissiones, quas lege divina spondere deberent, si id per patrinos nondum fecissent. Exinde apparet, eas promissiones proprie non esse nisi *declarationes* suscipiendi obligationes, quae iam aliunde tenent. — *d)* Ex aliis rationibus, ut v. g. *analogia circumcisionis; impossibilitate* pro pueris instituendi huiusmodi examen; *necessitate,* quae inde consequeretur, contra habitus Baptismate sibi inseminatos agendi; *contraria totius antiquitatis praxi,* quae agnovit quidem examen *confirmativum* et ratihabitionem *obligatoriam,* non vero examen *dubitativum* et ratihabitionem *arbitrariam.*

834. *B) De Ministro.*

Duplex distinguitur minister Baptismi, alter *solemnitatis,* alter *necessitatis;* ille est, qui cum caeremoniis in Ecclesia adhiberi solitis baptizat; hic est, qui his caeremoniis omissis, in casu necessitatis baptizat. — Minister solemnis Baptismi iterum duplex est, alter *ordinarius* et ex officio, alter *extraordinarius* et ex delegatione. His praemissis, doctrina de ministro his punctis continetur:

1. *Quilibet homo ratione utens, sive vir sive mulier, valide, et in casu necessitatis etiam licite baptizare potest.* Constat ex con. Later. IV c. 1. statuente: « Sacramentum Baptismi in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum, proficere ad salutem, » et Florent. definiente: « in casu necessitatis.... etiam laicum et mulierem, imo etiam paganum et haereticum baptizare posse » *(Decret. pro Armen.)*. Si autem in casu necessitatis quilibet baptizare potest, potest quoque *valide* extra hunc casum; nam sacramentorum essentia et valor invariabilis est. — Tertullianus: « Dandi quidem (Baptismum) habet jus summus sacerdos, qui est episcopus: dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem... alioquin etiam laicis jus est » (1); et s. Hieronymus: « Baptizare, si tamen necessitas cogit, scimus etiam laicis licere » (2).

2. *Minister ordinarius est episcopus et presbyter.* Quoad episcopos nemo dubitavit unquam, cum succedant iis, ad quos dictum est: *Euntes* etc. Quoad presbyteros patet ex definitione Florent. *(Decret. pro Armen.)*: « Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare, » cui suffragantur Ecclesiae praxis et traditio. Presbyteris autem nonnisi cum quadam ab episcopo dependentia potestas haec competit.

3. *Diaconus est minister extraordinarius.* Constat (ex Act. 8, 12. 38), ubi legitur Philippus diaconus, consentientibus Apostolis, multos Samariae viros et mulieres, porro etiam Eunuchum reginae Candacis baptizasse; ex Patribus (cf. Tertullianum iam citatum), ex praxi Ecclesiae, ex Pontificali Rom.: « Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et praedicare. » Quod vero sit minister *extraordinarius* tantum, patet inter alia ex Gelasio I: « Absque episcopo vel presbytero baptizare non audeant (diaconi) nisi praedictis ordinibus fortasse longius constitutis necessitas extrema compellat » (3). Differt tamen a simplici clerico, quia hic solum in extrema necessitate et numquam solemniter; diaconus vero in gravi necessitate, idque solemniter ex delegatione baptizare potest.

---

(1) *De Bapt.* n. 17. — (2) *Dial. adversus Luciferianos.* — (3) Ep. *ad episcop. Lucaniae* c. 7.

TRACTATUS VIII.

DE CONFIRMATIONE.

835. Vita spiritualis, quam in Baptismo accepimus, quaque in Christi familiam cooptati fuimus, augetur et roboratur per *Confirmationem,* qua Christi *militiae* iam adscribimur, instruimurque ad agones mundi praeliandos. Hoc sacramentum a materia dicitur etiam: *chrisma, impositio manuum, unguenti mysterium;* ab effectu: *Confirmatio, signaculum dominicum, sigillum* (quamvis haec appellatio videatur etiam derivata a ritu; confertur enim ab episcopo, qui consignat frontem); a sua ad baptismum relatione: *perfectio, consummatio, sacramentum plenitudinis.* Definiri solet: *Sacramentum novae legis, quo baptizatis gratia sanctificans augetur, roburque additur Spiritus s. tum ad firmiter credendum, tum ad fidem ipsam strenue profitendam.* — Agemus 1.° de eius veritate, 2.° de eius causis et effectibus.

ARTICULUS I.

De veritate sacramenti Confirmationis.

836. Prop. 124. **Confirmatio est verum et proprie dictum sacramentum, a Baptismo distinctum.**

De fide contra Protestantes, qui Confirmationem ex albo sacramentorum expunxerunt, ex conc. Trident. (sess. 7, can. 1): « Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum et proprium sacramentum; aut olim nihil aliud fuisse, quam cathechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; a. s. »

I. (Act. 8, 14 sq.) de samaritanis ad fidem conversis et a Philippo diacono baptizatis legitur: *Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum;* et Act. (19, 6): *Cum imposuisset illis* (duodecim discipulis recens baptizatis) *manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis et prophetabant.* Ex his verbis ita argumentari licet: tria requiruntur et sufficiunt ad sacramenti veritatem: ritus exterior, collatio gratiae, institutio Christi; atqui in citatis locis tria haec designantur; et *a)* quidem ritus exterior, qui consistit in rebus et verbis, seu materia et forma.: *orabant,* en verba; *imponebant manus* (et chrismatis unctio), en res seu materia; *b)* collatio gratiae, ut patet ex verbis: *imponebant manus et accipiebant Spiritum sanctum; c)* institutio Christi; neque enim Apostoli, nisi iussi a Christo, eiusmodi ritum tam frequenter et secure usurpassent semperque et infallibiliter cum effectu. Ceterum probatum est, solum Christum esse auctorem gratiae et sacramentorum. Ergo ritus ille sensibilis est verum sacramentum, et quidem distinctum a baptismo; imponebantur enim manus iam baptizatis, et quidem non semper ab eo, qui baptizaverat, sed ab alio ministro inter eos, qui in Ecclesia excellerent.

Neque excipias, impositionem illam manuum non fuisse nisi medium extraordinarium, quo *gratiae gratis datae* (miraculorum, linguarum, prophetiae) conferrentur. Duplex enim erat impositionis manus effectus: alter *ordinarius* et perpetuus, qui gratia sanctificante continetur; alter *extraordinarius* et temporarius « ad commendationem rudis fidei, ut ait Augustinus, et primordia Ecclesiae dilatanda, » qui charismatibus gratis datis comprehenditur. Et sane, *α)* teste Paulo (1. Cor. 12, 30 sq) manuum impositione omnibus dabatur Spiritus s., non vero omnibus concedebantur gratiae gratis datae. *β)* Hae absque manuum impositione multis obtigerant, e. g. familiae Cornelii (Act. 10, 44 sq.); vice versa saepius manus imponebantur ad internam tantum gratiam et potestatem conferendam, ut e. g. in diaconorum inauguratione (Act. 6, 6), in ablegatione Pauli et Bar-

nabae ad gentes (Act. 13, 2 sq.) Ergo si olim Spiritus s. etiam foras exundavit per signa visibilia, hoc erat supra sacramenti naturam, atque nascentis Ecclesiae temporibus accomodatum: postquam autem adolevit, et firmis jam radicibus staret Ecclesia, desiit, quod externum erat et temporarium; mansit autem interna et sanctificans Spiritus sancti efficentia, in qua proprie situs est sacramenti effectus. Augustinus: « Numquid modo, quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum s., hoc expectatur, ut linguis loquantur? Aut quando imposuimus manus istis infantibus, attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur; et cum videret, eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrum fuit, ut diceret: non acceperunt isti Spiritum s.: nam si accepissent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum? Si ergo per haec miracula non fiat modo testimonium praesentiae Spiritus s.; unde fit, unde cognoscit quisque, accepisse se Spiritum s.? Interroget cor suum: si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. Videat, probet seipsum coram oculis Domini » (1). Ex his s. Augustini verbis apparet: Ecclesiam credidisse, per Confirmationem dari Spiritum s., quamvis ea visibilia dona non amplius communicentur, nomine Spiritus s. intellexisse *gratiam sanctificantem* (quae utique jus et pignus ad specialia gratiae auxilia, nempe ad gratias fidei profitendae in se continet), cum infantes alterius capaces non sint: sua aetate Confirmationem etiam infantibus ministrasse.

837. II. Praeter testimonium allatum provoco ad Cyprianum, qui relato facto (Act. 8, 14), animadvertit: « Quia legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebant, sed tantummodo, quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod *nunc quoque apud nos geritur*, ut, qui in ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consumentur » (2); ad Tertullianum, saec. II. exeunte, scribentem: « Exinde egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua

(1) *Tract. 6. in 1. Epist. Joan.* — (2) *Ep. 73. n. 9.*

ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant.... Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum » (1); ad s. Hieronymum testantem: « Hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe a majoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manus impositurus excurrat » (2); ad Augustinum dicentem: « In hoc unguento *sacramentum chrismatis* vultis interpretari: quod quidem in genere visibilium signaculorum sacramentum est, *sicut ipse baptismus* » (3). In hunc sensum citari solent Clemens Rom., Justinus M., Irenaeus, Origenes et praesertim Cyrillus Hieros., qui integra cathechesi tam clare de hoc sacramento loquitur, ut Chemnitius per contemptum illud appellet *chrisma Cyrillianum.* — Accedit continua Ecclesiae *praxis,* quae manifesta fit ex antiquissimis libris liturgicis, qui de Confirmatione ut sacramento novae legis loquuntur et ritum in eo administrando referunt, et *consensus* ecclesiae graecae schismaticae sectarumque ipsarum Orientis ab occidentali ecclesia inde a saec. V disiunctarum.

838. *Nota.* De *tempore* institutionis, quidam affirmant, illud institutum fuisse, quando manus Christus parvulis imposuit (Matth. 19, 15); quidam in Coena Domini, quidam post resurrectionem, et quidam in die Pentecostes, quas sententias conciliaveris si dixeris, Confirmationem per manuum impositionem fuisse praefiguratam, in ultima Coena promissam, post resurrectionem institutam, die Pentecostes primo solemniter promulgatam (4).

ARTICULUS II.

De Confirmationis causis effectibus.

839. Expendemus causas Confirmationis intrinsecas, materiam nempe et formam, et extrinseas ministrum et subiectum dein ejusdem effectus.

A) De materia et forma.

Ritus, quo Confirmatio administratur, est sequens. Primo e-

(1) *De bapt.* c. 7 et 8; cf. etiam *de praescript.* n. 36, et *de resurr. carn.* c. 8. — (2) *Adversus Lucif.* n. 9. — (3) *L. 2. c. lit. Petil.* c. 104. — (4) Knoll *op. cit.* p. 5. §. 555.

piscopus levata manu super universa confirmandorum capita, pro omnibus dicit orationem: *Omnipotens* etc. Deinde chrismate singulorum frontem inungit dicens: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Postea inunctum leviter in maxilla percutit dicens: *Pax tecum;* ac tandem dicta oratione super omnes confirmatos ac data benedictione, eosdem dimittit. Jam vero quaeritur, quaenam sit *materia* et *forma* hujus ritus.

Circa hoc quatuor sunt opiniones inter theologos catholicos. Prima materiam huic sacramento essentialem collocat in sola manuum impositione; hujus enim tantum mentio fit in Scripturis; et consequenter formam in oratione « Omnipotens » etc.; secunda in sola unctione chrismatis, quae substituta fuerit manuum impositioni, formam vero in verbis in unctione prolatis; tertia in alterutra seorsum sumpta ita ut unaquaeque materia plena sit atque adaequata, quarta in unctione cum chrismate et illa manus impositione, quae in ipsa unctione occurrit, quam praeferunt recentiores utpote quae traditionis monumentis confirmatur, quae modo hunc modo illum, tamquam ritum maxime proprium, quo hoc sacramentum administretur, commemorant. Duplici illo ritu *una* constituitur materia hujus sacramenti *adaequata* (1). Hinc forma erunt ea verba, quae episcopus, dum pollice frontem inungit, pronuntiat, apud Latinos: *Signo te signo crucis* etc.; apud Graecos; *Signaculum doni Spiritus sancti* (tibi datur).

840. *B) De ministro et subiecto.*

Quoad *ministrum*, est *de fide, solum episcopum ministrum esse ordinarium hujus sacramenti.* Constat ex Trident. (sess. 7. can. 3): « Si quis dixerit, sanctae Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, a. s.; » ex locis Act. supra allatis et ex perpetua Ecclesiae consuetudine. Innocentius I: « De consignandis vero infantibus, manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere.... Nam presbyteris, seu extra episcopum, seu prae-

---

(1) *Chrisma* idem graece, quod latine vocatur unguentum; usu ecclesiastico est unguentum *ex oleo et balsamo confectum.* Oleum ex olivis requiri ad essentiam sacramenti, pro explorato haberi debet; utrum insuper ad essentiam pertineat ut oleo balsamum admisceatur, et ut chrisma ab episcopo benedictum sit, disputant theologi.

sente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum s. Paracletum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere » (1) — Hoc vero non excluditur minister *extraordinarius*, imo potius a Tridentino supponitur. Certum est enim presbyteros Graecorum solere consignare unctione confirmatoria; nec tamen Latini cum de unione restituenda quaestio fuit, unquam illis obiecerunt, quod nullum haberent Confirmationis sacramentum. Imo et in Ecclesia latina per delegationem summi Pontificis potestatem confirmandi presbyteris saepius factam esse et nunc quoque fieri, historia compertum est. Hujusmodi autem delegati presbyteri, ministri extraordinarii sunt, quia confirmandi potestatem non habent vi ordinis sui. Quamquam potestas ipsis communicata non est mera jurisdictio; sed potius dicenda videtur completio characteris sacerdotalis, cui radicalis insit aptitudo ad hanc extraordinariam potestatem, accedente Romani Pontificis auctoritate, suscipiendam.

841. Quoad *subiectum* tenendum est, *nonnisi baptizatum et omnem baptizatum, necdum confirmatum* hujus sacramenti subiectum esse. Ratio primi est, quia nasci prius utique oportet, quam augeri et roborari; ratio secundi est, quia omnes per baptismum spiritualiter regenerati capaces sunt accretionis spiritualis, quae fit per augmentum gratiae: ac proinde capaces sunt Confirmationis ad hunc finem institutae. Hinc baptizatos nulla etiam infantilis aetas excludit. Hodie adhuc apud graecos mos est, ut infantes post baptismum sacra unctione perficiantur; neque alia erat Ecclesiae latinae consuetudo per duodecim saecula. Ratio tertii est character indelebilis, quem Confirmatio imprimit. De aetate sic habet Catechismus rom.: « In quo illud observandum est, omnibus quidem post baptismum, Confirmationis sacramentum posse administrari; sed minus tamen expedite hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc sacramentum differre maxime convenit » (2).

---

(1) Epist. *ad Decentium Eugubinum* c. 3. — (2) P. 2. c. 3. q. 17.

842. *C) Effectus.*

Hujus sacramenti effectus sunt: 1.° Gratia sanctificans, *per se* secunda, abundantiam virtutum et donorum Spiritus s. adnexam habens (cf. n. 711 et 714).

2.° Gratia sacramentalis seu gratiae sanctificantis augmentum ordinatum copiosissime ad fidem corde, ore et opere, strenue et constanter profitendam, ad vincendas contra fidem tentationes, atque adversa quaeque pro fide patienter tolleranda. Discrimen inter gratiam sacramentalem baptismi, Confirmationis et ss. Eucharistiae ex similitudine corporalis vitae explicat s. Thomas (1), in qua alia est

---

(1) 3. q. 72. a. 2 et 5. — Ut gratiae *sacramentalis* singulis sacramentis propriae natura clarius pateat, animadvertas, gratiam sanctificantem physice sumptam, esse ejusdem speciei et naturae in omnibus sacramentis, moraliter vero spectatam, et ut est res sacramenti, h. e. significata per signum exterius, quod dicitur sacramentum tantum, esse propriam cujuslibet sacramenti, diciturque gratia sacramentalis; quia ut sic est ordinata ad proprium sacramenti finem, estque titulus seu arrha, et si dicere liceat, jus quoddam ad accipienda auxilia specialia, ut operetur quod per sacramentum significatur; namque sine hujusmodi auxiliis et gratiis actualibus, gratia sanctificans, iners remanet. Igitur per Confirmationem, et per extremam unctionem augetur gratia sanctificans, sicut per Eucharistiam; et augmentum illud physice spectatum, est in his tribus Sacramentis ejusdem rationis et speciei: sed quia sub diversis signis confertur, ad diversos quoque effectus a Deo ordinatur: in Confirmatione datur ut roborativa contra exteriores fidei et pietatis hostes, cujus rei signum est sive impositio manus, qua adumbratur specialis Dei protectio, sive unctio, quae est ad roborandum athletam. In extrema unctione, in qua unctio adhibetur ad leniendum dolorem, et perficiendam sanitatem, ut forma verborum indicat, gratia tribuitur ut lenitiva, et sanitatis spiritualis perfectiva; ideoque pro diversitate signi exterioris, diversa auxilia actualia gratiae sanctificanti respondent.

Cum autem in Eucharistia conferatur gratia sub speciebus cibi et potus, debet esse nutritiva. Porro in nutritione materiali 1.° fit nova accretio substantiae corporis; 2.° ex cibo et potu generantur spiritus vitales et animales, in quibus robur animalis consistit, adeo ut, si minuantur, ut contingit in senibus, debilitentur vires: si vero exuberent ex luculentiore cibo, naturalis corporis habitudo evadat robustior. Sic anima saginata corpore Christi, in quo habitat plenitudo Spiritus et divinitatis, sanctior evadit per augmentum gratiae sanctificantis, charitatis et aliarum virtutum. Deinde novo fervore concepto per gratias actuales, idest, per inspirationes et illustrationes mentis exquisitiores et motiones voluntatis fortiores inardescit ad divina, spernit terrena, et ei sordescit quidquid oblectamenti ex sensibus solebat percipere. Namque, ut ait s. Thomas, si cera exponatur ad ignem, mealescit, et molescit; si vero proprius admoveatur, amplius ardet, et omnino liquescit; si vero in ignem coniiciatur, protinus inflammatur, et ignis evadit: atqui per hoc sacramentum anima Deo, qui ignis consumens est (Deuteron. 4) intime conjungitur: necesse est ergo, ut (nisi obicem ponat) tota amore Dei flagret.

actio hominis statim nati et alia, quae competit ei, cum ad perfectam aetatem pervenerit; in infantia *quasi singulariter sibi ipsi vivit*, in virili aetate *incipit jam communicare actiones suas ad alios*. Sic in baptismo accepit potestatem agendi ea, quae pertinent ad propriam salutem: in Confirmatione vero roboratur ad pugnam spiritualem contra hostes Christi nominis, non solum invisibiles, quibus etiam baptizatus resistit, sed et *visibiles*, ut contemptis mundi terroribus, illecebris et derisionibus, publice fidem verbis et operibus profiteatur, quod patet exemplo Apostolorum, qui nondum hanc plenitudinem consecuti, in coenaculo inclusi orationi vacabant; postmodum vero egressi, Christum confiteri non verentur etiam coram inimicis fidei. Gratia vero Eucharistiae est gratia spiritualis alimenti, quo fideles jam ad virilem aetatem profecti nutriuntur, conservantur, augentur (nullus enim in vita spirituali terminus est), perficiuntur, corroborantur adversus *passiones et invisibiles hostes* et in *seipsis* magis ac magis perfecti fiunt per coniunctionem ad Deum

3.° Character, ratione cujus hoc sacramentum iterari non potest, quodque non fideles ab infidelibus, sed spiritualiter perfectos ab his, quibus dicitur: *sicut modo geniti infantes*, discernit.

TRACTATUS IX.

DE SS. EUCHARISTIA.

843. SS. Eucharistia, in qua vita per baptismum accepta, in confirmatione robore aucta, fovetur nutritur, et perficitur, nihil sublimius, suavius nihil in universa christiana religione. Et sane *a)* comparata ad alia sacramenta ordine quidem tertium, dignitate tamen longe primum est eumque obtinet locum, quem sol inter firmamenti sidera, quae circa ipsum moventur. Nam cetera sacramenta participatam quandam et actione transeunte sanctificandi continent virtutem, Eucharistia ipsum gratiae auctorem et fontem Jesum Christum permanenter et consubstantialiter praesentem; cetera sacramenta ad ipsam quodammodo ordinantur et ejus perceptione consummantur, ipsa omnium est finis et complementum; cetera sunt sacramenta tantum, ipsa sacramentum simul et sacrificium: unde merito *sacramentum* antonomastice appellatur. — *b)* In christiana religione totius cultus est centrum et compendium; sicut enim in templo materiali omnes aedificii partes atque ornamenta apte disposita referuntur ad altare, ita in christiano cultu omnia ad Eucharistiam ordinantur, et ex majori ad ipsam relatione et contactu majorem consequuntur sanctificationem. Quod centrum est in circulo, quod cor in homine, quod Deus in mundo, hoc fere est Eucharistia in cultu et religione christiana. — *c)* Quoad nos ipsa est sanctificationis nostrae consummatio, peregrinationis nostrae mortalis sustentaculum, praesidium atque solamen. — *d)* Relate ad Deum compendium est suorum mirabilium; illâ enim admirabilis continetur divinarum perfectionum manifestatio, admirabilis divitiarum omnium sui erga nos amoris

effusio, summa et fastigium omnium, quae in naturali et supernaturali ordine pro hominibus operatus est (1).

844. Integra de hoc mysterio doctrina a conc. Trident. (sess. 13. 21 et 22) exposita et vindicata, hac complexa propositione comprehenditur: In Eucharistiae sacramento corpus et sanguis J. C. Dei hominis sub speciebus panis et vini tamquam cibus animarum vere realiter et substantialiter continetur, per mirabilem et singularem totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Domini conversionem, quae ita instituta est, ut dum sacramentum conficitur, Jesus Christus ipse simul in verum ac proprium licet incruentum sacrificium offeratur.

Eucharistia itaque considerari potest tum relate ad homines quos sanctificat, tum relate ad Deum, in cujus honorem offertur; hinc duo capita: 1.° de Sacramento, 2.° de Sacrificio.

CAPUT I.

De ss. Eucharistiae sacramento.

845. De Eucharistia, quatenus Sacramentum, acturi a veritate fundamentali de reali Christi praesentia, a qua nedum pendet sed ex qua velut ex sua radice exsurgit tota doctrina de hoc mysterio, auspicabimur, dein in modum tum quo fit, tum quo est Christus in ea praesens, et in ejus ad rationem habitum inquiremus, ex quibus pronum erit et existentiam et constitutiva et finem hujus sacramenti deducere. Hinc articulorum ordo erit:

---

(1) Haec praestantia ex multis quoque iisque splendidis nominibus, quibus designatur, apparet. Vocatur *Eucharistia*, quod latine audit *bona gratia*, seu *gratiarum actio*, sive quod ipsum gratiarum fontem in se continet, sive quod ad gratias Deo agendas nihil est hoc mysterio dignius; ab occasione, *coena*, *coena Domini;* a re, quam continet, *corpus et sanguis Christi*, *sancta sanctorum*, *sanctissimum;* a materia, *panis supersubstantialis*, *panis angelorum;* a ritu consecrationis, *eulogia* seu *benedictio;* ab effectibus, *vita*, *communio* et communicatio; ratione sacrificii, *oblatio*, *hostia;* ratione participantium, *synaxis;* a distributione, *fractio panis*, *mensa Domini;* significatione prognostica, *viaticum* etc. cf. s. Thomam 3. q. 73. a. 3 et 4.

1.° de reali praesentia, 2.° de modo quo fit praesens, seu de transubstantiatione, 3.° de modo quo est praesens, 4.° de rationis ad hoc mysterium habitudine, 5.° de Eucharistia ut sacramento.

ARTICULUS I.

De reali praesentia.

846. Prop. 125. **In ss. Eucharistiae sacramento vere, realiter et substantialiter continetur corpus et sanguis Christi.**

Declar. Realis Christi in Eucharistia praesentia *dogma* est fundamentale, quod negarunt saec. IX Scotus Erigena; saec. XI Berengarius; saec. XII Petrobrusiani ac Henriciani; saec. XIII Albigenses; saec. XIV Flagellantes et Wicleffitae; inter omnes vero saec. XVI hac in re infelicem gloriam assecuti sunt Sacramentarii: Carlostadius, Zwinglius, Oecolampadius, Bucerus, Calvinus qui, licet in modo explicandi varient, omnes tamen in eo conveniunt, Eucharistiam non esse nisi memoriale passionis Christi, qui in ea non realiter est praesens, sed tantum significatur; quibus concinunt Sociniani et Rationalistae.

Errorem adversariorum in sua triplici praecipua forma sequenti definitione damnavit conc. Trident. (sess. 13. can. 1): « Si quis negaverit in ss. Eucharistiae sacramento contineri vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate D. N. J. Christi ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura aut virtute, a. s. » Dicitur *vere* ut excludatur error Oecolampadii docentis dominicum corpus adesse tantum *metaphorice*, quatenus panis pro eo *apprehenditur; realiter*, ut excludatur Zwinglii error asserentis, eucharistiam corporis Christi esse tantum *signum* et symbolum; *substantialiter*, ut excludatur a Calvino adserta praesentia *virtualis* tantum.

847. Demonstr. I. Ex s. Scriptura quae duplex suppeditat argumentum:

1. *Ex verbis promissionis* (Jo. 6), ubi de triplici pane sermo est, materiali, spirituali et sacramentali. Et in principio quidem agitur

de panibus a Christo multiplicatis, quibus turbae fuerant satiatae. Et quia turbae ob hoc miraculum sequebantur Christum, inde arrepta occasione, hortatur illos, ut potius quaerant cibum spiritualem quam corporalem: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam* v. 27. Et quaerentibus illis, quid ipsis praestandum ut hunc cibum sibi comparent, respondet: fides in eum. Christus itaque fide suscipiendus est panis spiritualis, de quo agitur a v. 35 - 47 (1). — Praestituta necessitate fidei, a v. 48 - 59 agitur de pane sacramentali, et proponit se ipsum ut panem vitae, quatenus suam carnem manducandam et suum sanguinem bibendum dabit. *Ego sum panis vitae... Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita... Amen, amen dico vobis; nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus etc.*

Si haec verba intelligenda sunt sensu proprio, nemo diffiteri potest iisdem promissam fuisse veram realem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia praesentiam, nam manducatio oralis carnis et sanguinis Christi, fieri non potest absque reali Christi praesentia in Eucharistia. Atqui ita omnino est: nam *a)* Christus accurate inde a v. 52 distinguit inter *manducare*

---

(1) Sunt qui etiam hanc partem de Eucharistia intelligant (Perrone, Schwetz, de Augustinis, Sala). Aiunt nempe unam esse totius sermonis inde a v. 26 usque in finem capitis propositionem, nempe: *Ego sum panis vitae*, quem panem pro cibo eucharistico intelligunt, sed cum ageretur de re omnino supernaturali, quae non tam intelligi quam credi debeat; hinc antequam suam propositionem explicaret, fidei exhortationem praemittit (v. 26 — 48); unde admittunt quidem fidem a Christo proponi et inculcari, sed non tamquam *panem*, qui promittitur, sed tamquam *conditionem* et *praeparationem* necessariam ad illum panem, qui promittitur, salutariter capiendum. Alii (Franzelin, Hurter, Katschthaler etc.) caput in tres partes dividunt, quarum in prima (a v. 1–26) de miraculosa panis et piscium multiplicatione etc., in secunda (v. 26–48) de pane pro obiecto fidei nempe de spirituali manducatione doctrinae et mortis Christi per fidem, in tertia (v. 48 usque ad finem) denique de ss. Eucharistia agitur. Etenim Christus, ita ratiocinantur, gradatim ducere voluit Judaeos ad cognitionem huius mysterii; primo miraculum fecit; secundo in ipsum fidem, quae manducatio spiritualis est commendat; et tertio misterium ss. sacramenti tradit. Ceterum in hoc conveniunt omnes, quod *demonstrationem* a verbis, quae v. 48 sequuntur, sumunt.

carnem et *bibere sanguinem;* atqui inanis esset haec distinctio, si Christus loqueretur de fide in sua doctrina, cum in metaphorica sumptione Christi per fidem unum omnino sit *manducare* et *bibere;* optima vero distinguendi adest ratio, si verba illa referuntur ad Eucharistiam: ergo — *b*) Ipsa verba omnem sensum tropicum excludunt. Nam primo loquitur de cibo vere tali, et de potu vere tali *(ἀληϑῶς);* secundo fidei necessitatem clare expositam non poterat nunc sapientissimus magister obscurissimis formulis denuo proponere; tertio locutio: *alicujus carnem manducare* tropice accepta hunc apud Iudaeos habet sensum: cuidam ignominiam infligere per calunniam etc; atqui sensus hic in malam partem admitti non potest: ergo remanet unice sensus proprius. — *c*) Ipse Christus declarat, illum cibum futurum esse carnem suam, eam ipsam carnem secundum textum graecum, quae pro mundi salute morte offerenda est. An doctrina ejus in crucem est acta? Ergo loquitur de cibo, in quem positurus est ipsam suam carnem. — *d*) Loquitur de cibo dando (*panis quem ego dabo*), de cibo quem non manducaverunt eorum Patres; atqui manducatio Christi per fidem et in praesens requirebatur, et jam tunc temporis data erat, nec jam pridem Patribus inusitata: ergo. — *e*) Verba haec Capharnaitae sensu proprio intelligunt, quare non parum offensi *litigabant* etc. Si de manducatione doctrinae suae per fidem locutus fuisset, cur non, quod facile erat, ipsis offensis scrupulum exemit? cur mentem suam non ita est interpretatus, ut nullus esset offensionis locus? Verum adeo emollire verba sua noluit, ut ea magis ac magis affirmaret, dicens: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis,* etc. Imo cum haec verba determinatissima compluribus quoque ex discipulis suis offendiculo essent, ut eum propterea desererent (v. 67), tantum abest, ut sensum sermonis sui figuratum declararet, ut potius ad duodecim Apostolos conversus, eos interrogaret: *Numquid et vos vultis abire?* (v. 68). Sane ex hac agendi ratione, prorsus diversa a consueto more ejus, sinistre ab auditoribus intellecta, explicatione addita corrigendi (1), sensus proprius jam clare enunciatus confirmatur (2). — Nostrae in-

(1) Cf. Matth. 16, 11 sq.; 15, 16 sq.; Jo. 3, 4 sq.

(2) Neque sensus metaphoricus sed *supernaturalitas* rei propositae illis verbis indicatur, quibus discipulos obmurmurantes (v. 64) coarguit: *Spiritus*

terpretationi suffragantur plurimi ss. Patres et Doctores scholastici, conc. Ephesinum, Nicaenum II et Tridentinum illa verba ad probandam catholicam fidem de ss. Eucharistia allegantia.

2. *Ex verbis institutionis,* quibus quod promiserat, praestitit, quae referuntur a Matth. 26, 26 – 28; Marc. 14, 22 – 24; Luc. 22, 19 – 20, et a Paulo 1. Cor. 11, 23 – 25. Verba a quatuor ss. scriptoribus relata quoad substantiam sunt haec: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Porro haec, si sensu proprio accipiuntur, clare significare realem praesentiam corporis et sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, nemo ambigit. Atqui sensu proprio omnino accipi debent; illum enim exigunt:

a) Indubitata lex hermeneutica, juxta quam sensus proprius semper est retinendus, nisi adsint evidentes rationes, quae sensum metaphoricum exigant. Atqui nihil est in universa scriptura, quod levissimo indicio esset, in allatis verbis latere tropum; nihil in ipsa rei natura, cum realis praesentia nec repugnantiam involvat, ut inferius demonstrabitur, nec spectata loquentis persona et charactere impossibilis sit. Quis enim non eloquio, utut incredibili, fidem adhibeat, si ab illo categorice editum fuerit, quem jam in universum divina virtute instructum cognovimus, quem tot tantorumque miraculorum auctorem spectavimus, qui morbos desperatos solo voluntatis nutu uno momento absens substulit, qui fracta mortis vi defunctos solo verbo vitae restituit, qui rerum essentias sua potentia immutavit; ut aquam in vinum? An ille, per quem omnia facta esse scimus omniaque consistere, fidem non meretur, ubi novi prodigii se auctorem testatur? An major potestas requiritur, ad rerum substantias immutandas, quam

---

est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Videlicet Spiritus Dei est, qui dat intelligentiam: homo carnalis non potest percipere divina mysteria; ideo vos utpote carnales non potestis credere et intelligere: verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt, i. e. sunt de rebus divinis et spiritualibus. Cum hac generaliori cohaeret specialis illa explicatio, qua Christus non sensum proprium exclusit (quod vel inde apparet, quod hac declaratione non obstante multi offenduntur et ab eo discedunt), sed sensum materialem capharnaiticum, quod ipsa caro Christi in suo naturali existendi modo dentibus comminuenda et manducanda foret, prout carnes aliae manducantur, quae in macello veneunt. Huic manducandi modo carnali opponitur manducatio *spiritualis* simul et *sacramentalis.*

creandas? Non potest itaque ob solam rei incomprehensibilitatem Christi effato, in se determinato et clarissimo, fides denegari.

a) Nonnullae humani sermonis leges, et *α)* quidem ea, qua aliquae res semper spectantur in se absolute et non assumuntur ut signum et figura alterius, nisi ex natura sua, ex usu, ex nota antecedenti institutione ab omnibus intelligantur destinatae ad aliud repraesentandum. Ita suapte natura, Caesaris statua sumitur pro Caesare; ex usu, ramus olivae pro pace; ex indole parabolarum, ager est mundus etc.; ex notissima typi institutione, Sara et Agar sunt duo testamenta, petra erat Christus etc. Atqui panis et vinum neque ex sese, neque ex usu, neque ex institutione unquam spectari consuevit ut signa; quis enim indigitans panem diceret « hic est Aristoteles, » ad significandum illum philosophum pascere intellectum? De his igitur quando in praedicato enuntiatur quid sint, semper intelligitur enuntiari, quid sint in seipsis, non vero ad quid significandum assumantur. — *β)* Altera humani sermonis est lex, qua rei vel personae proprietates exprimimus eam appellando nomine rei vel personae alterius, in qua illae proprietates sint maxime conspicuae: sic hominem fortem appellamus leonem, astutum dicimus vulpem. Hoc sensu Christus dixit: *Ego sum vitis, ego sum ostium*, et dicere potuisset: *corpus meum est panis*, vel melius: *ego sum panis*, ut indicaret dotes panis sibi inesse; sed ridicule dixisset: hoc est corpus meum, ut quasdam proprietates panis omnibus notissimas exprimeret per quasdam proprietates corporis sui. — Hac duplici lege vel tantum attenta, non solum corruunt exempla Scripturarum, quae a Sacramentariis obiiciuntur tamquam loca parallela ad demonstrandum sensum figuratum verborum Christi, sed sensus figuratus plane excluditur.

b) Propria vis verborum in se ipsis. Nam *α)* pronomen *hoc* non potest determinate *panem* significare; est enim *panis (ὁ ἄρτος)* masculini generis, hoc *(τοῦτο)* neutrius; sed vel in confuso significat rem nondum determinatam, sed per praedicatum determinandam, quid sit, vel concordat cum praedicato *corpore (τὸ σῶμα)*, ut construitur in Vulgata: *hic est sanguis meus*. In utroque casu sensus est: quod vobis porrigo manducandum *est corpus meum*, bibendum *est sanguis meus*, non vero: hic panis est signum corporis mei etc. — *β)* Accedit emphasis, qua repetitur articulus

praedicati *τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον; τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον* hoc est *ipsum* corpus meum, *ipsum* quod pro vobis datur; est *ipse* sanguis meus, *ipse* N. T., *ipse* qui pro multis effundetur. — *γ)* Confirmatur declaratione, quae praedicato apponitur. Locutio: corpus quod *pro* vobis datur, sanguis qui *pro* multis effunditur in remissionem peccatorum, est juxta constantem usum Scripturae, expressio sacrificii. Atqui in sacrificium Deo pro salute mundi, non signum vel figura, sed verum corpus et sanguis Christi offertur: ergo.

c) Adiuncta Apostolorum, Christi et *institutionis. Apostoli*, visis per triennium miraculis fere continuis, assueti erant rebus quibuscumque mirabilibus, alienissimi vero a venandis in sermonibus divini magistri tropis, simplicem fidem ei adhibebant, quam tamquam conditionem suae sequelae ipse exigebat, quamque ipsi pluries sed speciatim ante annum exhibuerant ei promittenti suam carnem ad manducandum. Qua posita Apostolorum dispositione, repugnat *Christi* bonitati, sapientiae, veracitati, ut usus fuerit verbis, quae vidit Apostolos non modo accepturos sensu, quem prae se ferunt, sed sensu figurato, qui nullum nec ex usu loquendi nec ex praecedenti doctrina Christi haberet exemplum sed e longinquo petendus et artificiose ingerendus esset, intelligere nullo modo potuisse, quin a simplicitate fidei toties eis commendata et ab eis postulata deficerent; idque eo vel magis, quod illa erant verba *instituentis* sacramentum et testamentum novum perpetuo duraturum. Si unquam enim verba sensu proprio adhibentur, hoc est procul dubio in institutione sacramentorum et praecipue testamenti, quod et iure civili cautum est, ne multis occasio detur litibus: hinc si testator domum tibi legasset, non imaginem aut figuram domus, sed ipsam domum tibi legatam intelligeres (1).

d) Modus relationis apud quatuor auctores inspiratos. Nam *a)* hi etsi diversis temporibus, diversis in regionibus scripserint, iisdem tamen fere verbis factum referunt, quin ullus in re gra-

---

(1) Adhibuit quidem figuram quoad calicem (secundum verba Lucae: *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo)*, metonymiam nempe, continens pro re contenta sumens, ast haec figura est clarissima, quam nemo potest perperam intelligere, de qua explicanda etiam nemo usque ad saeculum nostrum vel erravit vel dubius haesit.

vissima verborum obscuritatem auferre vel addendo explicationem vel locutioni impropriae propriam substituendo cogitaret, dum e contra in rebus levioribus et minus obscuris se invicem supplere et explicare solent: ergo verba illa et plana et in sensu suo clara habuerunt; at clara non sunt nisi in sensu proprio, in improprio obscurissima (1): ergo sensum proprium ut genuinum habuerunt. — *β*) Paulus, relata ss. Eucharistiae institutione consectaria infert, quae necessario realem praesentiam supponunt; sic enim ait (1. Cor. 11, 27 sq.): *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Ergo Eucharistiam indigne sumens reus est, non figurae corporis et sanguinis Christi, sed ipsius corporis et sanguinis, quia nempe indigne recipit corpus et sanguinem Domini, non vero solum utriusque figuram. Et sane, si qui indigne tractant figuram corporis et sanguinis Domini, rei essent ipsius corporis et sanguinis Domini; Judaei, qui olim agnum paschalem et manna indigne sumebant, aeque dici debuissent rei corporis et sanguinis Domini, cum illa duo essent figurae Christi; quod est absurdum. Hinc severi comminatio iudicii indigne Eucharistiam recipienti, quia non discernit corpus Domini, sed sumit tamquam panem materialem. — *γ)* Idem modus referendi verba eucharistica, sine explicatione, etiam apud Patres observatur, qui simplicem fidem exigentes, loco declarationis, ad eam confirmandam appellare solent ad omnipotentiam Dei.

848. II. Eadem veritas traditione quoque luculenter confirmatur et *a)* quidem *praescriptionis* argumento. Indubitatum est omnique retro historia satis testatum, orbem catholicum numquam non illud dogma amplexum esse, et illico contra quosvis

---

(1) De obscuritate verborum Christi (in sensu figurato) et de difficultate saepe conqueruntur Sacramentarii, qui, ut suam extundant opinionem, vim inferre debent verbis Christi atque in diversissimas abeunt sententias, quas iam ita irrisit Lutherus in apolog. *de coena Domini:* « Doctor Carolostadius ex his sacrosanctis vocabulis: *Hoc est corpus meum*, misere detorquet pronomen *hoc;* Zwinglius autem verbum substantivum *est* macerat; Oecolampadius nomen *corpus* torturae subiicit; alii totum textum excarnificant. »

errores insurrexisse, qui avitam fidem illam impugnare vel a longe ausi sunt. Tanta fuit in antiqua Ecclesia hac de fide consensio, ut vel in ipsis *sectis*, quae primis jam saeculis a communi matre scissae sunt, vix non intemerata perseveraverit; imo ut in iis, quae superstites sunt, adhucdum perduret, nominatim vero ecclesiam *graecam* hujus fidei tenacissimam semper fuisse, ex historia constet. Iam vero, quomodo totius orbis christiani omniumque aetatum ac regionum consensus in unam praesentiae realis fidem conspirare potuisset, nisi ab initio illud dogma fuisset omnibus ecclesiis traditum? Aut dicant adversarii, qua ratione fieri potuerit, ut tota Ecclesia post Apostolorum tempora in novum dogma tam stupendum consenserit, ab antiqua fide aeque ac sensibus et communi judicandi ratione alienum, imo hominis captum naturalem prorsus excedens! Quomodo in re tanti momenti, ad praxim et usum quotidianum pertinenti tanta subito innovatio fieri potuisset, quin ejus aliqua in Ecclesiae monumentis mentio occurrerit?

b) Patrum doctrina, quam de hoc dogmate apertam et luculentissimam ad quaedam capita reducere conabimur. Docent itaque:

α) In Eucharistia carnes Christi manducari et sanguinem bibi. Praesbyteri Achaiae, in epistola saec. IV doctoribus nota, de martyrio s. Andreae n. 6. narrant, s. Apostolum idolis sacrificare iussum respondisse: « Omnipotenti Deo ego omni die vivum offero sacrificium.... immaculatum agnum quotidie in altari crucis Deo offero, cujus *carnes* postquam fidelis populus *comedit* et *sanguinem* ejus *bibit*, immaculatus agnus integer manet et vivus. » Ita Iustinus, Tertullianus, s. Ephrem Syrus, Hilarius, Nyssenus, Ambrosius, Cyrillus Alex. etc.

β) Adhuc intensius in Eucharistia esse *vere* corpus, verum et proprium corpus et sanguinem Christi, corpus illud, *quod natum ex Maria Virgine, quod cruci affixum fuit, quod nunc sedet ad dexteram Dei Patris*, sanguinem illum, *qui venditus erat a Juda, qui e latere Christi manavit*, quia ipse dixit hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Chrysostomus: « Si enim regem quis non utcumque et perfunctorie acceperit: quid regem dico? ne vestem quidem regiam.... si autem humanum vestimentum nemo ausus fuerit temere tangere; quomodo *corpus universorum* Dei immaculatum et purum, quod cum divina illa

natura versatum est, per quod sumus et vivimus, per quod portae mortis fractae sunt et fornices coeli aperti sunt, cum tanta contumelia accipiemus.... Cum ipsum videris propositum, tibi ipsi dic:.... *hoc est illud corpus, quod cruentatum fuit, lancea perfossum, quod salutares fontes scaturivit orbi, alium sanguinis, alium aquae... Hoc corpus dedit nobis et tenendum et manducandum,* quod intensae dilectionis fuit » (1). Ambrosius: *Hoc, quod conficimus, corpus ex Virgine est;* quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse Dominus Iesus partus ex Virgine? *Vera utique caro Christi est, quae crucifixa est, quae sepulta est:* vere ergo carnis illius sacramentum est » (2). Ita Hilarius, Gaudentius, Cyrillus Hierosol. Caesarius, Epiphanius, Cyrillus Alex. Isaac Magnus, Jacobus Sarugensis, Isidorus, Damascenus, liturgiaeque omnes.

γ) Haereticis annumerant, qui realem praesentiam negant. S. Ignatius: « Ab Eucharistia et oratione (liturgia) abstinent, eo quod non confiteantur, Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater benignitate sua suscitavit » (3).

δ) Excludunt rationem figurae et signi. Macarius Magnes saec. IV: « Dixit (Christus): *Hoc est corpus meum;* non enim figura corporis aut sanguinis, ut quidam (Docetae) stupida mente nugati sunt, sed potius vere corpus et sanguis Christi » (4). Cyrillus Alex: « Demonstrative *(δεικτικῶς)* autem dixit: *Hoc est corpus meum* etc., ne figuram *(τύπον)* esse arbitreris, ea quae videntur, sed arcana ratione aliqua transformari ab omnipotenti Deo in corpus et sanguinem Christi vere *(κατὰ τὸ ἀλεθές)* oblata, quorum participes effecti vivificam et sanctificantem Christi virtutem suscipimus » (5). Ita Chrysostomus, Damascenus, conc. Nicaen. II etc.

ε) Dogmate realis praesentiae tamquam *principio demonstrationis* inde ab aevo apostolico utuntur ad confutandas haereses omnes contra dominicam incarnationem exortas. Contra Docetas et Monophysitas ex veritate carnis et sanguinis

---

(1) Hom. 39. *in 1. Cor. n. 4.* — (2) *L. de Myst.* c. 9 n. 53. — (3) *Ad Smyrn.* c. 7 — (4) Apud Migne *T.* 5. p. 348 sq. — (5) *In Matth.* 26, 27.

Christi in Eucharistia deducunt tum realitatem carnis, tum inconfusam realitatem integrae humanitatis a Christo assumptae, ut Irenaeus et Athanasius. Contra Nestorianos demonstrant, carnem Christi in Eucharistia utpote vivificam et nos unientem cum Verbo, pertinere ad ipsam Verbi personam, ut frequenter Cyrillus Alex. Contra Arianos ex eo quod nostra unio cum Christo in Eucharistia non per affectum est, sed per reale Christi corpus, colligunt consubstantialitatem ejus cum Patre, retorquentque argumentum haereticorum ex verbis: *ut omnes unum sint, sicut ego et tu unum sumus.*

φ) Eucharistiam saepe maximum dicunt *mysterium* et stupendum *miraculorum compendium, sensum omnemque hominis rationem superare.* Gregorius Nyss., Chrysostomus, Augustinus, qui et illud miraculum miratur, quod Christus proprie et non metaphorice proprium corpus suum in manibus suis tulit, quod utique nemo hominum facere potest (1).

849. Cum nullum sit mysterium, contra quod plura non possint testimonia sat obscura, sat difficilia opponi, immerito omnino expectatur, ut nullum prorsus de ss. Eucharistia Patrum reperiatur effatum, quod difficultatem pariat. Quoad hujusmodi obscuriores loquendi formulas generatim advertimus *a)* ipsam *arcani disciplinam* (2) ad talem loquendi modum obscurum vel etiam ad silentium eos adegisse; *b)* ante Sacramentariorum exortas haereses securius et liberius citra periculum erroris pro fidelibus loqui potuisse, cum scirent mysterium jam secretius fuisse explicatum initiatis, ab hisque firmissime credi; hinc *c)* hujusmodi locutiones non velut dogmatis negationes, sed velut deductiones ex dogmate

---

(1) Cf. Card. Franzelin th. VIII et IX. — Argumentum ex theologia monumentali (Catacombis) cf. penes Katschthaler *op. cit.* n. 380.

(2) Eam viguisse nemo inficiabitur, qui vel obiter ss. Patrum inspexerit volumina. Eam testantur, quoties quaedam silentio praetereunt, vel ad aliqua tantum respiciunt et alludunt, vel eadem obscure tantum attingunt. Viguit disciplina arcani (in *Oriente* usque ad saec. V, in *Occidente* usque ad saec. VI circiter) *circa omnes sublimiores religionis christianae veritates,* praesertim autem circa *sacramenta* et saepissime circa ss. Eucharistiam; tum ut mysteria a profanatione vindicentur, tum Catechumenorum animus ad illa discenda excitetur et audiendi cupiditas acuatur. Scribit Origenes *in Levit. Hom. 9 n. 10.:* « Novit, qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei. Non *ergo immoremur* in his, quae et scientibus nota sunt et ignorantibus patere non possunt. »

supposito intelligendas esse. Speciatim vero haec principia prae oculis habenda sunt. Primum est, hoc sacramentum duplici constare *parte:* sensibili, quae consistit in speciebus panis et vini, et *invisibili,* quae est Corpus et sanguis Christi. Cum autem res composita, modo ab uno elemento modo ab altero possit denominari; hinc Patres aliquando species illas appellant panem et vinum (1), vel, propter relationem inter partem sensibilem et invisibilem, typum vel signum praesentis corporis et sanguinis. Secundum est, distingui in corpore Christi duplicem *statum* et *modum* existendi; alterum *connaturalem* uti Christus est in coelo, alterum *sacramentalem* uti est sub speciebus sacramenti; hinc aliquando Patres, corpus in statu sacramentali asserunt esse repraesentationem et figuram corporis dominici, uti est in modo connaturali. Tertium est, distingui duplicem de Jesu Christo *fruitionem: praesentem* in cibo eucharistico et *futuram* quae, remotis eucharisticis umbris, erit in coelo: et hoc sensu Eucharistia vocatur typus nostrae salutis, antitypa futurorum. Quartum principium est, distingui duplex Christi *corpus:* alterum *physicum* in sacramento, alterum *morale* seu mysticum quod est Ecclesia; hinc Patres illud corpus reale Christi spectant ut sacramentum significans et perficiens unionem membrorum in corpore mystico fidelium, illoque paucis utpote noto indicato, transeunt ad declarandam rem significatam. Quintum denique principium est, distingui a manducatione communi cum omnibus functioni-

---

(1) Imo et ipse Paulus, qui doctrinam de Eucharistia ex immediata divina revelatione hauserat, quique pro reali praesentia Christi decretoria edit testimonia, postquam verba institutionis retulit, subjungit: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne* etc. (1. Cor. 11, 27 sq). De qua appellatione Catechismus Rom. p. 2. c. 4. q. 38: « Mirandum non esse, si post consecrationem panis etiam vocetur. Hoc enim nomine Eucharistia appellari consuevit, tum quia panis speciem habeat, tum quia naturalem alendi, et nutriendi corporis vim, quae panis propria est, retineat. Eam autem esse ss. Litterarum consuetudinem, ut res ita appellent, cujusmodi esse videantur, satis ostendit, quod in Genesi (18, 2) dictum est, tres *viros* Abrahae apparuisse, qui tamen tres Angeli erant. Et (Act. 1, 10) duo illi, qui Apostolis, ascendente in coelum Christo Domino, apparuerunt, cum essent angeli, viri dicuntur. » — Eodem modo intelligenda essent verba (Matth. 26, 29): *Non bibam a modo de hoc genimine vitis usque in diem illam, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei,* si quis ea referre velit ad calicem eucharisticum, quamquam collato Luc. (22, 17 sq.) probabile admodum est, ea pertinere ad vinum porrectum discipulis ante institutionem Eucharistiae.

bus animalibus, quam *capharnaiticam* dicunt, *manducationem* sacramentalem, hancque iterum prout est *sine effectu*, vel *cum suo effectu*, qui est *refectio, coniungitur.* Exinde Patres si videntur aliquando excludere realem manducationem, revera vel pro omnibus capharnaiticam, vel pro indigne suscipientibus plene sacramentalem illam, quae sit animae refectio, excludunt.

ARTICULUS II.

De modo quo Christus in Eucharistia fit praesens seu de transubstantiatione.

850. Doctrina catholica de Eucharistiae sacramento non absolvitur professione dogmatis de reali praesentia, sed insuper credendum proponit *modum*, quo Christus praesens fit. Hic porro modus duo importat: primo panis absentiam contra Lutherum, qui, admissa reali praesentia, panis et vini *coëxistentiam* cum corpore et sanguine Jesu Christi concipiebat; secundo hanc praesentiam corporis Christi et hanc panis et vini desitionem fieri per *conversionem;* neque enim qui duo priora admittit, eo ipso admittit et tertium; nam posset dicere, se de modo, quo id fiat, nihil velle affirmare; vel id fieri modo nobis incomperto non tamen per conversionem; vel denique fieri annihilatione panis et positione corporis eo modo, quo Deus posset v. g. annihilare lapidem et ibi creare hominem. Hinc tres articulos distincte definivit conc. Trident. (sess. 13. can. 1 et 2); et quoniam Pistorienses solum duos priores proposuerant, remotis quaestionibus scholasticis circa modum; ideo eorum doctrina a Pio VI. Bulla *Auct. fidei* damnata fuit ut *perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transubstantiationis, favens haereticis.* Itaque cum conc. Trident. statuimus;

851. Prop. 126. **Christus in Eucharistia fit praesens per mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat.**

De fide ex can. 2 in prop. citato.

Declar. *Conversio* est transitus unius rei in aliam secun-

dum aliquam rationem entis; sic quando stipes convertitur in statuam, transit in aliud secundum figuram extrinsecam, dum e contra quando aqua convertitur in vinum transit in aliud secundum ipsam substantiam. Ad conceptum igitur conversionis tres requiruntur conditiones:

1.° Ut duplex sit terminus, unus *a quo,* qui desinit, et alius *ad quem,* qui succedit secundum aliquam entis rationem pro diversitate conversionis diversam; deficiente termino *a quo* habetur creatio, deficiente termino *ad quem* habetur annihilatio, non conversio.

Uterque autem est vel *totalis* vel *formalis.* Terminus *a quo totalis* est tota res illa concreta, quae dicitur converti, scilicet substantia panis cum suis accidentibus; terminus *formalis a quo* est ratio illa entis, quae desinit i. e. substantia panis absque accidentibus: pariter terminus *ad quem totalis* est corpus et sanguis Christi una cum speciebus panis et vini velut unum compositum, seu ipsum sacramentum; terminus *formalis ad quem* est corpus Christi.

2.° Ut inter unius desitionem et successionem alterius *nexus* sit, quo desitio ordinetur ad successionem, et successio exigat prioris desitionem; unde non sufficit fortuita successio unius post alterum.

3.° Ut de termino a quo remaneat aliquid, quod uniatur cum termino ad quem, quodque *commune tertium* appellari solet. Licet autem hoc commune tertium esse possit etiam tantummodo *conceptus rei praesentis,* negari tamen nequit conversionem fore magis *propriam,* si esset aliquid reale intrinsecum utrique termino totali. In conversione eucharistica hoc *commune tertium* sunt species panis et vini.

Porro conversionis non una est species. Conversio rei ab una forma in aliam, dicitur *transformatio.* Cum autem forma sit duplex, *accidentalis* et *substantialis;* hinc etiam duplex transformatio: accidentalis v. g. ferri in gladium, in qua substantia eadem est, ac figura tantum differunt, unde et *transfiguratio* dici solet; *substantialis* v. g. ligni in cinerem, in qua lignum et cinis substantialiter quidem differunt, ita tamen ut eadem materia maneat in cinere, quae fuit in ligno.

Iam vero secundum analogiam horum nominum *transformationis, transfigurationis, translocationis,* ea conversionis species,

qua terminus non solum secundum figuram remanente substantia, vel secundum formam substantialem remanente materia, sed secundum tum formam substantialem tum materiam remanentibus tantum sensibilibus accidentibus transit in aliam substantiam, aptissime dicitur *transubstantiatio.* Aptissime dico, nam hoc nomen ita est ei proprium, ut nulli alii conveniat conversioni, et sua significatione etymologica exhibet ipsam rei significatae definitionem: qua propter nullis artibus in alienum sensum detorqueri potest.

852. Demonstr. i. Si post consecrationem remaneret sub speciebus simul cum Christi corpore substantia panis, falsa esset propositio: *hoc est corpus meum:* ergo post consecrationem non remanet sub speciebus substantia panis. *Prob. anteced.* Quando duae substantiae sunt in eodem loco, una sensibilis per propria accidentia, altera sub iisdem accidentibus latens; et hae duae substantiae ad invicem ita se habeant, ut illa, quae est per propria accidentia sensibilis, neque ex natura sua, neque ex hominum usu, neque ex speciali aliqua destinatione, substantiam aliam latentem contineat; pronomen *hoc* non hanc latentem substantiam designat, sed unice eam quae per accidentia sua propria est sensibilis, quamdiu substantia ipsa maneat sub illis. Sic v. g. ostendens pomum, quod inclusam et occultam habeat monetam auream, fallaciter dicerem: *hoc est aurum,* quia pronomen hoc unice demonstrat substantiam illis speciebus connaturalem i. e. pomum, et vera tantum esset si per miraculum substantia pomi desineret et nulla alia substantia illis phaenomenis subesset quam aurum, quia facile intelligitur, pronomine *hoc* attentionem dirigi non ad accidentia, sed ad substantiam, quae revera subest. Si quis e contra ostenderet vas vino plenum, recte diceret: *hoc est vinum,* quia cum vas suapte natura destinetur ad continendum, pronomine *hoc* attentio sponte dirigitur ad rem contentam, cuius continens tamquam accidens connaturale consideratur. Cum itaque panis neque ex natura sua neque ex nota institutione ad substantiam continendam ordinetur, si, peracta consecratione, adhuc mansisset cum corpore Christi, ipse tantum significaretur atque adeo falsa esset Christi propositio: *hoc est corpus meum,* sed unice dici potuisset: *in hoc pane est corpus meum.*

Hisce iam positis, quando Christus demonstrando panem dixit: *hoc est corpus meum,* duo revera *theoretice* significat: praesentiam sui corporis sub speciebus panis, simulque desitionem inde substantiae panis. Ut autem illa verba vera sint in hac sua significatione theoretica, necesse est ut *practice* efficiant quod significant. Ergo Christus pronuncians illa verba efficit, ut praesens sit corpus suum, simulque desinat substantia panis. Illa autem verba utrumque hoc eo modo et ordine producunt, quo significant. Atqui ita significant, ut affirmatio corporis Christi vi sua sit negatio panis: ergo pariter ita reapse efficiunt corpus Christi praesens sub speciebus, ut haec positio vi sua exigat desitionem panis. Habentur itaque tres ad veram conversionem statutae conditiones; et quoniam termini a quo et ad quem sunt substantiae, conversio est *substantialis,* seu transubstantiatio.

Brevi: Christus affirmans panem, quem manibus tenebat, esse corpus suum, eo ipso affirmat hoc non esse amplius panem; et cum eius verbum sit infallibiliter verum, efficit utrumque, videlicet ut hoc sit corpus suum et hac ipsa effectione, ut non amplius sit panis. Cf. conc. Trident. (sess. 13. cap. 4).

853. II. *a)* Argumento praescriptionis, cui tamen supersedere possumus, quum ante Lutherum dogma de reali praesentia numquam a transubstantiationis doctrina separatum fuerit; ideoque ad ea lectorem remittimus, quae (n. 848) ex isto demonstrationis genere adduximus.

b) Ex liturgiis antiquissimis ecclesiarum orientalium, in quibus fideles deprecantur Spiritum sanctum ut panem *transmutet* in corpus Christi, et vinum in sanguinem, et ex Patribus, qui *α)* docent ante consecrationem esse *panem et vinum,* post verba mystica *non esse amplius panem et vinum,* sed corpus et sanguinem Christi. Cyrillus Hieros.: « Plena imbutus fide, quod qui apparet panis, panis non est, etiamsi gustu sentiatur; et quod apparet vinum, vinum non est, etiamsi gustus hoc velit, sed sanguis Christi... confirma cor tuum » (1). — *β)* Ajunt, *panem fieri, mutari, transmutari, transelementari, transire* in corpus Christi, vinum in sanguinem. Gregorius Nyss.: « Panis sanctificatur per verbum Dei et orationem, et statim per verbum

(1) *Catech. mystag.* 4. n. 9.

in corpus transmutatur, sicut dictum est a Verbo: *Hoc est corpus meum* » (1); et Damascenus: « Est revera corpus unitum divinitati, natum ex s. Virgine corpus, non quod in coelo assumptum corpus descendat de coelo (motu locali), sed quod panis ipse et vinum transmutantur in corpus et sanguinem Dei » (2). — *γ)* Ut hoc illustrent et persuadeant mysterium provocant ad mutationes quotidianas, ut seminis in triticum, succi terrae in vinum, cibi in carnem et sanguinem; ad alias conversiones stupendas, v. g. ad aquam mutatam in vinum, ad conversionem virgae in serpentem, uxoris Loth in statuam salis, ad creationis opus, ad incarnationis mysterium: ita Justinus, Ambrosius, Chrysostomus, Damascenus etc. Speciminis gratia Cyrillus Hieros.: « Aquam olim (Christus) in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae transmutavit; et eum parum dignum existimabimus, cui credamus, quum vinum in sanguinem transmutaverit? » (3).

Porro analysi harum expressionum instituta liquebit, omnes in iis contineri conditiones, quas necessarias ad veram conversionem statuimus.

854. **Corollarium** 1. Actio, qua corpus Christi praesens sistitur, non videtur esse simpliciter *adductiva*, ut censuerunt nonnulli theologi, quia adductio non est vera conversio et fieri non potest, quin corpus relinquat locum a quo adducitur. Neque est *productio* vel *creatio* simpliciter, cum corpus Christi utpote existens in coelo, non incipiat esse absolute et simpliciter, cum fit praesens in Eucharistia; sed tantum incipiat esse secundum quid, h. e., incipiat esse tantum sub speciebus, sub quibus antea non erat. Rectius videtur appellari *reproductio* seu *replicatio analoga productioni*, quia ita ponit corpus Christi sub speciebus, ut sufficeret ad corpus Christi producendum, nisi jam secundum alium modum connaturalem praeexisteret.

Neque haec reproductio est generatio: quia corpus Christi non fit ex pane, ut materia ipsum componente, sed tantum transeunte, et tanquam termino a quo (4).

855. **Corollarium** 2. Quamvis substantia panis et vini destruatur et penitus desinat atque hoc sensu dici possit annihilari, proprie

---

(1) *Orat. catech.* 37. — (2) *De fid. orth.* l. 4. c. 13. — (3) *Catech. mystag.* 4 n. 2. — (4) Cf. etiam prop. 29 sq. Rosmini.

tamen non *annihilatur*, nam annihilationis terminus est purum *nihil*; panis autem non cessat, ut nihil sit: sed ejus desitio ad hoc dirigitur, ut sit aliquid, corpus scil. Christi. In annihilatione subtrahitur divinus concursus, in desitione substantiae panis actus positivus intercedit.

856. Scholion I. *Species panis et vini post consecrationem manent sine subiecto.* — Quod *maneant* docet Trident. (sess. 13. can. 2): « manentibus dumtaxat speciebus panis et vini; » quod maneant *sine subiecto*, colligitur ex damnata Wicleffi in conc. Constantiensi prop.: « Accidentia panis non remanent sine subiecto in sacramento altaris, » et ex doctrina catholica, quod, facta consecratione, manent quidem species panis et vini, substantia autem panis et vini cessat. Prima igitur pars est *de fide*, altera *fidei proxima*.

Cum hac cohaeret quaestio altera: *quid species eucharisticae accurate sint?* De hac duplex est sententia. Antiqui fere unanimiter docuerunt, species eucharisticas esse *accidens physicum absolutum*, seu realitas quaedam distincta a substantia et per divinam potentiam separabilis ita, ut seorsim existat sine subiecto. Post invectam philosophiam Cartesianam nonnulli theologi defendunt, species eucharisticas esse non aliquid physicum, sed tantum aliquid apparens, ita, ut in ss. Eucharistia praeter corpus et sanguinem Domini nulla physica entitas cogitanda sit, quae videatur, tangatur, moveatur, etc., sed ut vel virtute divina, vel corporis Christi efficacia, illae eaedem sensationes visus, tactus, etc. in nobis producantur quae, si adesset ibi substantia panis et vini, naturaliter producerentur.

Prior praeferenda est sententia *a)* propter antiquorum auctoritatem, *b)* propter majorem cum verbis conc. Constant. Florent. Trident. conformitatem; docent enim *species* manere; jam vero si species illae non essent aliquid reale sed aliquid apparens tantum, aliquid sensibus nostris impressum tantum, non dici posset, quod maneant; id enim solum manere dicitur, quod prius non erat; *c)* propter planiorem verborum Scripturae (Luc. 22, 17; 1. Cor. 10, 16) explicationem; *d)* propter Patrum doctrinam, qui duo sedulo distinguunt: elementum visibile et elementum invisibile, quod est corpus Christi: illud vocant rem, qualitatem, subinde naturam sensibilem, permanentem, non de-

sinentem quandam naturae proprietatem, quae loquendi ratio ostendit, eos accidentium nomine intellexisse aliquid physicum, quod obiective existat (1).

Hae porro species seu accidentia non corpori Christi tamquam subiecto inhaerent, sed sine subiecto divinitus conservantur. « Cum enim effectus, inquit s. Thomas, magis dependeat a causa prima, quam a causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiae et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam » (2).

857. SCHOLION II. Sicut ex constanti lege physica substantia subest speciebus atque ab his demonstratur; mutatio vero specifica accidentium postulat naturaliter et indicat mutationem substantiae: ita ex constanti lege sacramentali corpus Christi subest accidentibus et sub his est demonstrabile, quamdiu manent eadem accidentia; mutatis vero specifice accidentibus ex constanti lege postulatur, ut non sit amplius sub illis corpus Christi, sed substantia respondens hisce mutatis accidentibus, quae proinde ad exigentiam accidentium creatur.

---

(1) Ne tamen contrariae sententiae nimia proclivitate notam aliquam inuras theologicam, legas quae de hac questione disputat Palmieri *Inst. phil.* vol. 2. th. 28.

(2) 3. q. 77 a. 1. — Si *quomodo* id fieri posist, interroges, respondemus: Resistentia, quae promanat ex singuli particulis integrantibus corporeae substantiae, diversimode modificata pro diversitate substantiae est in instanti promanationis quidam impetus et vis realis (non solum quaedam *ἐνέργεια,* sed quoddam *ἐνέργημα),* quae ex sese *postulat* inesse substantiae et ideo vocatur accidens, ens entis. Substantia, quae subiecti instar subest, hanc vim uniformiter et continuo emittit, atque ideo resistentia videtur continua. Jam vero quia est res aliquid habens entitatis distinctae a substantia, potest a Deo conservari etiam desinente substantia. Quod si Deus resistentiam conservat, patet phenomena, quorum radix proxima est resistentia eadem manere ac si substantia panis adesset.

ARTICULUS III.

De modo, quo Christus est in Eucharistia praesens.

858. Prop. 127. **Totus Christus sub quavis specie et sub qualibet speciei parte praesens est.**

Declar. Propositio asserit integrum esse sub specie panis, integrum quoque sub specie vini; et, si species vini vel panis dividantur in partes, integrum esse sub singulis particulis, ita ut, quot sunt species vel particulae separatae, toties Christi praesentia multiplicetur. Hoc sensu est *de fide* ex conc. Trident. (sess. 13. can. 3): « Si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiae sub unaquaque specie et sub singulis cuiusque speciei partibus, *separatione facta,* totum Christum contineri; a. s. » Si vero agatur de partibus ante separationem, est *theologice certa.*

859. Demonstr. i. p. (Jo. 6, 58): *Qui manducat me, et ipse vivet propter me:* ergo Christus vere comeditur sub specie panis; non enim comeditur nisi sub illa: ergo Christus est sub specie panis, alioquin non posset comedi sub illa. Atqui Christus est Verbum caro factum: ergo totus Christus est praesens sub specie panis. Idem dic de specie vini ob identitatem rationis. — Per verba: *hoc est corpus meum,* fit praesens corpus Christi ut extat cum illa verba pronuntiantur. Atqui cum Christi corpore est inseparabiliter unitus sanguis, anima et divinitas: ergo. — Hieronymus: « Nec Moyses dedit nobis panem verum; sed Dominus Jesus: ipse conviva et convivium, ipse comedens, et qui comeditur » (1); Augustinus ait, Christum, quando in ultima coena panem consecravit, « se ipsum in manibus tulisse » (2).

Annotare cum conc. Trident. potius praestat, *vi verborum* praesens fieri solum corpus sub specie panis, et solum sanguinem sub specie vini. Ratio est, quia vi verborum id praecise continetur sub specie panis et sub specie vini, quod per verba consecratoria panis et vini significatur. Nam verba, quae sunt formae sacra-

---

(1) Epist. 120. *ad Hedibian.* q. 2. — (2) *In Ps. 33 serm. 1. n. 10.*

mentorum, directe et vi sua praecise efficiunt id quod significant. Atqui per verba consecratoria panis corpus, et per verba consecratoria vini sanguis solum significatur, et nihil amplius: ergo. — *Per concomitantiam* autem sub specie panis sanguis, anima et divinitas, sub vini vero specie corpus, anima et divinitas: partes omnes humanitatis sub speciebus illis propter inseparabilitatem naturalem, quam habent in Christo suscitato et non amplius morituro; divinitas vero seu Verbum propter unionem hypostaticam (1).

860. Demonstr. ii. p. Christus, *saltem separatione facta*, adesse totum praesentem in singulis specierum partibus, colligitur *a*) ex eo, quod Christus in ipsa institutione divisit consecratas species panis et vini Apostolis. Si quis contenderet, Christum ante consecrationem panem fregisse, saltem quoad calicem evidens est, ex eo consecrato singulos bibisse. Porro indubium est, unumquemque discipulorum sub illa speciei vini parte, quam sumpserat, totum sumpsisse Christum: ergo. — *b)* Ex verbis: *hoc est corpus meum*, ad quorum veritatem, exigitur, ut totum id, quod demonstratur per particulam *hoc*, in fine propositionis sit corpus Christi. Atqui per verbum *hoc* demonstratur substantia panis, et substantia panis est sub quavis particula: ergo sub quavis particula praesens est totus Christus. — *c)* Ex praxi antiquae Ecclesiae, quae illud in usu habuit, ut post consecrationem eandem hostiam frangeret in plures partes, quas deinde fidelibus distribuit.

Porro hae rationes evincunt, Christum etiam *ante separationem* totum esse praesentem sub qualibet speciei parte; neque enim divisione sed consecratione ponitur corpus Christi sub speciebus. Unde Trident. (sess. 13. cap. 3) sine restrictione docet, Christum contineri sub qualibet specierum parte, nulla separationis facta mentione.

---

(1) Hinc in *ultima* coena praesens erat corpus Christi cum sanguine et anima, sed adhuc mortale; in *triduo mortis*, si consecratum fuisset, per verba consecrationis primae praesens fuisset corpus exangue, inanimatum, et unitum Verbo; per verba consecrationis secundae praesens fuisset sanguis separatus, ut tunc erat, a corpore, sed unitus personae Verbi. Cf. s. Thomam 3. q. 76. a. 1.

861. Prop. 128. **Christus praesens est in Eucharistia modo permanenti.**

De fide ex conc. Trident. (sess. 13 can. 4): « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae sacramento non esse corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non autem ante vel post: et in hostiis seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere corpus Domini, a. s. » Ea statuitur adversus Lutheranos, qui Christum praesentem in ipsa sumptione adesse, non item extra usum et sumptionem asserunt, ea potissimum ratione, quod viderant per hanc sententiam destrui adorationem Eucharistiae, et alia nonnulla quae in usu erant apud catholicos.

862. Demonstr. I. Ex verbis quibus Christus promisit suam carnem in cibum daturum; cibus autem jam ante sumptionem adest. Item ex verbis institutionis; his enim non vero sumptione praesens constituitur Christus.

863. II. Ex traditione, quae manifesta fit a) ex Patribus qui saepius et graviter monent, ne quid de ss. Eucharistia de manibus in terram labatur; et s. Cyrillus Alex. diserte (1) ait, insanire eos, qui dicunt, benedictionem mysticam a sanctificatione cessare, si reliquiae eius remanserint in diem subsequentem; *b)* ex Ecclesiae antiquissima praxi, quam exhibent *α)* liturgiae, in quibus praescribitur, ut consecratione facta corpus Domini adorandum elevetur; *β)* Missa praesanctificatorum, quae frequentius apud Graecos, et in die Parasceves apud Latinos celebrari consuevit; *γ)* Eucharistia servata in domibus et in itineribus, delata per diaconos ad absentes, ab episcopis ad episcopos missa.

864. III. Ex ratione theologica. Ex demonstratis panis convertitur in corpus Christi, ideoque corpus Christi succedit in locum substantiae panis. Tamdiu ergo corpus Christi praesens esse debet, quamdiu praesens esset substantia panis. Atqui substantia panis tamdiu manet, quamdiu species manent incorruptae. Nam rerum substantiae ex accidentibus cognoscuntur, iisque tamquam suis naturalibus manifestationibus respondent; unde mutatio essentialis accidentium est signum mutatae substantiae. Corruptis ergo

(1) Epist. 83 *ad Calosyrium.*

speciebus, desinit adesse corpus Christi, atque adeo creatur substantia corruptis speciebus respondens e. g. acetum.

865. **Corollarium.** *Ergo Christus in Eucharistia est cultu latriae adorandus.* — Est *de fide* ex conc. Trident. (sess. 13. can. 6): « Si quis dixerit, in ss. Eucharistiae sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriae, etiam externo, adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundum laudabilem et universalem Ecclesiae s. ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, et eius adoratores esse idololatras; a. s. » — Chrysostomus: « Hoc corpus in praesepi iacens reveriti sunt Magi, et venientes cum timore et tremore multo ipsum adoraverunt.... Tu vero non in praesepi respicis, sed in altari..... Excitemus itaque nos ipsos, et multo maiorem quam barbari illi pietatem exhibeamus » (1); et Augustinus: « Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit » (2).

866. Prop. 129. **Ad hunc existendi modum sacramentalem quadamtenus declarandum nihil magis conferre videtur, quam si Christi corpus in Eucharistia praesens concipiatur ad modum substantiae et ad analogiam spirituum.**

Declar. In substantia corporali distingui debet quantitas intrinsece dimensiva partes distinguens a partibus easque disponens in ordine *ad se* (ita, ut caput excipiatur a collo, mediante collo a pectore, etc.), qua *aptum* et natum est ad extensionem in spatio, a quantitate *externe* dimensiva, quae extendit substantiam in ordine *ad locum*, ita ut una pars respondeat uni parti loci, altera alteri: seu distingui debet in corpore proprietas intrinseca essentialis cum proxima *aptitudine* ad extensionem, ab *actuali* extensione in spatio. Haec ex illa priori aptitudine est quidem naturaliter consequens, sed tamen manente corporis essentia per Dei omnipotentiam impediri et suspendi potest. Jam vero quando theologi docent, corpus Christi praesens esse ad modum substantiae, priorem illam quantitatem *interne* dimensivam cor-

(1) *Hom. 24 in 1. Cor. n.* 5. — (2) *In Ps. 98. n. 9.*

poris Christi, quae radix est extensionis, non vero *actualem* eiusdem extensionem intelligunt. His praestitutis, mirabilis existendi modus in thesi propositus facilius intelligitur.

867. Demonstr. I. p. « Christi corpus, inquit s. Thomas, est in hoc sacramento per modum substantiae, id est per modum quo substantia est sub dimensionibus.... Manifestum est autem, quod natura substantiae (homogeneae) tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur, sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, et sub qualibet parte panis est tota natura panis; et hoc indifferenter sive sint dimensiones actu divisae vel etiam sint actu indivisae, divisibilis vero potentia » (1). Et Catechismus Rom. docet: « Christum vero Dominum in hoc sacramento ut in loco non esse. Etenim locus res ipsas consequitur, ut magnitudine aliqua praeditae sunt: Christum vero Dominum ea ratione in sacramento esse non dicimus, ut magnus aut parvus est, quod ad quantitatem attinet, sed ut substantia est. Substantia enim panis in Christi substantiam, non in magnitudinem aut quantitatem convertitur.... Cum igitur panis substantiae corpus Domini nostri succedat, fateri oportet, ad eundem plane modum in sacramento esse, quo erat panis substantia ante consecrationem. Ea vero utrum sub magna an sub parva quantitate esset, nihil ad rem omnino pertinebat » (2).

868. Demonstr. II. p. Ceteris vero omnibus aptior huius praesentiae ratio vix aliter concipi posse videtur quam ad analogiam modi existendi spirituum. Id generatim Patres indicant, quando corpus Christi, formaliter ut existit in sacramento, appellant *corpus intelligibile (νόητον), cibum et potum incorporeum, agnum spiritalem, corpus et sanguinem spiritalem.* Jam, sicut analogia postulat, haec sacramentalis Christi praesentia habet cum ea spirituum et similitudinem et diversitatem.

Similitudo haec est: ad modum existendi spiritualem duo

---

(1) 3. q. 76. a. 3. Unde et illud sequitur, quod si symbola plura sint loco dissita vel si symbolum in plures partes dividatur; tum Christus suam praesentiam toties replicat, quot numerantur symbola vel in quot partes symbolum dividitur. « Numerus, inquit s. Thomas *ibidem*, sequitur divisionem, et ideo quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, et per consequens neque infinities, sed toties, in quot partes dividitur. »

(2) *L. c.* n. 44.

requiruntur: alterum est, ut res tota sit veluti collecta in punctum indivisibile, ita ut nihil illius sit, quod in illo indivisibili non reperiatur; alterum est, ut illud indivisibile continue sit extensum vel diffusum, non per partes, hoc enim est rerum corporalium, sed per suas, ut ita dixerim, totalitates, alioquin non posset aliquod spatium continuum simul totum et continuo modo occupare. Brevi: requiritur, ut totum sit intra punctum indivisibile, et totum extra, absque tamen discontinuatione. Ita praesens est anima in corpore extenso, vel angeli intra limites spatii sibi connaturales. Jam vero utrumque reperitur in modo existendi corporis in sacramento: nam totum est sub quovis puncto indivisibili cuiusque speciei, et totum simul est per totam speciem, idque *continue* absque intercisione, i. e. non per plures praesentias adaequatas et invicem independentes, sed per praesentiam unam *continuam* (1).

Diversitas in eo est, quod corpus primo essentialiter habet partes distinctas, quae connaturaliter exigunt existentiam per partes in partibus spatii distinctis, deinde nullam habet connaturalem virtutem exhibendi suam praesentiam extra singularem locum suum ac veluti replicatam per continuum. Hinc in corpore Christi eucharistico utraque huiusmodi *exigentia* (extendendi partes in spatio et restringendi suam praesentiam ad unum locum) manet adhuc in actu primo, eaque ad actum secundum non reducitur, quia Deus omnipotenti sua virtute illam suspendit. — Spiritus e contra actuali quidem extensione caret, sed haec carentia est ipsi, utpote nullam molem corpoream habenti, naturalis, non miraculosa sicut corpori Christi, et insuper caret extensione aptitudinali.

869. **Corollarium** 1. Si *esse in loco* sumitur *late* prout idem est ac esse praesens alicui spatio, corpus Christi in Eucharistia est in loco, quia est realiter praesens in spatio in quo sunt species consecratae; si *esse in loco* sumitur *proprie*, corpus Christi non est in loco. Non enim est in loco *circumscriptive* per commensurationem propriae quantitatis ad quantitatem loci; neque *definitive* i. e. ut ita sit hic, ut non possit simul esse alibi.

870. **Corollarium** 2. Juxta communissimam sententiam Christus

(1) Lessius *De div. perf. l. 12*, c. XVI n. 124 — 126.

non habet in sacramento *naturaliter*, seu *spectata sola virtute naturali*, actus sensuum externorum; quia sensus externi corporis Christi, utpote extensione externa carentis, non possunt recipere obiectorum species, quae sunt materiales et quantitate praeditae. Propter eandem rationem nullum aliud corpus agere potest in corpus Christi eucharisticum. Videtur tamen dignitas ss. humanitatis exigere vel certe eius dignitatem decere, ut Verbum *supernaturali modo* tribuat suae humanitati etiam in hoc statu exercitium sensuum corporis, quantum id mysterio fidei et fini sacramentorum congruit.

Habet autem omnes actus immanentes, qui a sensibus non pendent; et in anima eius omnes sunt thesauri beatificae visionis et scientiae infusae: insuper propter identitatem humanitatis insunt animae Christi omnes perceptiones, quas habet Christus alibi ex sensuum exercitio. Hinc sicut beata humanitas Christi omnia, quae sunt, erant et erunt, ipsa visione beatifica videt in essentia divina ut in omnium causa exemplari, et videt ea omnia in se ipsis per eam amplitudinem scientiae infusae, quae Redemptori generis humani, primogenito omnis creaturae, ac iudici vivorum et mortuorum debetur; ita profecto omnes hi thesauri beatificae visionis et infusae scientiae sunt in anima Christi, etiam quatenus est in Eucharistia. At praeter has rationes speciali titulo formaliter ut existens in Eucharistia, ex ipso fine instituti mysterii, videt omnes cogitationes hominum et affectus, omnes virtutes et peccata, omnes tum totius Ecclesiae tum singulorum membrorum indigentias, labores et angores, persecutiones et triumphos, totam denique vitam externam et internam sponsae suae Ecclesiae, quam carne sua et sanguine suo pretioso nutrit ac fovet: et titulo veluti triplicato (si fas est ita loqui) in eodem statu sacramentali videt tum cogitationes omnes, cultum et obsequium omnium hominum, tum iniurias et peccata (et velut propinquius suorum fidelium ac proxime ministrorum suorum), quae immediate ad hoc ineffabile mysterium amoris referuntur.

871. **Corollarium** 3. Spectatis speciebus, quibus corpus Christi substat (sed non per modum subiecti sustentationis), et cum quibus coniunctione sacramentali unitur, quaedam mutationes, quae fiunt in speciebus, possunt de corpore Christi praedicari; aliae vero non possunt. Sic ratione specierum corpus Christi, quod

non potest moveri *per se* localiter, quia non in sacramento *ut in loco* est, per accidens tamen ad motum specierum localiter movetur; unde dicitur elevari ac deferri in processionibus: sed dici nequit album vel rotundum, quod frigescat aut calefiat, ad frigefactionem vel calefactionem specierum. Ratio discriminis est, quia haec in speciebus fiunt praecise ut sunt quid distinctum a corpore Christi; et praeterea corpus Christi iam incapax est omnis *motus alterationis*.

ARTICULUS IV.

De hoc mysterio secundum rationem considerato.

872. Prop. 130. **Ratio humana ita se habet ad hoc mysterium, ut, quamquam eius possibilitatem demonstrare non potest, nequeat tamen ostendere ejusdem repugnantiam.**

Demonstr. i. p. Ad hanc demonstrationem enim exigeretur plena idearum, quibus Eucharistia exhibetur, cognitio; quae neque rationi naturali competit, neque rationi per fidem illustratae praesto est, uti ex tota serie sententiarum, quas circa Eucharistiam proposuimus, manifestum factum est. Licet enim revelatione edocti simus, existere hoc mysterium, plena instructio de miris in Eucharistia occurrentibus factis revelatione non suppeditatur.

Neque vero iure talis demonstratio exigi potest; hoc enim haud prius postulaveris quam rationem proprie dicti *mysterii* negaveris, quae, fatentibus omnibus, Eucharistiae singulari ratione competit.

873. Demonstr. ii. p. In mysteriis sufficit ostendisse nullas esse veritates necessarias evidenter cognitas, quibus mysterium evidenter repugnet; haec vero demonstratio, sicut de omnibus ita et de eucharistico mysterio confici potest. Et quidem

a) *Indirecte* ex eo, quod cum uti revelationis ita et rationis auctor sit Deus, quod revelatione constat numquam ei quod rationis lumine innotescit, contradicere potest, quia secus contradictio in ipsum Deum refunderetur.

b) *Directe* et quidem dupliciter. *a*) Ut quis repugnantiam Eucharistiae demonstraret, ostendere deberet evidenter repugnare

realem praesentiam substantiae corporis et sanguinis Christi, atque ejus praesentiam sub speciebus panis et vini; hae enim sunt ideae, quibus Eucharistia exhibetur. Ut autem hoc praestet eum prius intimam corporis substantiam in genere et insuper modum, quo Christi corpus et sanguis in Eucharistia existit, perfecte cognitum habere, oporteret. Ast nemo mortalium hac cognitione pollet. Et si daremus, nos cognoscere posse ipsa corpora et leges physicas, quae quotidianae subsunt experientiae: tamen ipsas corporum *essentias* et leges metaphysicas, quae circa ipsas valent, non plane cognoscimus; item relationem, quae est inter essentiam et sua accidentia, ut ipsi rerum physicarum peritissimi contestantur, non plene cognitam habemus. Denique corpus Christi in Eucharistia non purae naturalis est conditionis, sed supernaturalis; est enim corpus in statu glorificationis, quin tamen in gloria sua ad extra appareat; hunc vero rerum ordinem, qui est supra naturam, et leges, quae secundum divinam ordinationem in hoc rerum ordine valent, ratio ex semetipsa numquam cognoscere potest. Cum ergo nemo has ideas, quibus Eucharistia exhibetur, plene cognitas habeat, numquam ostendi potest, has ideas se excludere, ideoque ss. Eucharistiam evidenter esse impossibilem. *β)* Idipsum manifestum fit consideratione difficultatum, quas adversarii opponere solent. Consectaria, inquiunt, hujus mysterii sunt: 1.° adesse in Eucharistia corpus Christi quin suis phaenomenis appareat; 2.° adesse modo spirituali citra actualem coextensionem ad spatium; 3.° adesse idem multis simul locis; 4°. deesse panis et vini substantiam, et tamen panis et vini omnia remanere phaenomena sensibus obvia. Atqui his consectariis opponuntur hae quatuor veritates rationales: 1.° ubi adest corpus, ibi sensibile est suis phaenomenis; 2.° diversae corporis partes diversis respondent partibus loci; 3.° corpus, quod est in uno loco, non est simul in aliis locis; 4.° si desinit corporis substantia, desinunt etiam phaenomena, quae ipsius substantiae sunt effectus: ergo.

Ut generatim hujus conclusionis fallacia appareat, distinguantur judicia nostra de corporibus in judicia ordinis *physici*, quae innituntur constanti experientiae: et in judicia ordinis *metaphysici*, quae pendent ab evidenti cognitione essentiae corporum. Haec sunt *absolute* vera et immutabilia, priora certa *hypothetice*,

quamdiu scil. leges physicae perseverant. Quare qui de corporibus judicat secundum leges physicas, supposita eorum suspensione, manifesto praepostere judicat. Iam vero repugnantiae illae fundantur in *constantia legum physicarum*, nullatenus vero probari potest, eas fundari in ipsa corporum *essentia*. Inferri ergo tantum poterit, eas vigere pro praesenti, non autem pro omni rerum ordine, quod libenter concedimus; Eucharistia autem ad alium pertinet rerum ordinem, qui est supernaturalis et in quo aliae vigent leges: neque Christi corpus modo naturalis est conditionis, sed in statu summae glorificationis (1).

Speciatim vero in hoc existendi modo supernaturali distingui debent quantitas, organismus, partium ordo ut intrinsece se habent, et dein ut referuntur ad extensionem et situm in spatio. Illa tria, priori sensu accepta, essentialia sunt corpori ideoque manent in modo existendi sacramentali. Hinc in sacramento corpus Christi plures habet partes, quarum una non est altera (h. e. quantitas intrinseca); partes vero sunt heterogeneae et simul vitaliter connexae ad unum vivens constituendum (h. e. organismus intrinsecus), et consequenter suum in ipsis ordinem et pulchritudinem habent (h. e. intrinsecus partium ordo). Quod vero partes hujusmodi etiam extrinsece et actualiter extendantur in spatio; hoc quidem naturaliter consequi deberet, sed quod de

---

(1) Adversariorum itaque argumentum peccat *a) idearum confusione;* confundunt enim impossibilitatem rei cum ejus incomprehensibilitate: peccat *b) temeritate;* supponunt enim, se comprehendere penitus omnipotentiam Dei atque accurate nosse, quid possit: peccat *c) arrogantia*, cum sibi vindicent cognitionem essentiae corporum perfectam, de qua tamen dissident philosophi sagacissimi: peccat *d) contra regulas logicae,* quatenus praesentem rerum ordinem pro unico possibili habent, ex quo inferunt leges omni exceptione majores. Hurter n. 416.

Cf. etiam Card. Franzelin th. XI, qui ex charismatibus, quae Deus adhuc in hac vita mortali aliquando per intervalla velut ex anima sanctificata transfundit in corpora sanctorum, multo magis ex dotibus communicandis corporibus glorificatis, et quod etiam proprius ad rem pertinet, ex communicationibus et quodammodo dimanationibus a gloriosa anima Christi atque in supremo fastigio ab ipso Verbo in suum sanctissimum corpus assumptum; concludit, supra hunc infimum ordinem materialem esse ordinem quemdam supernaturalem, ad quem corpora elevari possint, et in quo, quin desinant esse corpora, participent tamen miras quasdam spirituum proprietates...., dari, si, ita loqui fas est, divinam quandam et supernaturalem mechanicam, qua corpus a connaturalibus relationibus ad locum et ad spatium eximatur, et in modo suam praesentiam exhibendi imitetur modum existendi spirituum.

facto sequatur, id corpori essentiale non est. Hinc extrinseca et actualis extensio in modo existendi sacramentali, per Dei omnipotentiam suspenditur, quin corpus desinat esse corpus: quemadmodum ab igne, manente igne, a Deo separari potest effectus ut actu urat, et effectus quantitatis secundarius (extensio actualis) separatus fuit ab ipso corpore, quando Christus exivit ex utero virginali clauso, et de sepulchro, non revoluto lapide; item quando intravit ad discipulos, ianuis clausis. Unde in forma sic responderi potest:

874. *Obi.* 1. Corpus non potest esse sine quantitate: atqui corpus Christi esset in Eucharistia sine quantitate: ergo. — *Resp. Transeat maj.* et *Dist. min.* Corpus Christi esset, ut esse credimus, sine quantitate interna seu quoad primarium ejus effectum *neg.* sine quantitate externa seu quoad effectum ejus secundarium, *conc.* Primarius quantitatis effectus est extensio et coordinatio partium in ordine ad se et in toto: secundarius vero est extensio et coordinatio partium in ordine ad locum: nam prius est quantitatem extendi in se, quam extendi in loco, esse impenetrabilem, divisibilem, etc.

Inst. Corpus Christi, juxta ipsos catholicos, existit cum quantitate dimensiva; atqui non potest esse quantitas dimensiva sine dimensiva extensione: ergo. — *Resp. Dist. min.* Non potest esse quantitas dimensiva sine dimensiva extensione aptitudinali, *conc.* actuali, *subd.* non potest esse naturaliter *conc.*, supernaturaliter *neg.*

Inst. Corpus non potest esse sine figura et organizatione; atqui haec requirunt extensionem: ergo. — *Resp. Dist. maj.* corpus non potest esse sine figura, sumpta pro coordinatione partium in se et in toto, *conc.*, (hoc enim sensu corpus Christi est figuratum in Eucharistia; nam caput non est collum, et est extra collum in ordine ad se; eodem sensu manus non sunt pedes, brachia sunt extra humeros, etc): corpus non potest esse sine figura, sumpta pro ordinatione partium in ordine ad locum, *neg.*; et *contradist. min.* ut supra de quantitate. — Quae de extensione, figura etc. diximus, mutatis mutandis, valent etiam de *impenetrabilitate*, *divisibilitate*, etc., quae cuilibet corpori in aptitudine et exigentia quidem competunt, minime vero actualiter ita ut sine ipsis non possit manere *essentia* corporis.

Obi. 2. Repugnat idem corpus esse in pluribus locis. — *Resp. Dist.* Repugnat idem corpus esse in pluribus locis naturaliter *conc.*, supernaturaliter *subd.* circumscriptive *transeat*, in uno loco circumscriptive et in aliis sacramentaliter *neg.* Unde Trid. (sess. 13 cap. 1): « Nec haec inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in coelis assideat juxta modum existendi naturalem, et in multis nihilominus aliis locis sacramentaliter praesens sua substantia nobis adsit. » Locatio enim non est essentia corporis, sed relatio externa ad spatium; prius enim est *esse*, quam *esse locatum*. Relatio autem ad extra multiplicari potest, quin essentia ipsa multiplicetur, praesertim si in uno loco sit circumscriptive, in aliis sacramentaliter seu ad analogiam spirituum. Qui enim leges physicas circa spatium et praesentiam condidit, eas etiam mutare, videlicet efficere potest, ut idem corpus praeter consuetas leges suam exhibeat praesentiam distinctis in locis. Quod inde etiam forte illustrari posset, quod ipse homo instrumentis opticis obiecta maxima ad minimum reducere potest spatium, et obiecta minima, quae oculum inerme plane fugiunt, per spatium maximum dilatare; atque generatim nil mutabilius est relationibus temporis et spatii; quod uni est magnum, alteri est parvum: quod uni est brevissimum, alteri longissimum. Huc quoque spectat analogia *angeli*, qui praesens esse potest pluribus locis spatii intervallo disiunctis, et *vocis*, quae una compluribus millibus hominum praesens esse potest, quin loquentis substantia vel minimum alteretur (1).

ARTICULUS V.

De Eucharistiae sacramento.

875. Ex veritatibus, tamquam fundamento, praestitutis doctrina de Eucharistia ut sacramento pendet, et ex iis velut ex sua radice exsurgit. In hac exponenda agemus breviter *a)* de sacramenti existentia et constitutivis, *b)* de eiusdem necessitate, *c)* de fine.

---

(1) Ceteras difficultates cf. pene Schouppe *tract.* 13 p. 1. c. 1, et De Augustinis *de Euchar.* p. 1. a. 8.

876. *A) De sacramenti Eucharistiae existentia et constitutivis.*

Prop. 131. **Ss. Eucharistia est verum et proprium novae legis sacramentum.**

De fide ex conc. Later IV, Florent. et Tridentino (sess. 13 per totam, et sess. 7, et alibi saepe).

Demonstr. Eucharistiae conveniunt omnia elementa sacramenti constitutiva, nam *a)* est signum sacrum, sensibile, nempe species panis et vini consecrati, (Matth. 26, 26): *Accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit* etc.; *b)* promittitur gratia observantibus hoc signum, ex (Jo. 6, 59): *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum; c)* extat institutio divina et mandatum divinum utendi hoc signo, ex (Luc. 22, 19): *Hoc facite in meam commemorationem.* — Confirmatur universali Ecclesiae traditione, quae semper Eucharistiam numeravit inter vera sacramenta, cui consentit Ecclesia Graeca schismatica (1).

877. **Corollarium** 1. Eucharistia considerari potest in *fieri*, in *esse* et in *usu*, seu ratione *consecrationis, praesentiae permanentis et communionis.* Jam vero essentia sacramenti non consistit in *consecratione*, quia hac producitur quidem signum sensibile efficax gratiae, sed tale ipsa non est, et insuper ipsa est transiens, sacramentum vero aliquid permanens. Neque *consistit* in *usu,* ut ex demonstratis (n. 861 sq). constat. Consistit igitur in speciebus simul cum corpore et sanguine Christi. Nam ratione specierum est sensibile, ratione corporis et sanguinis Christi est cibus spiritualis, habet vim sanctificandi, conficitur verbis consecratoriis, adoratur cultu latriae, etc. Ergo neque ex solis speciebus, neque ex solo Christi corpore, sed ex utrisque simul signum sensibile exsurgit efficax gratiae.

878. **Corollarium** 2. Cum autem sacramentum spectari possit, ut est signum sensibile et ut est causa gratiae, si priori modo accipitur Eucharistia, species significantur *in recto,* corpus Christi in *obliquo,* si posteriori modo sumitur, corpus Christi *in recto* ponitur, et species in *obliquo.*

879. **Corollarium.** 3. Licet nec consecratio nec usus essentiam sacra-

(1) Argumenta ex theologia monumentali cf. apud Katschthaler n. 463 et sq.

menti constituat, cum tamen Christus, instituerit hoc sacramentum per modum cibi, cumque panis non efficiatur corpus Christi nisi per consecrationem, nec corpus Christi sit cibus, nisi in ordine ad comestionem; patet tum consecrationem tum usum causaliter et consecutive semper ad sacramentum relationem habere. Jure igitur Eucharistia definitur: *sacramentum corporis et sanguinis Domini sub speciebus panis et vini consecratis, ad spiritualem animarum refectionem.*

880. Prop. 132. **Panis triticeus, sive azymus sit, sive fermentatus, ad conficiendum Eucharistiae sacramentum est materia valida.**

De fide ex Decreto unionis Graecorum in bulla Eugenii IV *Laetentur coeli.*

Declar. Supponimus materiam remotam hujus sacramenti esse panem et vinum ex vite, quod est *de fide;* et nomine panis intelligi triticeum, quod si non de fide, est tamen omnino *certum* (1).

At panis triticeus duplici modo confici solet; vel enim in ejus confectione fermentum miscetur, et dicitur fermentatus, vel sine fermento paratur ex farina triticea aqua naturali subacta et igne cocta et vocatur azymus. De hoc existit controversia cum Graecis schismaticis, qui, duce Michaele Caerulario Patriarca Constnp., et Leone Archiep. Acridano in Bulgaria ducentis fere ab ortu schismatis per Photium inducti annis (a. 1053), litem

---

(1) Rationes congruentiae adducit s. Thomam (3. q. 74. a. 1): « Panis et vinum sunt materia conveniens huius sacramenti. Et hoc rationaliter primo quidem quantum ad usum huius sacramenti, qui est manducatio. Sicut enim aqua assumitur in sacramento baptismi ad usum spiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua, ita panis et vinum, quibus communius homines reficiuntur, assumuntur in hoc sacramento ad usum spiritualis manducationis. Secundo quantum ad passionem Christi, in qua sanguis est a corpore separatus, et ideo in hoc sacramento, quod est memoriale dominicae passionis, seorsum sumitur panis ut sacramentum corporis, et vinum ut sacramentum sanguinis. Tertio quantum ad effectum consideratum in unoquoque sumentium, quia, ut Ambrosius dicit (super *Epist. 1. ad Cor. cap. 11.* Hic calix novum etc.): „ Hoc sacramentum valet ad tuitionem animae et corporis; et ideo corpus Christi sub specie panis pro salute corporis, sanguis vero sub specie vini pro salute animae offertur; sicut dicitur (Lev. 17) quod *anima carnis in sanguine est.* " Quarto quantum ad effectum respectu totius Ecclesiae, quae constituitur ex diversis fidelibus, „ sicut panis conficitur ex diversis granis, et vinum fluit ex diversis uvis, " ut dicit glossa. »

moverunt s. Leoni IX omnibusque Latinis, quod in pane azymo consecrarent contendentes azymum non esse panem, lugendumque renovarunt schisma (1).

Loquimur in propositione de *validitate* materiae, non de *liceitate;* nam ex praecepto ecclesiastico panis azymus pro Latinis, fermentatus pro graecis est necessarius. Cum autem de valore panis fermentati nemo sit qui dubitet, thesis quoad panem azymum probanda est.

881. DEMONSTR. *a)* Christus consecravit in azymo; constat enim ex tribus Evangelistis Christum Pascha comedisse prima die azymorum; atqui in solemnitate azymorum, quae per septem dies celebrabatur (Exod. 12, 15) prohibitum erat fermentatum panem non solum comedere, sed et in domibus retinere: ergo.

b) Ecclesia occidentalis a tempore remotissimo azymo utebatur. Hujus usus testes sunt legati, quos Agato (a. 680) misit Constantinopolim, ut VI synodo generali praeessent, Alcuinus et Rabbanus Maurus qui ante Photium scripserunt. Imo Leo IX (a. 1054) contra Caerularium asserit, Ecclesiam latinam talem morem ab ipso beato Petro accepisse. — *c)* Materia Eucharistiae est panis verus et simpliciter dictus; atqui azymus est verus panis et simpliciter vocatur panis in Scriptura; azymi enim certe erant panes propositionis (1. Reg. 21) et illos vocat *panes,* et azymus erat ille quem Christus fregit in castello Emmaus (erat enim tunc dies azymorum), et Lucas simpliciter eum appellat *panem (ἄρτος),* etc.: ergo.

Dices: Joannes (13, 1) refert, Christum ante *diem festum Paschae* ultimam coenam instituisse. — *Resp.* Ante diem Paschae naturalem *conc.*, legalem *neg.* Joannes de die naturali loquitur, qui a solis ortu usque ad occasum numeratur; alii Evangelistae more Judaeorum de die legali, qui a primis vesperis usque ad secundas computatur. Secundum modum computandi priorem, dies, quo Christus instituit hoc sacramentum (14 mensis Nisam), erat ante diem Paschatis seu Azymorum; secundum alterum vero Judaeorum, inceperat dies prima festorum paschalium.

882. *Nota* 1. Azymi usus videtur convenientior. Rationes enim

---

(1) Quoad quaestionem historicam *de usu azymorum* cf. Katschthaler n. 482 *in annot.*

pro azymo sunt: 1°. Christi exemplum; 2°. quia melius significat corpus Christi, quod sine corruptione conceptum est; 3°. quia melius quoque significat integritatem et mentis munditiem, quam fideles ad hoc sacramentum afferre debent, juxta illud Apostoli: *Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi* (1. Cor. 5, 7. 8.)

Rationes convenientiae pro fermentato sunt: 1.° quia significat unionem divinae cum humana natura in incarnatione; 2.° quia innuit mentes nostras in altum esse attollendas. Atqui illae his potiores videntur: erga praxis latina videtur esse convenientior.

883. *Nota* 2. Ex praecepto ecclesiastico non tamen de necessitate sacramenti vino aliquantulum aquae admiscendum est, quod secundum morem Iudaeorum (Prov. 9, 2 sq.) Christus ipse fecisse creditur. Ideo jam a primis temporibus haec praxis in Ecclesia graeca et latina invaluit, prout antiquissimae liturgiae et Patres testantur. Unde conc. Trident. (sess. 22. can. 9) dicit: « Si quis dixerit, aquam non miscendam esse vino, in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, a. s., » et cap. 7: « Monet deinde s. Synodus, praeceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur; et cum aquae in Apocalypsi b. Ioannis (17, 1. 15) populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur. » Aquam hanc in sanguinem converti omnes unanimi voce pronunciant.

884. Prop. 133. **Materia proxima sunt species quatenus continent corpus et sanguinem Domini.**

Sequitur ex iis quae (n. 877) dicta sunt.

885 **Corollarium.** Etsi duplex sit in hoc Sacramento materia, duplex forma; etsi duo sint signa, species panis, quae corpus et species vini, quae sanguinem significant, tamen unum est Sacramentum. Nam res quae arte potius constant quam natura, non ex partium unitate, sed ex earum perfectione et coaptatione suam consequuntur unitatem; ut in domo et aliis artefactis videre est. Sic in Eucharistia species panis et vini unum sunt et integrum signum rei sacrae, et ad eundem finem et effectum referuntur.

Nam et spiritualem animae refectionem, et passionem Christi, et fidelium communionem, et corpus Christi, quod est Ecclesia significant.

886. Prop. 134. **Forma consecrationis essentialis et necessaria sunt verba: Hoc est corpus meum, — hic est sanguis meus, vel: hic est calix sanguinis mei.**

Sententia *certa,* imo *fidei proxima* ex decreto Eugenii IV pro Armenis.

Statuitur contra Graecos schismaticos affirmantes non tam verba illa *(hoc est* etc.), quam *invocationem Spiritus s.* quae in Liturgia s. Chrysostomi praefata verba subsequitur: « Emitte Spiritum s. tuum super nos et super proposita haec dona, et fac panem istum quidem pretiosum corpus Christi tui, et quod est in calice isto, pretiosum sanguinem Christi tui, immutans Spiritu sancto tuo »; quam invocationem ἐπίκλησιν vocant, efficere transubstantiationem.

Demonstr. *a)* Lege Christi, qui iisdem verbis usus est, simulque Apostolos idem facere iussit (Luc. 22, 19; 1. Cor. 11, 25) (1). — *b)* Fide ss. Patrum, quorum alia non fuit sententia, quam verbis et sermone Christi consecrationem fieri. Pro omnibus provoco ad Tertullianum: « Acceptum panem et distributum discipulis corpus illud suum fecit, *Hoc est corpus meum,* dicendo » (2); ad s. Chrysostomum: « Sicut enim verba, quae Deus locutus est, eadem sunt, quae nunc sacerdos dicit, sic oblatio eadem ipsa est » (3) — *c)* Praxi Ecclesiae continua, quam certis verbis exprimit Eugenius IV ad Armenos: « Forma hujus sacramenti, ait, sunt verba Salvatoris, quibus hoc sacramentum conficitur. Sacerdos enim in persona Christi loquens conficit hoc sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus et vinum in sanguinem convertuntur. » Ecclesiae praxis itidem cernitur in ritu, non solum per totam Ecclesiam occidentalem sed etiam per graecam usitato, quo in Missa, verbis Domini prolatis, statim hostia populo adoranda proponitur.

887. Quo ergo spectat ἐπίκλησις? Eo 1.° *ut declaretur distinctius*

---

(1) Cf. Catechismum Rom. P. 2. c. 4. n. 19. — (2) *Contr. Marc.* l. 4. c. 40. — (3) Hom. 3 *in 2. Tim.* c. 1.

id, quod per verba institutionis jam factum est. Id enim quod in momento Deus facit, homo non potest in momento sibi *repraesentare.* Licet itaque operatio Spiritus s. non sit successiva et per partes sed tota simul; declaratio tamen hujus operationis precibus et verbis fieri nequit nisi successive. Sic Ecclesia in sacramentis Deum obsecrat, ut gratiam tribuere dignetur, postquam materia et forma est adhibita. Similiter in offertorio defunctorum Deum rogat, ut animas ab inferno liberet, ac si judicium nondum fuerit peractum. Ita et in casu nostro. Tota illa pars Missae, quae *canon, actio, ἀναφορά* appellatur, spectatur ut una actio sacrifica; unde omnia quae in ea occurrunt spectare oportet non per se seorsum sed in connexione ac unitate cum eo, quod essentiale est ex Christi institutione. Proinde ritus et preces, quae fiunt *infra actionem* referri debent ad ipsam consecrationem, quae verbis a Christo institutis perficitur, velut radii ad suum centrum, seu, ut explicat Bessarion, referri debent *non ad tempus, quo dicuntur,* sed *ad tempus pro quo dicuntur.* — 2.° Prout vero referuntur ad tempus, quo dicuntur post factam jam consecrationem, ut transubstantiatio fiat etiam *in fidelium utilitatem, quae adhuc expectatur,* ut patet etiam ex Liturgia s. Basilii: « Et panem hunc quidem faciat corpus sanctum ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Iesu, in remissionem peccatorum, et vitam aeternam ei, qui illud percipit ».

888. **Corollarium.** Verba consecrationis a sacerdote proferuntur *historice* simul et *assertive. Historice* quidem, quia proferuntur ab eo ex intentione narrandi quod Christus fecit in ultima coena; immediate enim ante panis consecrationem sacerdos de Christo loquens ait: *fregit..... dicens,* quae formula et de consecratione calicis occurrit. — *Assertive* vero, quia ea profert ex intentione loquendi in persona Christi et ita efficiendi transubstantiationem, significandique corporis et sanguinis Domini praesentiam sub speciebus panis et vini.

889. Scholion. Verbis consecrationis effici transubstantiationem adeoque ea esse formam sacramenti in *fieri,* indubitatum est. At quaeritur inter theologos, utrum illa verba sint forma etiam Eucharistiae *in facto esse* seu utrum sit forma *efficiens* tantum, vel etiam *constitutiva* sacramenti. Ratio dubitandi est, quia hoc sacramentum non consistit in actione transeunte, sicut

cetera sacramenta, sed in aliquo permanenti, verba autem sunt aliquid transiens, quae efficiunt quidem sacramentum, sed non sunt eius forma, quippe quae est pars constitutiva sacramenti. Hinc nonnulli theologi (1) autumant, aggregatum ex speciebus et corpore Christi habere se per modum materiae, respectu cuius significatio sacramentalis, i. e. refectio animae per augmentum gratiae, habet se per modum formae. Verum conformior modo loquendi Florentini videtur sententia, iuxta quam verba rationem formae proprie dictae habent. Licet enim verba transeant, moraliter tamen permanent, cum semper quodammodo informent illas species, quia illae non significant, nisi ut consecratae sunt, atque adeo quatenus substant verbis consecrationis, quae praecesserunt quidem, sed perseverant habere rationem partis determinantis.

890. *B) De necessitate Eucharistiae.*

In hac quaestione duo quaeruntur: 1.° num *omnibus* fidelibus incumbat illius communicandi obligatio? 2.° *quid* percipere debeant communicantes; num utraque, an vero una species requiratur? Quoad primam quaestionem statuimus:

891. Prop. 135. **Nemini actualis perceptio Eucharistiae est necessaria necessitate medii, sed solis adultis necessitate praecepti.**

Demonstr. 1. p. Quoad *parvulos* est *dogma* definitum a Trident. (sess. 21. can. 4) « Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, a. s., » rationemque praecipuam hanc affert (cit. sess. cap. 4): « si quidem per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt, » adeoque si moriuntur, vitam consequuntur aeternam. Neque obstat, quod Ecclesia olim etiam infantibus Eucharistiam dispensaverit, statim atque aqua baptismi fuerint abluti, idque in orientali Ecclesia etiam nunc servetur: hic enim usus ad disciplinam pertinet, et, ut Trident. loco citato ait: « Sicut ss. Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est » (2).

Quoad *adultos* conveniunt theologi Eucharistiam non esse ne-

(1) Schouppe *tr.* 13. n. 214; Becanus c. 15. q. 2. n. 6.
(2) Cf. prop. 32 Rosminii.

cessariam necessitate medii probantque ex eo, quod ad salutem obtinendam sufficit status gratiae, qui ab Eucharistia supponitur, non primum producitur. Confirmatur praxi, qua antiquitas passim etiam in articulo mortis lapsis in graviora peccata, item phreneticis, infirmis ad vomitum proclivibus communionem denegavit.

Neque dicas, ex verbis Christi: *Nisi manducaveritis* etc. eodem modo evinci Eucharistiae necessitatem medii, sicut ex eiusdem sententia: *Nisi quis renatus fuerit,* evicimus baptismi necessitatem medii, nam multipliciter differt inter se uterque textus. Et *a)* quidem ratione *formae locutionis,* quae Jo. 3, 5 est illimitata: *nisi quis,* et complectitur omnes homines, et Jo. 6, 54, est in secunda persona: *nisi manducaveritis,* et designat praesentes adultos. *b)* Ratione *subiectae materiae,* quia Jo. 3, 5 sermo est de *generatione,* quae ad vivendum absolute necessaria est; apud Jo. 6. 54 disseritur de *manducatione,* quae non est absolute necessaria ad vivendum, e. g. per horam. *c)* Ratione *interpretationis authenticae* ab Ecclesia datae.

Ceterum non negamus, ss. Eucharistiae perceptionem adultis, ut diu in gratia perseverent, moraliter esse necessariam.

892. Demonstr. ii. p. Adesse *praeceptum Ecclesiae* certum est ex conc. Later. IV et Trident. saltem paschalem communionem per annum praescribente. Adesse insuper *praeceptum divinum* plurimorum theologorum vox est, illudque tum ex verbis Christi (Jo. 6. 54): *Nisi manducaveritis* etc. colligunt, tum ex eo quod omnia media necessaria ad perseverandum in gratia sunt iure divino praecepta; tale autem medium est communio: ergo.

893. Quoad alteram vero quaestionem, qua nobis cum haereticis lis est, sit:

Prop. 136. **Necessaria non est laicis communio sub utraque specie.**

Est contra Calixtinos ex secta Hussitarum, Lutherum (post plura inconstantiae momenta), Protestantes et Calvinistas, *de fide* ex Trident.: « Si quis dixerit, ex Dei praecepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem ss. Eucharistiae sacramenti sumere debere; a. s. »

Demonstr. *a)* Si communio sub utraque specie esset necessaria, ideo esset vel quia id postulat sacramenti natura vel Christi praeceptum. Atqui neutrum locum habet: ergo. Non primum, quia

cum Christus totus sub quavis specie praesens sit, sub alterutra specie adest signum sensibile cum integro Christo, adest consequenter idem effectus, adest significatio refectionis spiritualis animae, quae in una specie panis sufficienter indicatur. Non alterum, nam « Qui dixit, ut argumentatur T r i d e n t i n u m (sess. 21. cap. 1) : *Nisi manducareritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem* etc., dixit quoque: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.* Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam,* dixit etiam: *Panis quem ego dabo, est caro mea pro vita mundi.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo;* dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem vivet in aeternum* » (1).

b) Confirmatur praxi antiquae Ecclesiae, quae quamvis soleret ad saec. XII usque communionem sub utraque specie administrare, haud raro tamen illam etiam sub una distribuit, quod prorsus non fecisset, si praeceptum extaret divinum sumendi sub utraque specie. Huiusmodi vestigium occurrit in ipsius Christi exemplo, qui sola specie panis usus esse creditur, communicans illos, qui ibant in Emmaus; item vestigia in praxi Apostolorum, e. g. (Act. 2, 42): *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione f r a c t i o n i s p a n i s et orationibus;* item (1. Cor. 11, 27): *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini,* ubi particula disiunctiva *vel* indicare videtur, communionem etiam sub una specie administratam esse. — Post tempora apostolica haec praxis cernitur in *communione domestica,* in qua Christiani, tempore persecutionum praesertim, sub panis specie sola domum portata Eucharistiam sumebant; *in commu-*

---

(1) Unde ad argumentum adversariorum responderi potest *distinguendo:* Christus praecipit ut manducetur eius corpus et bibatur sanguis *conc.,* ut id fiat sub utraque specie. *neg.* Etiam laici bibunt sanguinem Domini licet non sub specie vini.

Inst. Christus Eucharistiam instituit sub utraque specie. Atqui quae Christus instituit sunt observanda et vim habent legis: ergo. — *Resp. Conc. maiorem* et *dist. minorem:* sunt observanda ab omnibus *neg.,* ab iis qui illa usurpant *subd.* quoad substantiam *conc.* quoad accidentalia, *neg.* — Aliud est institutio, aliud praeceptum. Institutum est matrimonium, nec tamen praecipitur. Et etiam qui vult usurpare ea quae instituta sunt, debet utique quae ad substantiam pertinent observare, minime vero accidentalia, secus enim sequeretur in casu nostro communicandum esse vespere post sumptam coenam etc.

nione infantium, quibus antiquitus statim post baptismum sanguis Domini e calice infundi solebat; *in communione infirmorum,* quibus frequenter sub una tantum specie panis eucharisticus porrigebatur; *in missis praesanctificatoriis,* quarum usus frequentior est in Ecclesia graeca.

894. **Corollarium.** Ergo usus calicis pro eis, qui Eucharistiam non conficiunt, non afficit sacramenti substantiam et ad disciplinam ecclesiasticam pertinet, de qua Ecclesia pro rerum, temporum et locorum adiunctis ea statuere vel mutare potest, quae magis expedire iudicaverit (conc. Trident. sess. 21, c. 2). Hinc invectam iamdiu consuetudinem communicandi sub una tantum specie, accedentibus aliis gravibus rationibus, data lege, in conc. Constantien. et Trident. confirmavit. Hae autem rationes iuxta Catechismum Rom. sunt: periculum effusionis, facilior corruptibilitas huius speciei, quae cito acescit, nausea abstemiorum, aversatio vasis pluribus communis, vini caritas et penuria in multis locis, maxime vero necessitas convellendi haereticam opinionem eorum, qui negabant, sub utraque specie Christum totum esse praesentem.

895. *C) De effectibus Eucharistiae.*

Effectus Eucharistiae sunt plane uberrimi; nam si cetera sacramenta totidem rivuli sunt gratiarum, in Ecclesia iugiter manantes, Eucharistia fons omnium gratiarum merito dicitur. Illos autem post s. Thomam conc. Florentinum deducit ex principio illo quod Eucharistia, cum ad modum *cibi* et potus sit instituta, id in anima efficit, quod cibus materialis in corpore; sacramenta enim id praestant, quod significant: atqui cibus materialis licet corpori vitam non det, ipsi tamen vitam conservat et perficit, vires per laborem et calorem naturalem deperditas reparat; delectat, et cum voluptate a recte valentibus percipitur: ergo eosdem effectus producit etiam Eucharistia. Itaque:

1. *Nec unicus, nec primarius Eucharistiae effectus est remissio peccatorum.* Est contra Lutherum et Calvinum, *de fide* ex conc. Tridentino (sess. 13. can. 5): « Si quis dixerit, vel praecipuum fructum ss. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, a. s. » Liquet ex ipsa sua ratione *cibi* et potus, qui non ad vitam mortuis dandam, sed ad eam vivis conservandam ordinatur; ex terribili sententia, quam

intentat Apostolus in indigne manducantes simulque ex illo praecepto: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (1. Cor. 11, 28. 29); ex Patrum doctrina, qui conscientiae puritatem requisitam figuratam agnoscunt in pedum lotione, in veste nuptiali, in candido indumento, quo sponsa Agni cooperitur; ex praxi denique totius antiquitatis, qua nihil clarius nihil inculcatius, quam nonnisi munda et purgata conscientia ad tremendum altaris mysterium accedendum.

2. *Gratiam sanctificantem conservat augetque cum incremento virtutum, praecipue caritatis.* Huc spectant ipsae Christi promissiones (Jo. 6), quod de hoc cibo manducantes habebunt vitam in semetipsis et manebunt in Christo et Christus in eis. Tali gratiae sanctificantis augmento homo fit sanctior, Deo gratior, Deo coniunctior et arctiori vinculo ei unitus, atque ideo fortior et vegetior, tum ad comprimendos inordinatos concupiscentiae motus, qui spiritualem animae vitam corrumpere possent, tum ad implenda legis praecepta, et cetera quae Deo placent, secundum praeclara Augustini verba: « Cibus sum grandium, cresce et manducabis me: nec tu me in te mutabis, sicut cibus carnis tuae, sed tu mutaberis in me » (1). Cf. (n. 842 *annot.).*

3. *Praeservat a peccatis mortalibus,* ut docet Tridentinum (c. 2), idque augendo gratiam sanctificantem ideoque et gratiarum actualium auxilia, spiritualem delectationem infundendo, fomitem concupiscentiae minuendo, daemones fugando, caritatem excitando, mentem a terrenis retrahendo.

4. *Remittit peccata venialia,* idque dupliciter: primo *immediate* ex opere operato. Sicut enim cibus corporalis reparat quotidianos et minores defectus corporis, ita hac refectione spirituali resarciuntur detrimenta, quae ex concupiscentiae inordinato calore patitur caritatis fervor, in quo consistit robur animae. Illa autem detrimenta spiritualia sunt peccata venialia, quae quidem habitum caritatis non minuunt, sed eius actum impediunt et fervorem. Secundo *mediate,* quatenus excitat devotionem et caritatis fervorem, quibus actibus homo ipse suas culpas delet. Unde Trident. (sess. 13. cap. 2) Eucharistiam vocat antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis; illis nempe, quorum non retinetur affectus, et de quibus aliquis dolor seu contritio habetur.

---

(1) *Confess.* l. 7. c. 10.

Quod *poenas* attinet peccato debitas, non eas remittit immediate et directe, quatenus est sacramentum, cum non ad satisfaciendum sed ad spiritualiter nutriendum sit institutum; sed *indirecte et mediate*, ut alia opera bona id efficiunt.

5. *Delectatio spiritualis* juxta illud: « pinguis est panis Christi, et praebebit delicias regibus. » Quod si panis hic de coelo omne delectamentum in se habet, saepe tamen delectatio non sensibilis est: impediri quoque potest per negligentiam, teporem, distractiones, vel nimium affectum ad terrena; imo aliquando animabus sanctis denegatur a Deo probationis causa.

6. *Est pignus futurae gloriae, et germen resurrectionis gloriosae.* « Pignus futurae gloriae » dicitur a Tridentino l. c., idque non tantum, quatenus est causa gratiae, quae est semen gloriae, sed speciali ratione prae aliis sacramentis, quatenus nempe Christus, qui gloriae largitor est, in hoc sacramento continetur, tamquam cibus animam nutriens, atque in spirituali vita corroborans, ut possit perseverare, donec vita spiritualis fiat etiam gloriosa.

Est germen resurrectionis gloriosae, non quasi corpora sanctorum, qui non communicarunt, non sint resurrectura cum gloria; sed quia corpora fidelium justorum propter realem eorum cum Christi corpore coniunctionem resurgent ex speciali titulo. Christus enim ipsam carnem eorum, qui digne suscipiunt sacramentum, tamquam contactu suae ss. carnis consecratam considerat ut carnem suam speciali affinitate. Quamvis enim corpora nostra, quamdiu per statum gratiae templa sunt Spiritus sancti, sint per hoc ipsum membra Christi, de ossibus ejus et de carne ejus, ex quo tempore ipse naturam nostram per incarnationem fecit suam et participavit carni et sanguini nostro (1. Cor. 6, 15-19; Eph. 5, 30; Hebr. 2, 14): haec tamen mystica unitas carnis nostrae cum carne Christi suam pleniorem consummationem et veluti sacramentalem consecrationem accipit per coniunctionem glorificati corporis et sanguinis ejus cum ipsis corporibus nostris, in qua conjunctione celebrantur nuptiae agni cum sponsa sua Ecclesia adhuc peregrinante in membris singulis, quae jucundiores et plenioris unionis celebrabuntur in patria (Apoc. 21, 2. 3) (1).

---

(1) Franzelin th. XIX.

7. Ex iis omnibus sequitur et cum his cohaeret alius effectus, *intima nempe fidelium cum Christo et inter se coniunctio*, uti ipse Christus dicit (Jo. 6, 57): *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo;* et s. Paulus (1. Cor. 10, 17): *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus;* quare etiam ss. Patres asserunt, nos ss. Eucharistiae sumptione Christi concorporeos et consanguineos evadere, ss. Eucharistiam esse vinculum unionis, quo tota Ecclesia, omnia ejus membra inter se copulentur (1).

CAPUT II.

De sacrificio.

896. Considerata Eucharistia, ut est sacramentum, seu ut ordinatur ad hominis sanctificationem; remanet dicendum de eadem, ut est sacrificium, seu quatenus ad Dei cultum refertur. Praesuppositis praenotionibus alibi traditis (519 sq.) omnia huc spectantia ad tres articulos revocabimus: 1.° de veritate hujus sacrificii, 2.° de ejus essentia, 3.° de ejusdem efficacia.

ARTICULUS I.

De veritate sacrificii missae.

897. Prop. 137. **Eucharistiae celebratione seu in missa offertur Deo verum et proprium sacrificium.**

Statuitur contra Novatores saec. XVI, qui Eucharistiae sacrificii *proprie* dicti dignitatem et rationem denegarunt, Missae-

---

(1) Hic effectus ipsa materia et forma huius sacramenti remota significatur. Sicut enim panis efficitur ex multis frumenti granis contritis et in massam unam coeuntibus vinumque ex multis uvarum granis calcatis et expressis; ita divinus hic cibus et potus corda requirit vera caritate coniuncta, ad quam multorum fidelium in uno spiritu coniunctionem efficiendam dirigitur.

que (1) celebrationem tamquam abominationem abrogandam esse clamitarunt. Est *de fide* ex conc. Trident. (sess. 22. can. 1): « Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, a. s. »

Demonstr. i. *a) Ex figuris,* quibus fuit praesignatum, praesertim sacrificio Melchisedechi. Hic sacrificium obtulit in pane et vino (2); sed Christus tam in veteri quam in novo Testamento appellatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech: ergo et Christus eodem ritu sacrificium Deo obtulit, quem in sacrificando Melchisedech observavit, scilicet in pane et vino. Quod nisi Christus instituens Eucharistiam fecit, nullibi fecit.

b) Ex prophetiis, quibus fuit praedictum, ex quibus ad unum illudque celebre provocamus Malachiae vaticinum (1, 10 sq): *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* His verbis promittitur: *a) cultus novus substituendus cultui levitico;* nam cultus, quem oculis propheta subiicit, est cultus universalis non particularis, persolutus a gentibus non ab Israelitis; cultus, in quo sibi complacet et quo introducto, declarat

---

(1) *Missae* nomen probabiliter iam saeculo II., aevo Pii I., certe autem saec. IV. a s. Ambrosio sensu nostro adhibebatur; verisimiliter desumptum est a missione populi, quae in Ecclesia prisca fiebat, eaque *duplici,* nempe a missione *Catechumenorum,* infidelium etc., qui ante Offertorium mittebantur ex ecclesia, diacono clamante: *Ite, Missa* (Catechumenorum, etc.) *est;* inde haec *missio: Missa* seu *missio Catechumenorum* dicebatur; et a missione *fidelium,* qui, peracta re divina, discedebant, iterum clamante diacono: *Ite, Missa* (Fidelium) *est;* inde haec altera *missio: Missa* seu *missio Fidelium* appellabatur. Quoniam autem Missae denominatio a dimissione exorta est, et dimissio tunc tantum locum habet, ubi est conventus populi, sensim *hic ipse conventus sacer missa* dicebatur, vel Missa, *Catechumenorum* vel *Missa Fidelium.*

(2) Huius sacrificii mentio fit (Gen. 14, 18): *At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi.* Ultimis his verbis innuitur, quo consilio Melchisedech panem et vinum protulerit, non, ut quidam putabant, ad reficiendos Abrahae milites, ex pugna reversos, sed ut sacrificium Deo offerret, id, quod proprie sacerdotis est, et hoc loco etiam contextu innuitur, cum in sequentibus dicatur, Melchisedechum Deo laudes persolvisse et decimas ab Abrahamo recepisse.

jam non se esse cultum leviticum suscepturum (Cf. Hebr. 10, 5 sq.) — *β) Cultus proprius novo testamento;* nam cultus genuinus veri Dei totum orbem occupans atque ab omnibus gentibus frequentatus est nota una omnium maxime messiana: praeterea est cultus substituendus cultui judaico repudiando adeoque non ad testamentum initum cum Judaeis, sed ad novum foedus pertinens. — *γ) Cultus vere et proprie sacrificalis;* nam cultus novus respondit cultui repudiando, cui substituendus est, qui vere et proprie sacrificalis est, et insuper verba, quibus novus cultus describitur, omnia et singula sunt sacrificalia. — *δ) Cultus exhibitus vero quidem et proprio, sed incruento sacrificio;* hanc enim specificam significationem habet nomen *mincha*, attenta etiam emphasi dictionis. — *ε) Cultus exhibitus sacrificio incruento per se et essentialiter mundo:* opponitur namque hoc sacrificium sacrificiis Judaeorum obiective immundis (v. 7. 8); est igitur ipsum obiective et per se essentialiter mundum, quod inde quoque manifestum fit, quod individuo nexu cum illustratione divini nominis coniunctum est. — *ζ) Cultus exhibitus sacrificio mirae excellentiae atque universali:* summam enim inde in gentibus et in omni loco derivatum iri divino nomini gloriam clare edicitur.

Itaque praedictum a Malachia habemus sacrificium *novi testamenti verum, incruentum, per se et essentialiter sanctum, summe excellens atque universale.* Atqui vel nullum est ejusmodi sacrificium, vel celebratio Eucharistiae est illud a Malachia praenuntiatum sacrificium. Quod argumentum vim suam retinet, etiamsi non probetur, quod diximus, Malachiam nimirum vocabulo *mincha* sacrificium incruentum expresse significasse. Detur enim, prophetam non specifico, sed generico usu hoc vocabulum usurpasse, certe hoc pacto argumentari nobis licebit: Praedictum est a Malachia sacrificium novi Testamenti verum, sanctum, summe excellens et universale. Atqui sola celebratio Eucharistica est hujusmodi sacrificium. Nam praeter ipsum nova oeconomia aliud sacrificium non habet, quam sacrificium crucis. Iam vero sacrificium crucis non potest dici universale, quod nempe offeratur in omni loco, et cultus sit externus ab ortu solis usque ad occasum a gentibus nomini Dei exhibitus: ergo. — Haec interpretatio confirmatur traditione exegetica plurimorum Patrum.

c) Ex verbis institutionis. Verba consecrationis panis apud

Luc. 22, 19. haec sunt: *Hoc et corpus meum, quod pro vobis datur* (*τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον*). Locutio haec: *quod pro vobis datur*, sacrificalis est, ut ostendit constans usus loquendi novi Testamenti. Non modo dicimur *sanctificati per oblationem corporis Christi, reconciliati in corpore carnis ejus per mortem*, sed etiam actus, quo Christus se in sacrificium pro nobis obtulit, exhibetur dictione: *datus est pro nobis, dedit, tradidit se pro nobis.* Quare Christo Domino docente, corpus ipsius, positum in statu sacramentali, est corpus datum et sacrificatum pro nobis; proindeque positio corporis Christi in statu sacramentali est positio in statu victimae ideoque sacrificium vere proprieque dictum.

Neque dicas, illa verba his aequivalere: Hoc est corpus meum, illud nempe, quod mox pro vobis in cruce dabitur; nam misso etiam quod praesens, nisi aliter probetur, pro praesenti est accipiendum, apud Paulum (1. Cor. 11, 24 sq.) verba consecrationis panis ita habent: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur* (*τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον* = *frangitur*, ut etiam codices antehieronymiani passim habent). Iam vero verbum *κλάω* in integra Scriptura, quoties coniungitur cum aliquo, quod ad comedendum destinatum est, toties denotat *parare cibum, dare et ministrare in cibum.* Versio itaque Apostoli legitima est: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis positum est in statu cibi.* Iam vero, quum eandem sententiam Domini referant Lucas et Paulus, duo ista apposita *quod pro vobis datur*, et *quod pro vobis frangitur*, eandem rem significant. Ergo *quod pro vobis datur* significat *quod pro vobis positum est in statu cibi;* et vicissim *quod pro vobis positum est in statu cibi* significat *quod pro vobis datur.* Eatenus vero haec significatio sibi constat, quatenus forma praesentis apud Lucam significatione praesentis sumitur, seu quatenus conceditur, testimonio Lucae nos doceri, positionem corporis Christi in statu sacramentali esse positionem ejus in statu victimae, ideoque verum propriumque sacrificium.

Instauratur hoc argumentum confirmaturque verbis consecrationis calicis. Quae apud Matth. 26, 28 ita referuntur: *Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*); apud Marcum (14, 24): *Hic est sanguis meus novi te-*

stamenti qui pro multis effundetur (*τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον*); apud Lucam 22, 20: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* τοῦτο τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ *ὑμῶν ἐκχυνόμενον*); apud Paulum (1. Cor. 11, 25): *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Eo tantum hi referendi modi differunt, quod Lucas et Paulus utuntur tropica aliqua eaque notissima locutione (metonymia), et indirectam usurpant constructionem, Matthaeus et Marcus sine omni tropo scribunt et directam constructionem adhibent.

Iam vero formulis, *sanguinem Christi effundi pro nobis, effundi pro multis, effundi pro multis in remissionem peccatorum* declaratur ratio sacrificii vere et proprie dicti. Si igitur haec de sanguine Christi posito in statu sacramentali affirmantur, evidenter positio corporis et sanguinis Domini in statu sacramentali verum est ac proprium sacrificium. Atqui ista revera affirmantur de sanguine Christi in statu sacramentali posito. Nam Matthaeus quidem et Lucas sanguinem contentum in calice adeoque positum in statu sacramentali effundi dicunt pro multis in remissionem peccatorum, Lucas autem et Paulus significant, intelligendum id esse non tantum de sanguine, *qui* continebatur in calice, sed etiam de sanguine, *quatenus* in calice continebatur, ideoque effusionem asserendam esse de sanguine ut posito in statu sacramentali. Ergo huic positioni ratio sacrificii proprie dicti convenit (1).

d) Ex Apostolorum frequentatione, quae colligitur ex iis quae (Act. 13, 2) leguntur: *Ministrantibus* (*λειτουργούντων*) *autem illis*

---

(1) In sacrificio eucharistico, utpote incruento, non quidem realis sed mystica fit sanguinis effusio. Nam illa ipsa victima, quae in cruce est oblata per realem effusionem sanguinis, cum omnibus meritis sacrificio cruento completis sistitur sub speciebus panis et sub speciebus vini in formali statu victimae; unde iam haec positio in statu victimae sicut est vera sacrificatio, ita saltem propter respectum, quem habet ad sacrificium cruentum, potest dici effusio sanguinis. Accedit modus, quo fit positio in statu victimae secundum praesentem institutionem. Vi verborum enim ponitur sanguis sub speciebus vini seorsum a corpore vi verborum positi sub speciebus panis. Quamvis autem hoc utroque non fiat realis separatio sanguinis a corpore, exhibetur tamen repraesentatio illius effusionis sanguinis, per quam oblatum est sacrificium in cruce. Haec est proprie illa, quae dici solet mystica effusio sanguinis, hoc est talis modus sacrificii praesentis, qui significet et repraesentet effusionem factam in cruce.

(prophetis et doctoribus Antiochenis) *Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus s.* etc. Verbum *λειτουργέω* passim significat *sacrificare* (Luc. 1, 23 coll. 1, 9), quod insuper clarum est ex additamento, *τῷ Κυρίῳ,* Domino, cui quidem sacrificium offertur, Evangelium vero populo praedicatur. Suadetur quoque iis, quae Paulus (1. Cor. 10) habet, ubi postquam v. 16 sq. dixit, christianos per Eucharistiam participes fieri corporis et sanguinis Christi, quemadmodum Judaei, qui hostias edunt, participes fiunt altaris, i. e. sacrificii super altare oblati, v. 20. 21. christianos vetat, ad convivia sacra gentilium accedere, ne hac ratione in communionem veniant idolorum, quibus sacrificia immolant gentiles: *Non enim* inquit, *calicem Domini potestis bibere, et calicem daemoniorum, non mensae* (i. e. altaris, seu, remota metonymia, sacrificii super altari oblati) *Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Hoc loco igitur Apostolus Eucharistiam cum epulis Judaeorum sacrificalibus et gentilium, et mensam, in qua Eucharistia conficitur, cum illorum altaribus sacrificalibus comparat; ergo certe etiam in Eucharistia verum sacrificium agnoscit. Confirmatur (Heb. 13, 10), ubi ait: *Habemus altare (θυσιαστήριον)* i. e. sacrificatorium), *de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt* (i. e. Judaei). Nimirum habebant Judaei, sicut gentiles, suas epulas sacrificales, quibus vesci non licebat christianis. Jam dicit Paulus: Habent etiam christiani suum altare, suam victimam et epulas sacrificales, quibus vesci non licet iis, qui cultui Judaeorum addicti sunt. Haec autem de Eucharistia dicta esse, sponte intelligitur. Itaque secundum Apostoli doctrinam Eucharistia, dum sumitur, est epulum sacrificale, consequenter, cum duplici specie conficitur, verum sacrificium, et mensa, in qua celebratur, verum altare seu *θυσιαστήριον,* i. e. sacrificatorium.

Dices: Paulus (Hebr. 10, 10 sq.) dicit: *Sanctificati sumus per oblationem corporis J. C. semel.... una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* et v. 18.... *ubi autem horum remissio iam non est oblatio pro peccato:....* ergo praeter sacrificium crucis nullum aliud est agnoscendum. — *Resp.* Ad 1.um *dist.*: una oblatione consummavit in actu primo, *conc.*, applicavit in actu secundo, *neg.* — Ad 2.um *dist.* ubi horum (peccatorum) remissio jam non est oblatio *novi* sacrificii pro peccato, ad pretii

sufficientiam *conc.*, non est oblatio *eiusdem* sacrificii ad pretii applicationem *neg.* (1).

898. II. Traditionis doctrina constat *a)* ex liturgiis antiquis omnibus, quae apud diversas nationes orientis et occidentis, apud diversas sectas a catholica Ecclesia pridem avulsas, linguis diversis exaratae ab Indis usque ad Hispanias, ab Aethiopia usque ad Moscovitas inde a primis susceptae fidei temporibus in quotidiano publico solemni usu, licet in multis inter se discrepent, in hoc tamen omnes velut in re praecipua et substantia totius religiosi cultus evidenter conspirant, quod tam sacris caeremoniis quam verbis clarissimis sistunt celebrationem Eucharistiae ut verum et proprium sacrificium Agni immaculati Christi Jesu. Nulla enim est inter omnes, quae in Canone (Actione *ἀναφορά*), et in aliis orationibus sacrificium non aeque clare exhibeat ac Canon Liturgiae Romanae, quem Novatores saec. XVI reiecerunt ideo « quia in eo omnia fere sonant ac olent oblationes » (Lutherus). — *b)* Ex Patribus, apud quos usitatissimae sunt voces: *offerre, immolare, sacrificare;* ipsam ss. Eucharistiam dicunt *θυσίαν, προςφοράν, victimam, hostiam, sacrificium.* Ita S. Cyprianus eam vocat: « Sacrificium verum et plenum » (2); s. Chrysostomus: « Sacrificium tremendum et plenum timoris » (3); s. Ambrosius (4) dicit, in ss. Eucharistia Christum offerri. Porro ad celebrandam Eucharistiam altaria requirunt (5), quae utique nonnisi ad sacrificia eriguntur; item ss. Eucharistiae ministros sacerdotes vocant; sacerdos autem absque sacrificio non est (Hebr. 5, 1). Denique ne levissimum dubium hac in re relinquant, missae sacrificium a sacrificiis improprie dictis, e. g. a sacrificio interno et sacrificio sui ipsius, diserte distinguunt (6).

Ceterum ipsi protestantes fatentur, in tota antiquitate Missam ut verum sacrificium agnitum fuisse (7).

---

(1) Quaenam sit mens Puali videas clare declaratum apud Stentrup. th. 87.

(2) *Epist.* 63. n. 14. — (3) *De sacerdotio* VI. 4. — (4) *In Ps.* 38. n. 25.

(5) Cf. Ignatium *ad Philad.* n. 4.

(6) Cf. Gregorium Naz. Or. 2. n. 95. — Documenta in Catacombis reperta pro hac veritate cf. apud Katschthaler n. 547 sq.

(7) Ernestus Grabius († 1706) *ad Irenaei* l. 4. c. 17. adnotat.: « Certum est, s. Irenaeum aliosque Patres, quorum scripta habemus, tam eos, qui viderunt Apostolos, quam eos, qui immediate ipsis successerunt, spectasse Eucharistiam velut sacrificium novae legis, et obtulisse Deo Patri super altare

899. III. Quod et ratione theologica suadetur. Tanta enim est inter religionem et sacrificium proprie dictum connexio, ut facilius populum sine ulla invenias religione quam religionem sine aliqua sacrificiorum forma. Aut itaque religionem vere et proprie in Ecclesia Christi reperiri neges, aut sacrificium quoque externum et proprie dictum in ea agnoscendum confitearis. Nullum autem est, si Missam tollas: est ergo Missa sacrificium externum et proprie dictum. — Praeterea omnes sacrificii notae, quas superius (n. 522 sq.) recensuimus, in Missa inveniuntur: est ergo verum sacrificium.

ARTICULUS II.

De essentia sacrificii Missae.

900. Eucharistica celebratione verum propriumque sacrificium contineri, dogma fidei est. Hinc dogma quoque est, in celebratione eucharistica elementa omnia haberi, quae ad veri sacrificii essentiam constituendam concurrunt. Sed nulla definitione sancitum est, sive in quo praecise formalis ratio sacrificii, quae in celebratione eucharistica inest, sita sit; sive quaenam distincte et adaequate sint notae essentiales sacrificii. Mirum proinde nemini accidere potest, quod theologi, non obstante unanimi consensu, quo catholicum de eucharistico sacrificio dogma amplectuntur et propugnant, in diversa tamen abeant, simul ac quaestio

---

panem et vinum, veluti dona sacra offerentes ante consecrationem tamquam primitias creaturarum ad recognoscendum supremum eius in res omnes dominium, et post consecrationem velut corpus et sanguinem mysticum Jesu Christi, ad sic repraesentandum sacrificium cruentum, quod ipse fecit corporis et sanguinis sui in cruce, et ad obtinendos fructus mortis suae pro iis omnibus, pro quibus oblatum est. Ceterum haec doctrina non est doctrina unius ecclesiae vel peculiaris doctoris, sed erat doctrina et praxis Ecclesiae universalis; Ecclesia eam acceperat ab Apostolis, Apostoli a Christo. Est id, quod s. Irenaeus nos docet, quod s. Ignatius et Justinus nos docuerunt ante, ipsum quod Tertullianus et s. Cyprianus nos docuerunt post. Est id, quod clare continetur in epist. s. Clementis ad Corinth. » — Idem dicunt multi ex recentissimis Protestantium doctoribus (cf. Hettinger, *Dogmen*, P. 2, p. 240 sq.). Eodem modo loquuntur nedum Chemnitius sed et ipse Lutherus.

de intrinseca formalique eius ratione instituitur. De qua haec statuimus:

901. 1. *Sacrificium eucharisticum ipsa consecratione perficitur. a)* Sacrificium perficitur actione sacerdotis: atqui sacrificii eucharistici sacerdos est ipse Christus, cuius nonnisi vicem alii sacerdotes gerunt: ergo ea actione perficitur, in qua sacerdos secundarius maxime suam exuit personam atque personam induit Christi; hoc vero fit in consecratione: ergo. — Christus nunc sacerdotum ministerio eodem modo se offert, quo in ultima coena per semetipsum se obtulit; in ultima autem coena se ipsum obtulit non alia re vel aliis verbis, quam quod corpus et sanguinem suum et per hoc se ipsum constituit sub speciebus panis et vini in statu victimae: ergo.

2. *Sacrificium eucharisticum sacrificii crucis est commemorativum, ideoque sacrificium relativum. a)* Effusio sanguinis, quae de sacrificio eucharistico enuntiatur, profecto non realis est, sed mystica. Eatenus vero mystica sanguinis effusio in sacrificio Eucharistico habetur, quatenus per intimam suam rationem refertur ad sacrificium cruentum crucis, seu quatenus est sacrificium essentialiter relativum. — *b)* Paulus (1. Cor. 11, 26) Christi verba: *Hoc facite in meam commemorationem,* sic interpretatur: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Celebratio itaque Eucharistiae est annuntiatio adeoque omnino solemnis commemoratio mortis Domini; commemoratio vero, quae non ab affectu pendet, quo celebratio eucharistiae fit, sed quae necessario cum ipsa celebratione coniuncta est (quoties toties etc.); commemoratio proinde *obiectiva* et *realis* mortis Domini. — *c)* Conc. Trident. (sess. 22. cap. 1) statuit, Christum reliquisse « sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repraesentaretur eiusque memoria in finem usque saeculi permaneret; » et Cyprianus: « Unde apparet, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni » (1).

3. Quamvis theologi in his conveniant, discrepant tamen adhuc inter se, in quo proprie intrinseca et formalis ratio sa-

---

(1) *Epist.* 63. n. 9. — Alia Patrum testimonia vide apud Card. Franzelin th. XV.

crificii sit constituenda. Missis minoris momenti et parum probabilibus sententiis, quatuor principaliores commemorabimus. Prima est Vasquesii, qui distinguens inter sacrificium *absolutum* et *relativum*, ad illud quidem requirit victimae destructionem, non vero ad sacrificium relativum: cum vero sacrificium Missae non sit nisi relativum ad illud crucis, hinc nulla in ea requiritur victimae destructio, sed sufficit quod consecratione corpus et sanguis Christi ita praesentia fiant, ut repraesentent sacrificium in cruce oblatum ejusque sint commemoratio. Ponit itaque essentiam sacrificii in *commemoratione* crucis. — Altera est Lessii, secundum quam consecratio est vere sacrificativa, quia per eam vi verborum separatur corpus a sanguine; nam licet per concomitantiam sit idem sub utraque specie, hoc tamen est per accidens; nam verba, quantum sunt ex se, separant corpus a sanguine et instar gladii mystici dissolvunt illud compositum, atque ideo mactant illud, et ponunt in altari tamquam victimam occisam et mactatam. Ponit itaque essentiam sacrificii in *separata consecratione*, quae est velut mystica sanguinis effusio. — Tertia est Suaresii, qui putat in quolibet vero et proprio sacrificio requiri hostiae immutationem; sed hanc dicit non debere necessario fieri per destructionem: eam fuisse propriam sacrificiis veteris Testamenti; in nostro vero sacrificio haberi immutationem per rei principaliter oblatae *productionem* in honorem Dei factam, et destructionem solum fieri panis et vini veluti termini a quo. — Quarta denique est cardinalis de Lugo, iuxta quam intrinseca sacrificii eucharistici forma sita est in consecratione, quatenus per eam corpus et sanguis Christi sub speciebus panis et vini constituitur secundum quandam sanctissimae suae humanitatis a functionibus et rationibus existendi connaturalibus exinanitionem ad statum cibi et potus.

Hanc sententiam egregie exponit et excolit Card. Franzelin in hunc modum: Consideretur, inquit, status, in quo Christus Dominus summus sacerdos per consecrationem secundum ss. corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini sese ut victimam constituit. Primogenitus omnis creaturae, caput Ecclesiae, in omnibus primatum tenens (Coloss. I. 15. 18) dat se ipsum Ecclesiae suae per suos ministros sacerdotes constituendum

corpore ac sanguine suo in tali modo existendi sub speciebus panis ac vini, ut vere sit in statu cibi ac potus; ut (formaliter quatenus constituitur sub his speciebus) desinat omnis actus connaturalis vitae corporeae pendens a sensibus; ut nihil secundum corpus possit agere connaturaliter; ut corpus eius ac sanguis, in quantum praesentia eius alligatur speciebus, permittatur quodammodo arbitrio creaturarum non secus, ac si esset res inanimata; in tali vero conditione se constituit, ut ipse summus sacerdos pro tota Ecclesia, cuius ipse est caput, et Ecclesia per ipsum exprimat in corpore et sanguine sacratissimo supremum Dei dominium et absolutam dependentiam omnis creaturae, cuius ipse homo Iesus Christus est primogenitus, et simul exprimat et exhibeat satisfactionem pro reatibus olim consummatam in cruce huius ipsius corporis traditione et huius sanguinis effusione. Atqui talis « exinanitio » ad exprimendam maiestatem absoluti dominii Dei et satisfactionem pro reatibus nostris morte completam non solum satis intelligitur ut vere et proprie sacrificalis; sed etiam, excepto sacrificio cruento in cruce, nullam sublimiorem ac profundiorem rationem veri et proprii sacrificii concipere possumus: ergo.

Cum itaque nullum sit dubium, in ipso modo existendi sacramentali corporis et sanguinis Christi aptitudinem et supposita institutione actualem significationem sacrificalem, et proinde rationem intrinsecam veri et proprii sacrificii non solum sufficienter sed etiam insigniter contineri; hanc sententiam eo libentius sequimur quod et fundetur in ipsis consecrationis verbis, prout referuntur a Paulo et Luca, et non sit exclusiva sed supponat quod affirmant ceterae sententiae illasque compleat et suppleat. Etenim eo ipso quod Missa sacrificium est relativum non solum Christi in cruce mors, sed duplici consecratione panis et vini vivide sanguinis a corpore separatio sistitur praesens. At quoniam non est tantum relativum sacrificium, sed etiam *in se ipso* verum et proprium sacrificium; hinc requiritur insuper *aliqua rei destructio* saltem *aequivalens* et *moralis*, talis videlicet qua victima ponatur in statu decliviori et humano modo desinat, uti e. g. vinum desinit effusione in libationibus. Haec vero habetur quatenus corpus Christi constitutum in statu cibi et potus redditur inutile ad usus humanos corporis humani et aptum ad alios diversos usus per

modum cibi: quare humano modo idem est ac si fieret panis et aptaretur et conderetur in cibum.

902. **Corollarium** 1. Differentiae inter sacrificium eucharisticum et sacrificium crucis, praeter varias circumstantias loci, temporis, caeremoniarum, hae sunt: 1.° Christus in cruce oblatus, fuit mortalis et passibilis; in Eucharistia offertur immortalis et impassibilis; 2.° in cruce se ipsum obtulit; hic ministerio sacerdotum; 3.° in cruce cruente, hic incruente; 4.° in cruce solutum est pretium redemptionis nostrae, hic nobis applicatur; 5.° sacrificium crucis semel tantum oblatum est, sacrificium Missae usque ad consummationem saeculi in Ecclesia est offerendum; illud est simpliciter absolutum, hoc autem est simul relativum.

Attamen, quia utrobique eadem est numero victima, idem principaliter offerens, et quia hoc altaris sacrificium est subordinatum sacrificio crucis, quatenus est ejus commemoratio et applicatio: differentia non est essentialis, sed tantum *accidentalis*, in modo nempe et ratione offerendi.

Adhuc minor est differentia si cum sacrificio in ultima coena oblato comparetur, nam non solum eadem est victima et idem offerens, sed etiam idem modus offerendi, incruente videlicet; differt ergo tantum quoad quasdam circumstantias: in coena oblatus est mortalis, hic immortalis; ibi per se, hic per sacerdotes; ibi significabatur passio ut futura, hic ut praeterita. Sacrificium in coena meritorium erat et satisfactorium, sacrificium Missae meriti et satisfactionis jam completae est applicatio; illud non configurabatur alteri sacrificio incruento, hoc autem est repetitio sacrificii coenae. Insuper ambo differunt aliis circumstantiis, nempe loci, temporis, ritus, apparatus etc.

903. **Corollarium** 2. Licet essentia sacrificii perficiatur in ipsa consecratione, cum tamen ipsum consistat in ipsa corporis Christi positione in statu cibi, adeoque ad victimae consumptionem ordinem intrinsece dicat; patet, participationem victimae per sacerdotem offerentem pertinere ad sacrificii integritatem uberiusque de sacrificii fructu recipere fideles, quando cum sacerdote communicant; licet non ideo dici possint illicitae Missae, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat. (Cf. Trident. sess. 22. cap. 6 et can. 6).

904. **Corollarium** 3. Quamvis in consecratione unius speciei suffi-

ciens inveniatur aptitudo ad sacrificium; ad essentiam tamen sacrificii, *prout illud a Christo est institutum,* utriusque speciei consecratio necessaria esse videtur.

905. **Corollarium** 4. Species panis et vini non sunt res, quae formaliter offeruntur in sacrificium, sed per quas et sub quibus oblatio corporis et sanguinis Christi fit *visibile* sacrificium.

Substantia panis et vini pertinet ad hoc sacrificium ut terminus *a quo,* qui transit per actionem sacrificalem, ut victima constituatur sub eorundem speciebus: atque ita sunt intelligendi Patres, quando docent in Eucharistia primitias ex creaturis Deo offerri.

ARTICULUS III.

De effectibus sacrificii Missae.

906. Prop. 138. **Sacrificium Missae non tantum latreuticum est et eucharisticum, sed etiam impetratorium atque propitiatorium pro vivis et pro defunctis.**

De fide ex conc. Trident. (sess. 22. can. 3): « Si quis dixerit, Missae sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere; a. s. »

Declar. Quatuor igitur producit effectus quadruplici sacrificii fini respondentes: ut *latreuticum* Deo tribuit adorationem, quatenus offertur in agnitionem supremi ejus dominii; ut *eucharisticum* gratias Deo refert pro beneficiis ejus acceptis; ut *propitiatorium* seu *satisfactorium* (1), Deo iusto judici offertur ad obtinendam remissionem peccatorum et poenarum eis debitarum, et

(1) Cum *propitiatio* respiciat divinam *iustitiam* compensandam, haec autem compensatio fiat dum per sacrificium eucharisticum infinita Deo exhibetur pro nobis in cruce peracta satisfatio, patet, *in se* idem esse *propitiationem* et *satisfactionem.* Quoad nos tamen seu pro obiecto fructus propitiatorius solet distingui ita, ut alius referatur ad peccata expianda, et dicitur *stricte propitiatorius,* alius ad poenas et satisfactiones, et dicitur *specifice satisfactorius.*

spectat ad vivos et defunctos; ut *impetratorium* Deo offertur misericordissimo opitulatori ad alia beneficia per Christi merita impetranda, et spectat ad viventes.

907. Demonstr. i. p. Sacrificium Missae esse *latreuticum* Deo oblatum tamquam summo rerum omnium Domino, et *eucharisticum* Deo oblatum tamquam summo benefactori, colligitur ex sacrificii notione, a qua inseparabile est, ut fiat, ad adorandam divinam Maiestatem et gratias agendas Deo pro universis beneficiis in nos collatis; ex Malachia (1, 11), in quo praedicitur per hoc sacrificium magnopere glorificandum esse nomen Domini ab ortu solis usque ad occasum; ex Matth. (26, 27) et Paulo (1. Cor. 11, 24), in quibus narratur Christus hoc sacrificium in gratiarum actionem obtulisse. Has duas rationes ipsi Protestantes haud aegre in eucharistia admittunt.

908. *Nota.* Eo ipso quod Missae sacrificium est actus principalis cultus latreutici, non potest nisi uni Deo offerri juxta illud Augustini: « Sacrificium certe nullus hominum est qui audeat dicere, deberi nisi Deo (1). » Nihilominus definivit conc. Trident. (sess. 22. can. 5): « Si quis dixerit, imposturam esse Missam celebrare in honorem sanctorum et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, a. s. » Porro Ecclesia cum Missam celebrat in honorem sanctorum, nec intendit offerre nec offert ipsis sanctis, sed soli Deo ut auctori virtutum et meritorum sanctorum, et gloriae qua fruuntur; dicitur tamen sacrificium offerri in honorem sanctorum, quia offertur Deo in gratiarum actionem pro beneficiis ab ipso in sanctos collatis, quod cedit in aliquam gloriam sanctorum, ut pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris.

909. Demonstr. ii. p. *a)* Malachiae (1, 11) praedicitur sacrificium eucharisticum, quod in locum omnium sacrificiorum veterum succedens sua perfectione et excellentia ista omnia longe superet (n. 897). Tale autem sacrificium nec esse nec concipi potest, quin omnes rationes et perfectiones veteribus sacrificiis proprias continere necessario cogitandum sit. Non vero eas contineret, nisi esset propitiatorium, satisfactorium et impetratorium. Constat namque, triplicem hanc rationem in veteribus sacrificiis reipsa

---

(1) *De civ. Dei.* l. 22. c. 4.

fuisse. — *b)* Locutione: *sanguinem Christi effundi pro multis in remissionem peccatorum* declaratur manifeste ratio sacrificii vere propitiatorii. Jam vero hac locutione sacrae litterae exhibent rationem sacrificii eucharistici (n. 897): ergo. — *c)* Sacrificium eucharisticum intrinsecam relationem ad sacrificium crucis dicit hujusque realis et obiectiva commemoratio est (n. 901). Eo ipso autem, quod realis illud et obiectiva commemoratio est sacrificii crucis, est realis et obiectiva commemoratio propitiationis, satisfactionis et impetrationis ad hoc pertinentium, seu sunt in ipso hae rationes pro natura et indole relationis, quam ad sacrificium crucis dicit. — *d)* Teste Paulo (Hebr. 5, 1) sacerdotis est offerre sacrificia pro peccatis. Atqui in novo Testamento veri sunt sacerdotes, et vel Eucharistia est sacrificium, vel nullum est: ergo. — *e)* Confirmatur solemni persuasione theoretica et practica totius antiquitatis, quae manifestatur *α)* in liturgiis, quarum nulla est in qua non haec vel gemina legantur: « Offerimus tibi hoc incruentum sacrificium pro peccatis nostris et ignorantiis populi, » ut in *liturgia* s. Jacobi et Chrysostomi; *β)* in Patribus, qui cum Cyrillo ajunt: « Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum cum pro illis (defunctis), tum pro nobis demereri et propitiare satagentes » (1); et Tertulliano: « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus » (2). — Porro si inimicis peccatorum veniam impetrat, multo magis et alia auxilia tam spiritualia quam corporalia aliis impetrabit.

910. Scholion. Superest, ut de *modo* quo est impetratorium, de *valore* eius et de *subiecto* aliquid dicamus. Itaque:

a) Si in *rationem* inquiras, qua Missae sacrificium sit propitiatorium et impetratorium, tenendum est: 1.° illud non eo sensu esse propitiatorium et impetratorium ac si per se ipsum novum meritum et satisfactionem haberet, sed unice quod meritum redemptionis et satisfactionis sacrificio crucis consummatum renovata oblatione Deo Patri repraesentat nobisque applicat. 2.° Hanc propitiationem in remittendis peccatis quoad culpam non esse *immediatam*, sicut in baptismo et poenitentia, sed tantum *mediatam*; « hujus quippe oblatione placatus Dominus

---

(1) *Catech. mystag.* 5. n. 10. — (2) *De corona* c. 3.

gratiam et donum poenitentiae concedens crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit » (1). Scilicet peccata causa sunt, cur justitia divina uberiores gratias subtrahat, quas, nisi peccata obstarent, concedere vellet. Jam per sacrificium, quo satisfactio in cruce consummata pro determinatis peccatoribus divino conspectui exhibetur et ita eis specialiter applicatur, haec iusta ira Dei placatur, ne poenam inferat subtractionis gratiarum; quam proinde placationem consequitur divina misericordia et liberalitas in concedendis gratiis abundantioribus, per quas ulterius, accedente hominis cooperatione, perficitur poenitentia et iustificatio. Propitiatio igitur respicit directe non auxilia, ad conversionem peccatoris ordinata, obtinenda, sed placandam divinam *iustitiam, ne poenam inferat* atque ita liberalitati et misericordiae ipsius locum velut parat; impetratio *bonitatem et misericordiam*, ut beneficia concedat. Unde gratiae aliae, quibus non peccata commissa impedimento erant, sed quas tamen divina bonitas concedit ob meritum Christi per sacrificium Eucharistiae pro homine exhibitum et applicatum aliter non concedandas, adscribendae sacrificio sunt non quatenus propitiatorium, sed quatenus impetratorium est.

Haec impetratio, sicut est de omni impetratione, non est infallibilis, nisi certis conditionibus satisfiat, quae adsunt quidem ex parte postulantis Christi, non vero semper ex parte eius, pro quo postulatur, et ex parte rei, quae postulatur, utpote quae debitum cum ordine divinae providentiae et gubernationis concentum non habet.

3.° Sacrificium Missae, ut propitiatorium est, *per se* et *immediate* poenas peccatis debitas remittere tam in vivis quam in defunctis. Etenim ipsum est applicatorium satisfactionis per sacrificium crucis completae. Quare applicari nemini potest, quin ei veluti approprietur satisfactio Christi pro poenis peccato ejus debitis. Appropriari autem haec non potest, quin pro modo et ratione appropriationis poenae ipsae remittantur. Ergo poenarum peccato debitarum remissio est effectus, quem sacrificium eucharisticum per se et immediate producit.

911. *b)* Si *de valore* hujus sacrificii quaeras, distinguas imprimis oportet varios *offerentes*, scilicet Christum, Ecclesiam, sacerdotem

---

(1) Trident. (sess. 22. cap. 2).

ministrum, fideles. Quatenus sacrificium offertur a sacerdote et aliis fidelibus, qui aliqua sua opera ad hoc concurrunt, sine dubio est opus sanctissimum, quod proinde habet rationem meriti, satisfactionis, impetrationis, dummodo debitae conditiones non desint. Non quidem meritum, quod omnium personale est, sed satisfactio et impetratio hujus operis, sicut aliorum bonorum operum, possunt propter communionem sanctorum in alios transferri. Sub hoc respectu patet valorem esse ex *opere operantis* et *finitum.* — Si consideratur sacerdos quatenus illud offert nomine Ecclesiae, qua ejus minister publicus membrumque hujus corporis mystici, semper a Deo acceptatur in odorem suavitatis. Quare respectu sacerdotis hic valor dici potest ex opere operato, quamvis respectu Ecclesiae offerentis sit quasi ex opere operantis et propter hujus finitam dignitatem *finitus.* — Ratione autem Christi, qui est principalis offerens non solum vi institutionis et per auctoritatem, qua delegat sacerdotes ministros ad sacrificium suo nomine offerendum, sed etiam voluntate praesenti in singulis celebrationibus, qua se constituens in statu cibi et potus sese Ecclesiae dat offerendum et se ipsum offert aeterno Patri; sacrificium eucharisticum necessario et natura sua est oblatio ab ipso Christo facta adeoque oblatio, cuius valor est *ex opere operato,* cum in ipso sacrificio independenter ab omnibus offerentibus visibilibus suum *esse* habeat, ab ipsoque primum incipiat, atque ad intrinsecam ipsius rationem ita pertineat, ut haec eo non existente, prorsus existere nequeat. Sub hoc respectu *valor* est in se et in actu primo infinitus sicut omnia opera Christi. Scilicet relate ad Deum adoratio et gratiarum actio, semel in cruce exhibita, adhuc per Missam replicatur divinae majestati *condigna;* relate ad homines nullum est bonum, cui impetrando non sit *par* et *eminens* in hoc sacrificio dignitas, nulla sunt peccata, pro quibus nequeat Missa divinam justitiam *superabundanter* compensare et placare. In actu autem *secundo* prout est latreuticum et eucharisticum dici potest etiam infinitus eo sensu quod Deo honorem infinitum exhibet et gratiarum actionem talem, ut major cogitari nequeat; quoad alios autem effectus, propitiationem nempe et impetrationem, finitus est et consilio supernaturalis providentiae determinatus.

912. *c)* Respectu eorum, quibus applicatur triplex fructus distin-

gui solet: *generalis,* qui obvenit toti Ecclesiae, imo toti mundo; *specialis,* qui competit iis, pro quibus sacerdos specialiter intendit celebrare; *specialissimus,* qui advenit ipsi sacerdoti offerenti, quatenus est persona privata offerens.

De *speciali* autem contra Pistorienses (prop. 30) tenendum est: 1.° *dari fructum specialem seu medium,* quod colligitur *a)* ex Trident. (sess. 22 cap. 2 et can. 3) statuente, sacrificium eucharisticum pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri et offerri debere. Cum amplitudine siquidem hujus definitionis componi nullatenus valeret, sacrificium eucharisticum pro determinatis personis et ad determinatum finem offerri non posse. *b)* Ex innumeris ss. Patrum dictis et ex constanti usu et doctrina Ecclesiae, maxime libris liturgicis expressa. *c)* Ex ritu in sacerdotis consecratione adhibito, qui et id continet, ut initiandis conferatur « potestas offerendi sacrificium pro vivis et defunctis. » Haec enim potestas aperte cum jure sacerdotis conserta est applicandi sacrificium pro determinatis personis et ad determinatum finem. *d)* Ex ipsa sacrificii natura, ad quam spectat ut pro determinatis personis et ad determinatum finem offeratur, et ex eo, quod universim satisfactio et impetratio non solum omnibus, sed etiam singulis applicari ita valent, ut fructus earum his et non aliis obveniat.

2.° *Talem fructum specialem ad subiectum, cui obtingat, determinari sola intentione offerentis.* Et sane Christus Dominus sacrificium eucharisticum ita instituit, ut non quidem sub omni respectu, attamen sub aliquo applicabile esset. Quibus igitur potestatem fecit sacrificium ministerialiter offerendi, iis omnibus et solis potestatem fecit ipsum, quatenus natura sua applicabile est, reipsa applicandi. Atqui solis sacerdotibus illam potestatem contulit. Ergo soli quoque ipsi potestate ornantur sacrificium eucharisticum, quatenus natura sua applicabile est, reipsa applicandi. Quoniam igitur fructus, qui respondet sacrificio, ut applicabile natura sua est, est fructus specialis, sacerdotes soli pollent potestate fructum specialem applicatione sacrificii conferendi. Nullum vero aliud hujus potestatis exercitium concipi potest, quam quod continetur voluntate elicita sacerdotis sacrificium pro illo offerendi, cui applicatio facienda est. Ambigi igitur a nemine potest, fructum specialem sacrificii ad subjectum, cui obtingat, sola offerentis intentione determinari.

TRACTATUS X.

DE POENITENTIA.

913. Post sacramenta, quae ad spiritualem vitam gignendam, roborandam et nutriendam pertinent, sequuntur ea, quae eandem reparant amissam et reficiunt, Poenitentia nempe et extrema unctio. Et primo quidem de Poenitentia « quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres asserte nuncuparunt » (Trident. sess. 6 cap. 14).

Porro Poenitentia dupliciter spectari potest: vel ut *virtus*, vel ut *sacramentum:* quae duo differunt sicut pars a toto, v. g. corpus humanum ab homine; sacramentum enim est totum, virtus vero poenitentiae pars sacramenti (1). Quare pauca quaedam imprimis de Poenitentia sub hoc posteriori respectu praestat praemittere.

914. Protestantes ipso in tractatus limine de ipsa hujus voce significatione nos lite iniqua morantur, contendentes poenitentiae nomine nihil amari omnino, sed vitae tantum in melius mutationem aut resipiscentiam significari. Nos dicimus poenitentiam

---

(1) Sacramentum itaque Poenitentiae praeter ipsam poenitentiae virtutem complectitur ritum exteriorem, h. e. efficax gratiae signum sensibile, a Christo Domino institutum. Sicut enim Christus matrimonium (quod antea solum fuerat, et nunc est in non baptizatis contractus naturalis, quo mas et foemina legitime coniunguntur in individuam vitae societatem), erexit in baptizatis ad dignitatem Sacramenti novae legis, quatenus illud instituit ut signum sensibile suae unionis indissolubilis cum Ecclesia; similiter poenitentiae, quae peccatoribus semper fuit necessaria ad veniam impetrandam, Christus praescripsit ritum externum tamquam efficax gratiae signum ab iis, qui post baptismum lapsi fuerint, necessitate medii observandum; et ita virtus poenitentiae, adiuncto illo ritu seu signo, obtinuit dignitatem sacramenti novae legis respectu eorum, qui lapsi sunt post baptismum; nam respectu cathecumenorum, et eorum qui nondum sunt initiati, poenitentia non est sacramentum, sed retinet dumtaxat nomen et rationem virtutis.

praeter erroris pristini cognitionem et mutationem propositi, etiam dolorem de culpa commissa continere et illius punitionem. Hoc probat *a)* ipsa ejus etymologia; derivatur enim a *poena,* poena autem vindicta est praeteritae culpae. « Poenitere, ait vetus auctor (1), qui Augustini nomine citari solet, est poenam tenere, ut quis semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. » — *b)* Scripturarum et Patrum usus, juxta quem poenitentia mentis afflictionem et corporis includit, ut Job. (42, 6): *Idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere;* Joel. (2, 12. 13): *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et in fletu et in planctu; et scindite corda vestra et non vestimenta vestra;* Luc. (10, 13): *Si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent (μετενόησαν);* Gregorius M.: « Poenitere est peccata praeterita plangere (2). — *c)* Ipsa ratio, cum vera vitae emendatio importet vitae malae anteactae displicentiam et detestationem, quae principium sit et ratio novae vitae. Duplici igitur poenitentia constat elemento intime inter se connexo, scil. displicentia animi praeterita peccata detestantis et proposito non amplius peccandi: illud verbis exprimitur: *vellem non fecisse;* hoc: *non faciam.* Unde apparet, poenitentiam proprie dictam esse non posse de peccatis sive originali sive alieno, sed tantum de peccatis a se ipso commissis.

Porro circa naturam hujus poenitentiae multas theologi quaestiones moverunt subtiles et spinosas, scilicet: an sit virtus? an specialis sit virtus, an generalis tantum? an theologica an moralis? an sit religionis virtus, an justitiae? an acquisita vel divinitus infusa? Ad haec breviter respondemus:

1.° Est sane *virtus,* nam primo praecipitur in Scripturis a Deo; Deus vero nonnisi actus praecipit virtutum; et secundo virtus est habitus electivus secundum rectam rationem; jam vero ut quis malum detestetur, si fecerit, et si quem laeserit, satisfactionem ei offerat, est actus secundum rectam rationem et laudabilis: ergo vel est virtus vel actus virtutis.

---

(1) *De vera et falsa poenitentia* c. 9.

(2) Hom. 34 *in Evang.* — Eandem significationem penes auctores praesertim sacros habere vocem graecam *μετάνοια* vide demonstratum apud Palmieri *de Poenit.* th. 1.

2.° Prouti poenitentia intendit peccatum delere, et exhibere compensationem, pro offensa est virtus *specialis* distincta a ceteris, quia peculiare habet obiectum formale, nempe honestatem elucentem in placatione Dei et compensatione divinae offensae, quod motivum nulli alteri virtuti convenit (1).

3°. Est virtus non *theologica*, sed *moralis*, quia virtus theologica habet Deum pro obiecto et fine; poenitentia vero licet habeat Deum pro fine non habet pro obiecto, versatur enim circa satisfactionem pro obiecto. Unde similis est religioni. Nam sicut haec respicit cultum divinum tamquam obiectum, et Deum ut finem, cui cultus ille immediate refertur; sic illa respicit satisfactionem tamquam obiectum, et Deum ut finem, cui fit satisfactio. Ratio tamen motiva est diversa, quia religio respicit Deum quatenus est primum omnium rerum principium, cui eo titulo debetur cultus; poenitentia autem respicit Deum, quatenus per peccatum est offensus, cui eo titulo debetur satisfactio.

4°. Ex proprio ejus obiecto formali reparandi iniuriam Deo illatam apparet, poenitentiam reductive pertinere *ad justitiam commutativam, tamquam ejus partem potentialem.* Pertinet ad justitiam, quatenus respicit reparationem iniuriae seu laesionis sive ordini naturali, sive ejus auctori Deo illatae; non tamen est ipsa justitia, quia justitia respicit perfectam aequalitatem rei ad rem: inter iniuriam vero illatam Deo et hominis compensationem perfecta aequalitas esse non potest. Quare poenitentia est tantum justitiae pars, nempe potentialis, quae justitiae subservit, quae partim cum illa convenit, partim ab ejus ratione deficit.

5.° Denique poenitentia, est virtus *infusa*, quia vera poenitentia disponit ad justificationem, tenditque ad abolendam Dei offensam,

---

(1) Si poenitentiam late sumas pro habitu inclinante ad dolendum de peccatis, abstrahendo a motivo doloris, dici potest virtus generalis hoc sensu, quod spectare possit ad quamlibet virtutem. Nam dolor de peccatis concipi potest ex motivo proprio cuiuslibet virtutis; proprium est enim cuiuslibet virtutis refugere malum oppositum bono, quod prosequitur. Sic religio inclinat ad detestandam omnem irreverentiam contrariam cultui Dei, quod est ejus obiectum: vir iustus per iustitiam aegre fert proximum iniuste opprimi, per caritatem nomen Dei blasphemari. Hi igitur dolores pertinent ad illas virtutes, cum actus speciem sumat a suo motivo. Sed propter eandem rationem dolor, quo dolemus ob proprium peccatum, *quatenus* est offensa, est specialis virtutis, nempe poenitentiae.

ad exhibendam pro ea satisfactionem, et reconciliandum hominem cum Deo; atqui virtus naturalis et acquisita non potest ista praestare, ut definitum est a Tridentino: ergo virtus poenitentiae est infusa adeoque supernaturalis. Infunditur autem, sicuti ceterae virtutes morales, in ipsa justificatione quamquam etiam ante justificationem actus poenitentiae eliciuntur, gratia actuali tunc habitum supplente. Unde haec poenitentiae virtus definiri potest: *virtus moralis infusa inclinans hominem ad reparandam iniuriam Deo per peccatum illatam.* Actus autem, quo poenitentia iniuriam Dei reparat, a Tridentino (sess. 14. cap. 4) definitur: *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.*

915. Poenitentia ut sacramentum definitur: *Ritus a Christo Domino institutus, quo gratia de se remissiva peccatorum confertur.* Doctrina de hoc sacramento a Tridentino sess. 14 comprehensa, reducitur tota ad haec potissima capita: 1°. Christus potestatem Ecclesiae contulit remittendi peccata; 2°. hanc potestatem sacerdos exercere nequit, nisi peccator triplicem actum ponat, nempe contritionem, confessionem, satisfactionem; 3.° ritus hujusmodi, qui hinc quidem absolutione sacerdotis, inde vero tribus poenitentis actibus indicatis continetur, veri nominis est sacramentum peccatori baptizato ad salutem necessarium. Cum autem cum peccato non semper tota auferatur poena ipsi debita, quae residua per Indulgentias praesertim redimi potest, tamquam appendix quaestio de Indulgentiis subiungi solet.

Hinc tractatus tria capita comprehendet: 1.° de potestate remittendi peccata; 2.° de tribus poenitentis actibus; 3.° de veritate et natura sacramenti Poenitentiae, quibus accedit appendix de Indulgentiis.

CAPUT I.

De potestate remittendi peccata.

916. Errarunt de hac re: Montanistae saec. II, quibus accessit etiam Tertullianus, affirmantes, Ecclesiam non habere potestatem remittendi quaedam graviora peccata, uti idololatriam, homicidium, fornicationem; Novatiani saec. III, qui Ecclesiae primum solummodo potestatem lapsis post baptismum remittendi enormia peccata abiudicarunt; dein ulterius progressi, nullum peccatum post baptismum commissum posse ab Ecclesia remitti affirmarunt; Protestantes, qui hanc potestatem vel penitus negant, vel eam esse tantum *declaratoriam,* non autem *iudicialem* contendunt. Contra hos fundamentum totius tractationis vindicabimus, statuentes:

917. Prop. 139. **Christus Ecclesiae contulit potestatem remittendi retinendive quaecumque peccata, eaque actu iudiciali exerceri debet.**

Omnes tres partes *de fide:* prior respiciens *collationem* hujus potestatis ex Trident. (sess. 14 can. 3): « Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: *Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis, et quornm retinueritis, retenta sunt;* non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem praedicandi Evangelium, a. s. »: altera pertinens ad ejus *extensionem* ex damnatione Montanistarum et Novatianorum; tertia spectans ad ejus *naturam,* ex Trident. (l. c. can. 9): « Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronunciandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti: modo tamen credat, se esse absolutum. a. s. »

918. Demonstr. I. p. *a)* Promisit Christus hanc potestatem primum Petro (Matth. 16, 19): *Tibi dabo claves regni coelorum. Et*

quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis, dein (in coniunctione cum Petro) omnibus Apostolis (Matth. 18, 18): *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.*

Ligatio et *solutio,* de qua sermo est in iis verbis Christi, spectat certe ad ordinem moralem proprium entis liberi. Triplex autem est vinculum quo ens liberum ligari et a quo solvi moraliter potest, *vinculum legis, vinculum culpae, vinculum poenae.* Et quidem vinculo legis et poenae ligari potest directe ab alio; vinculo vero culpae ipsum se solum obstringere potest; indirecte et ab alio potest ligari, quatenus ei vinculi solutio negatur. Unde et quoad triplex vinculum potest ab alio solvi. Potestas igitur ligandi et solvendi est potestas vinculum morale imponendi aut relaxandi. Collata est igitur potestas plena et universalis quoad omnes personas et quoad omnia negotia seu causas Ecclesiae, potestas ferendi leges, praecipiendi, prohibendi, judicandi, poenas decernendi, easdemque infligendi, tum leges abolendi, dispensandi, condonandi delicta et poenas; his enim omnibus vel aliquod vinculum morale imponitur, vel relaxatur: brevi potestas regia omnia complectens jura regendae administrandaeque reipublicae necessaria. In tali vero potestate continetur tamquam pars potestas remittendi et retinendi peccata; est enim et haec quaedam potestas ligandi et solvendi. — Eadem potestatis amplitudo significatur sub altera imagine traditionis *clavium regni coelorum* (1), in qua universali potestate et illa partialis continetur remittendi peccata, per quae regnum coelorum clauditur.

---

(1) *Potestas clavium* dupliciter sumitur: *generice* seu late pro omni potestate, quam Christus Petro et per eum Ecclesiae contulit; et *specifice* seu stricte pro potestate remittendi peccata tum quoad culpam tum quoad poenam, ut fit in sacramento poenitentiae, tum etiam quoad poenam tantum extra sacramentum, ut fit per Indulgentias. Hoc loco sumitur sensu *specifico* pro potestate remittendi peccata. Apte vero haec illo nomine designatur. Nam sicut clavis actus est aperire et claudere, ita potestatis illius actus est coelum peccato clausum aperire, vel etiam coelum indignis occlusum retinere. Inde potestas remittendi peccata tum in sacris litteris tum apud Patres et concilia potestas clavium appellatur. Praeterea in societate spirituali omnem potestatem generice illo nomine expressam ad hanc *specialem* remissionis peccatorum vel proxime vel remote dirigitur.

b) Promissam potestatem contulit post resurrectionem apparens et dicens (Jo. 20, 21 — 23): *Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Verba haec clarissima alio sensu, quam de vera dimittendi peccata potestate, intelligi nequeunt. Nam *α)* dixit Christus: *Sicut misi me Pater* (pari itaque potestate, in parem finem) *ego mitto vos.* Qualis ergo in Christo, talis etiam in Apostolis potestas peccata dimittendi, intelligi debet. *β)* Formula, qua Christus utitur, ad designandam potestatem, quam Apostolis tradidit, nempe: *ἀφέναι ἁμαρτίας,* eadem est ac illa formula, quam aliis in locis de sua (Matth. 9, 6; Luc. 7, 47 sq.) aut de Patris potestate (Matth. 6, 12 sq.; 12, 31 sq.) peccati dimittendi usurpat. Loquitur ergo Christus de peccatorum remissione vere tali. *γ)* SS. Patres omnes citata verba Christi de proprie dicta peccatorum remissione interpretantur, ut in sequentibus ostendemus, eodemque sensu liturgiae tum occidentales tum orientales adhibent. Jure igitur Tridentinum in alienum sensum ea detorquentibus dixit anathema.

919. Demonst. ii. p. *a)* Ex collatione testimoniorum Jo. 20 cum illis Matth. 16 et 18. Quia haec illud quoque continent, quod affertur verbis Joannis, hinc ea per istud et vicissim, sub illa ratione qua conveniunt, illustrari possunt, ideoque ea simul collata hanc integram fundunt sententiam: quorum hominum quaecumque peccata remiseritis seu solveritis in terris, erunt remissa seu soluta et in coelis; et quorum hominum quaecumque peccata retinueritis vel ligaveritis in terris, erunt retenta seu ligata et in coelis. Porro terminus *quaecumque* utpote universalissimus nullum peccatum, terminus *quorum* utpote indefinitus nullum hominem excipit. — *b)* Ex Patribus. Cyprianus: « Quod legentes, *neminem* putamus a fructu satisfactionis et spe pacis arcendum, cum sciamus iuxta scripturarum divinarum fidem, auctore et hortatore ipso Deo, et ad agendam poenitentiam peccatores redigi, et veniam atque indulgentiam poenitentibus non denegari » (1); s. Ignatius: « Omnibus igitur poenitentibus remittit Deus, si se convertant ad unionem cum Deo et ad com-

(1) Epist. 52 *ad Ant.* n. 27.

munionem cum episcopo » (1); in Canonibus Apostolorum legitur: « Si quis episcopus aut presbyter eum, qui se convertit a peccato, non receperit, sed ejecerit, deponetur, quia contristat Christum dicentem (Luc. 15, 10): *Gaudium oritur in coelo super uno peccatore poenitentiam agente;* » s. Ambrosius: « Distinctionem peccatorum facitis, quae solvenda a vobis putetis et quae sine remedio esse arbitremini; sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit » (2), et iterum: « Evidentissime Domini praedicatione mandatum est, etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde et manifesta confessione peccati poenitentiam gerant, sacramenti coelestis refundendam gratiam » (3); Pacianus: « *Quaecumque solveritis,* inquit, omnino nihil excepit. *Quaecumque,* inquit, vel magna vel modica » (4); s. Augustinus: « Nec eos audiamus, qui negant, Ecclesiam Dei omnia posse peccata dimittere. Itaque miseri dum in Petro petram non intelligunt, et nolunt credere datas Ecclesiae claves regni coelorum, ipsi eas de manibus amiserunt » (5). — *c)* Ex damnatione Montanistarum et Novatianorum, qui hanc potestatem coarctabant; ex exemplo Pauli qui incestuosum Corinthium (1. Cor. 5), peccatum juxta adversarios irremissibile venia donavit; ex praxi Ecclesiae, quae rite dispositis omnia semper peccata remisit, ex ejus fine, qui est continuatio operis Christi in salvandis peccatoribus.

920. **Corollarium.** Ex his sequitur, nullum fuisse peccatum, quod ab Ecclesia vere poenitentibus, etiam post relapsum non fuerit condonatum. Unde distinctione facta inter Ecclesiam *universalem* et *particularem;* inter poenitentiam *publicam* et *privatam;* inter reconciliationem *perfectam,* qua omnia jura et bona ecclesiastica restituuntur, et *imperfectam,* quae sola absolutione a peccatis constabat, denegata perfecta communione cum Ecclesia et ipsa Eucharistia; concedi quidem debet: *a)* poenitentiam publicam semel tantum permissam, ac proinde *b)* reconciliationem perfectam semel exhibitam fuisse; imo *c)* in quibusdam Ecclesiis peccatis veniam absolute negatam fuisse (cf. Cyprianum *ep. 51*

---

(1) *Ad Philadelph.* n. 8. — (2) *De Poenit.* l. 1. c. 2. n. 10. — (3) *L. c.* l. 2. c. 3. n. 19. — (4) *Epist.* 3. n. 12. — (5) *De agone Christ.* c. 31.

ad Ant. n. 21); at *d)* negari omnino debet, Ecclesiam universalem ullis poenitentibus in articulo mortis absolutionem et communionem negasse (1).

921. *Obi.* 1. Christus dicit (Matth. 12, 31 sq.): *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blaspemiae non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum s., non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.*

Resp. Dist. Christus negat Ecclesiae potestatem quoad hoc peccatum, *neg.;* factum enuntiat, *subdist.* ut sit absolute impossibile quod remittatur, *neg.*, moraliter impossibile, *subdist.* ex defectu dispositionis ordinarie cum natura illius peccati connexo *conc.*, ex defectu potestatis, *neg.* Scriptura, quod valde difficile est, vocare solet impossibile; ita Christus (Matth. 19, 24) ait: *Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum.* Porro nonnulli Patres per blasphemiam in Spiritum s. intelligunt peccatum illud, quo homo manifestae veritati ultro obsistit, et Spiritus s. opera daemoni adscribit; alii impoenitentiam finalem, quae dicitur peccatum in Spiritum s., « quia, ait s. Thomas, est contra remissionem, quae fit per Spiritum s., qui est caritas Patris et Filii » (2).

Obi. 2. Paulus (Hebr. 6, 4): *Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, et participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, et prolapsi sunt; rursus renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes.*

Resp. Dist. Impossibile est eos, qui lapsi sunt, renovari per poenitentiam baptismalem, seu per novum baptisma, *conc.;* impossibile est, eos renovari per poenitentiam, quae baptismum sequatur, *subdist.* impossibile, i. e. admodum difficile, praesertim, si sermo sit de apostatis, qui Christum rursus speciali ratione crucifigunt, vel de iis peccatoribus, qui perpetuo relabuntur: imitati videlicet terram, quae licet saepe venientem super se bibat imbrem, indesinenter profert *spinas et tribulos, conc.;* impossibile est prorsus, *neg.* Responsio, ut liquet, utramque coniungit

---

(1) Cf. Hurter th. 236 et 237. — (2) 2. 2. q. 14. a. 3.

sententiam, illorum scilicet qui tenent, Paulum loqui de novo baptismate, et illorum, qui locum de apostatis intelligunt.

Eodem modo de magna nempe difficultate quoad aliquod peccatum gravissimum intelligi debet illud (1. Jo. 5, 16): *Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget quis;* nisi cum Augustino illis verbis significari putemus peccatum, in quo quis impoenitens moritur, quod certe post hanc vitam non remittitur (1).

922. Demonstr. iii. p. Actus judicialis est ille, quo, instituto examine, sententia fertur efficax illius rei, quam decernit, remissionis nempe peccatorum, opponiturque actui mere *declaratorio,* quo nempe sacerdos non ipse ad efficiendam peccatorum remissionem directe concurrit, sed nudo fungitur ministerio declarandi, illa a Deo esse remissa. In thesi itaque asseritur remissionem peccatorum etiam ab ipsa sacerdotali sententia descendere, quae a Deo rata habetur. Potestas clavium igitur, ut ita dicam, tamquam humano-divina concipitur; *humana,* quia inest homini, et per hominem exercetur; *divina,* quia a Deo est auctore, et Christi nomine exercetur; *humana,* quia homo judicium fert; *divina,* quia hoc judicium vim suam coram Deo exserit, et ab ipso ratum habetur; *divina,* quia judicium coeleste sententiam consequitur terrestrem.

a) Eadem est potestas Ecclesiae commissa, ac illa quam Christus a Patre accepit: *sicut misit me* etc.: potestas autem Christi est judicialis: ergo. — *b*) Id exigunt ipsa verba: *solvere, ligare, remittere, retinere,* quae non declarationem, sed causam activam efficacem remissionis significant. — *c)* Potestas collata

(1) Cf. Palmieri th. 8, qui textum Jo. interpretatur non de privata oratione nec de peccatoribus communibus, sed de excommunicatis et de oratione publica, quae pro talibus peccatoribus utique non debet fieri.

Quoad obiectiones ex ss. Patribus, quin singulorum effata perpendamus, sufficiant haec in genere annotasse: 1.° eos saepe loqui verbis s. Scripturae; quare explicatio etiam valet quoad haec ss. Patrum effata; vel 2.° eos *historice* referre, quaedam peccata non remitti: non ex defectu potestatis Clavium, sed propter dispositionis defectum, qui plerumque eiusmodi consequitur peccata; vel 3.° eos affirmare, peccata quaedam esse irremissibilia *merito,* i. e. ex se nullam merere veniam, quia nullo pacto possunt excusari; non tamen eos propterea negare, ea misericorditer remitti a Deo, cuius misericordia omnem vincit malitiam. Vel 4.° eos nonnumquam veniae consequendae exaggerare difficultatem, non vero tueri impossibilitatem.

est *bipartita*, remittendi nempe et retinendi, ita ut alia sint remittenda, alia retinenda. Sed hoc cum discretione faciendum est; ergo *judicandum* est, et secundum judicium vel remissio vel retentio facienda. — *d)* Accedit traditio. Pacianus: « Quod per sacerdotes facit, ipsius Christi potestas est » (1); Chrysostomus: « A terra principalem auctoritatem sumit coelum: nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum » (2); Gregorius M.: « Ecce.... principatum superni judicii sortiuntur discipuli, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.... Causae pensandae sunt et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum, quae culpa praecessit, aut quae sit poenitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat illos pastoris sententia absolvat » (3).

923. **Corollarium** 1. *Potestas remittendi peccata distincta est a potestate praedicandi Evangelium et relaxandi peccata per baptismum,* quod *de fide* est tenendum ex Tridentino can. 2 contra Protestantes, qui contendunt textus allatos de praedicatione Evangelii et de baptismo, cujus recordatio fidem justificantem in homine excitet, esse intelligendos. Etenim potestas clavium est potestas actu judiciali exercenda, potestas praedicationis et baptismi est potestas regenerationis exercenda ablutione et invocatione Trinitatis. Praeterea Poenitentia distinguitur a baptismo materia et forma, ministro et subiecto, fine et effectu. Non sunt itaque testimoniis allatis realiter parallela illa (Matth. 28, 19): *Docete omnes gentes, baptizantes eos* etc.; (Marc. 16, 16): *Qui crediderit et baptizatus fuerit* etc., quae insuper neque grammatice esse parallela apparet utraque testimonia diversis in adiunctis temporibusque prolata comparanti.

924. **Corollarium** 2. *Haec potestas ita est Apostolis collata, ut in eorum quoque successores transeat, ut sit ergo perpetua.* Constat ex Trident. (cap. 1) Later. IV., Florent., ex universa traditione, quae verba (Matth. 18, 18 et Jo. 20, 21 sq.) de Apostolis et Apostolorum successoribus intellexit, et ex evidenti ratione. Potestas enim haec Apostolis concessa non erat donum extraordinarium, quam temporis illius et personarum conditio exigebat, sed erat potestas ordinaria, non tam personis,

---

(1) Epist. I. *ad Sympr.* — (2) Hom. 5. *de verb. Isa.* — (3) Hom. 26. *in Jo.* 20.

quam muneri adnexa, ita ut ad successores quoque in isto munere transiret. Eadem enim causa, quae Christum impulit, ut Apostolis traderet potestatem peccata dimittendi, exigit etiam, ut haec potestas in invisibili Ecclesia perduret, quippe cujus finis non alius est, quam, ut peccatores per Christum perpetuo Deo reconciliet, atque non tantum veritatem Christi, sed et gratiam ejus redemptoriam membris suis omni tempore applicet.

925. **Corollarium** 3. *Potestas clavium est necessaria.* Scilicet remissio peccati obtineri non potest, nisi clavibus subiiciatur. Constat *a)* ex indole *clavium*, quae datae sunt Ecclesiae; claves enim non modo ad aperiendum sed etiam ad claudendum inserviunt. Atqui Ecclesia coelum claudere non posset, si peccator independenter a ministerio clavium coelum ingredi valeret. Unde Augustinus: « Nemo sibi dicat: occulte ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscat, quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictum est: *Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo?* Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? Frustramur Evangelium, frustramur verba Christi? » (1). — *b)* Ex natura *bipartitae* potestatis Ecclesiae collatae. Non enim commissa fuit sola potestas remittendi, sed etiam illa *retinendi peccata.* Haec vero non est mera non remissio peccatorum, sed est *sententia retentionis,* ut ait Trident. (cap. 5), ita ut sensus verborum Christi sit: Si remiseritis vos, remitto et ego; si retinueritis vos retineo et ego. Non retinerent autem, si peccator alio modo veniam consequi posset (2).

---

(1) *Serm.* 392. al. *hom.* 49. inter 50. n. 3.

(2) Necessitas haec intelligi debet tantum pro peccatis lethalibus. Nam potestas clavium necessaria est tantum pro remissione mortalium. Est enim potestas non modo remittendi, sed etiam retinendi peccata ita, ut retenta maneant i. e. perpetuo: perpetuo autem nonnisi peccata mortalia retineri possunt. Peccata venialia, licet retinerentur in hac vita, deberent tamen aliquando remitti saltem in altera vita, proindeque independenter a potestate clavium. Non ergo est eadem extensio potestatis remittendi et potestatis retinendi. Nam potestas retinendi, quia est potestas retinendi perpetuo, non extenditur proprie ad peccata venialia; quae perpetuo retentibilia non sunt; sed potestas remittendi etiam ad venialia sese extendit, quia remissibilia sunt et quidem facilius quam mortalia. Hinc confessio venialium non est quidem nessaria; attamen recte et utiliter fit, prouti fert usus nunc a pluribus saeculis in Ecclesia frequentatus et a concilio Tridentino laudatus. Unde Pistoriensium propositio 39[a], qua frequens venialium confessio improbatur, a Pio VI damnata fuit uti temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro conc. Tridentino probatae contraria.

Necesse est itaque, ut unusquisque peccata sua, quantum moraliter potest, subiiciat clavibus; scilicet vel *actu* vel *voto* i. e. desiderio et proposito. Hinc apparet, quomodo haec necessitas cum efficacia contritionis perfectae cohaereat. Equidem haec, sicut ante sacramenti poenitentiae institutionem, etiam nunc justificat; sed cum ipsa voluntatem omnia Dei praecepta observandi includat, et in nova lege praeceptum sit Christi omnia peccata clavibus subiiciendi; ea necessario et hoc saltem voto includere debet. Merito itaque Tridentin. (cap. 2) docuit, quod Christus baptizatos « si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui..... sed ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit; ut per sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari; » unde concludit: « Est autem hoc sacramentum Poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis est ipse baptismus. » Cf. can. 6, quo haec necessitas definitur.

926. **Corollarium** 4. *Etiam Ecclesiae inest obligatio concedendi veniam reis cujusque criminis, si rite sint dispositi.* Ratio est, quia potestas Ecclesiae tradita remittendi peccata per se extenditur ad quaecumque peccata; hujus autem potestatis Ecclesia non est domina, sed dispensatrix, quae eam exercere debet non pro lubitu, sed secundum Christi voluntatem et pro cujusque dispositionibus.

927. **Corollarium** 5. *Haec potestas ad solos pertinet sacerdotes* (episcopos et presbyteros). *De fide* ex Trident. (sess. 14. can. 10), ubi definivit, verba Christi (Jo. 20, 23): *Quorum remiseritis* etc.... solis sacerdotibus esse dicta, non omnibus fidelibus. Sequitur non solum ex eo quod non omnes illis verbis allocutus est Christus, sed solos apostolos, sed ex natura traditae potestatis, quae, cum sit judicialis, communis omnibus esse nequit, sed alios aliis subordinat. — Ambrosius: « Jus hoc solis permissum est sacerdotibus » (1); Chrysostomus: « Quorumcumque, ait, peccata.... Quaenam, obsecro, potestas hac una major esse queat? Pater omne judicium dedit filio; et ecce video illud ipsum omne traditum his sacerdotibus a Filio » (2).

928. **Corollarium** 6. *In sacerdote, ut valide peccatorem absolvat,*

(1) *De Poenit.* l. 1. c. 2. — (2) *De sacerd.* l. 3. c. 5.

praeter potestatem ordinis requiritur etiam: jurisdictio et *approbatio* (1).

1.° *Jurisdictio;* legitur enim in conc. Trident. (sess. 14. cap. 7): « Quoniam natura et ratio judicis illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse, synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem, esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam vel subdelegatam non habet jurisdictionem ». Potestas itaque in ordine presbyteratus accepta non sufficit, sed exigitur insuper jurisdictio seu assignatio subditorum, qua deficiente potestas remittendi peccata in ordine accepta ita exerceri non potest, ut, deficiente legitima materia, baptizari aut Eucharistia confici non potest. Illa potestas antequam accedat jurisdictio, tamquam gladius est in vagina reconditus.

2.° *Approbatio.* Trident. (sess. 23. cap. 15) statuit: « Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen s. synodus, nullum etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, approbationem, quae gratis detur, obtineat: privilegiis et consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus ».

Ex hac doctrina duo sequuntur: *a)* episcopum posse presby-

---

(1) *Jurisdictio,* quae generaliter sumpta est potestas quaedam moralis regendi subditos, in re praesenti, est potestas qua sacerdos ut iudex legitimus in alterum, tamquam in subditum, sententiam in foro conscientiae proferre valeat. — Est vel ordinaria vel delegata. Est *ordinaria* si sacerdoti competat ex officio cui adnexa sit cura animarum; ac talis est iurisdictio Romani Pontificis pro *utroque foro* in Ecclesiam universam, Episcopi cuiuscumque particularis Dioecesis in sua Dioecesi pro *utroque* etiam *foro,* parochi pro subditis suae paroecciae *in foro interno.* — Est *delegata* si habetur ex commissione illius qui potestatem iurisdictionis habet ordinariam.

Praeter iurisdictionem, ut *valeat* absolutio, requiritur secundum concilium Trident. (sess. 23 de Reform. cap. 15) in omnibus confessariis, qui non habent beneficium parochiale, etiam *approbatio,* quae est iudicium publicum et authenticum de confessarii idoneitate ad audiendas confessiones, cum consensu et licentia ipsi concessa exercendi iurisdictionem acceptam vel accipiendam (cf. Müller, *Theol. mor.* t. 3. §. 135). Ad solos Ecclesiae praelatos pertinet iudicare de idoneitate ministrorum, qui ad audiendas confessiones deputandi sunt; cum ipsi soli Ecclesiam gubernare debeant.

terum ab exercitio hujus potestatis prohibere, *suspendere*, i. e. non quidem potestatem ipsam, sed conditionem, ad ejus exercitium necessariam, scil. subditos, subtrahere; et *b)* episcopum sibi posse casus reservare; cum enim reservatio non sit nisi limitatio, negatio jurisdictionis quoad certa peccata, patet, illum, qui jurisdictionem conferre potest, posse etiam illam limitare. De hac re definivit Trident. (sess. 14. can. 11): « Si quis dixerit, episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad politiam externam, et ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, a. s. »

929. **Corollarium** 7. *Absolutionis sententia exterius proferri debet.* Id enim exigit Ecclesiae visibilitas et humanae naturae conditio, ut peccator sciat utrum remissionem obtinuerit, an e contra teneatur peccata sua iterum subiicere clavibus.

CAPUT II.

De actibus poenitentis.

930. Collata a Christo suae Ecclesiae peccata remittendi potestas exerceri nequit, nisi poenitens tres actus ponat, contritionem, confessionem, satisfactionem. Esse necessariam contritionem clamant sacrae litterae et ipsa rei natura, cum nemo offensam condonet, nisi per displicentiam et odium eam retractet. Ut vero ministri judicium ferre possint, utrum peccata remittenda an retinenda sint, ea cognoscant oportet, cognoscere autem non possunt nisi poenitens ea manifestet. Demum cum in ipsa contritione principium jam contineatur satisfactionis et voluntatis dispositio ad destruendum quod odio habet, cumque ministri habeant facultatem non solum remittendi sed et retinendi et ligandi seu imponendi poenas, poenitens ita animo est et esse debet comparatus, ut eas et acceptet et persolvat. Merito itaque Trident. (sess. 14. can. 4) definivit: « Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente, quasi materiam sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, a. s. »

De singulis distinctius tribus articulis.

ARTICULUS I.

De contritione.

931. Contritio (1) merito prima recensetur et praecipua sacramenti Poenitentiae pars, tum quia ceterae ab illa tamquam a causa pendent; conceptus enim de perpetrato peccato dolor ad id adducit peccatorem, ut accuset ipse se, peccatumque in se quantum potest destruat; tum quia ipsa sola aliquando defectum supplet aliarum; istae vero numquam sine contritione prodesse queunt.

932. Prop. 140. **Contritio de peccatis commissis ad eorum remissionem est necessaria tum necessitate medii tum praecepti.**

De fide ex Trident. (sess. 14. cap. 4): « Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius. »

Demonstr. *a)* (Ezech. 18, 30. 31): *Convertimini et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite a vobis omnes praevaricationes vestras,.... et facite vobis cor novum et spiritum novum;* (Luc. 13, 3): *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis;* (Cf. Zach. 1, 3; Joel. 2, 12; Jer. 18, 8). Omnibus in his locis nexus exhibetur necessarius inter remissionem peccati et poenitentiam, ut Deus nolit peccatum remittere nisi poenitenti. — *b)* Ex innumeris Patrum scriptis, sermonibus etc., quibus hanc inculcant necessi-

---

(1) S. Thomas in 4. dist. 17. q. 2. et in Supplemento quaest. 1. artic. 1. docet virtutem poenitentiae dici contritionem per metaphoram ductam a duro et scabroso lapide, qui nisi frangatur, resistit, manum contrectantem et comprimentem pungit, laeditque; sed attritus seu confractus facile cedit: contritus autem perfecte, et quasi in pulverem redactus, mollis sentitur, potestque madefactus quamlibet figuram accipere. Similiter cor lapideum peccatoris est intractabile, obsistit monitis et exhortationibus, correptionis tela in illud emissa, impudenter remittit in corripientem, nam *sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias,* ut dicitur Prov. 26, 16. At dolore fractum, iam docile est ac humile, praeceptis et sanis consiliis acquiescit eo facilius ac promptius, quo perfectior est eius dolor.

tatem. Pro omnibus loquatur Augustinus: « Potest aliquis dicere, non se peccare: non autem sibi esse, si peccaverit, poenitendum, nulla barbaries dicere audebit » (1). — *c)* Ex Ecclesiae praxi, quae nonnisi poenitentibus beneficium remissionis indulsit. — *d)* Ex rei natura; ad impetrandam enim offensae veniam ab offenso necesse est, ut offensor, quantum in se est, illud removeat, quod merito offensi provocat iram i. e. ipsam culpam seu offensam. Cum vero offensor iniuriam infectam reddere nequeat, necesse est, ut eam *aequivalenter* tollat, quod fit, dum ei renunciat, eam aversatur, odio prosequitur, actibus oppositis emendare nititur, brevi: necesse est, ut de ea agat poenitentiam.

933. Contritio definitur a Tridentino (sess. 14, cap. 4): *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero,* ex quo apparet ipsam consistere in his tribus actibus, scilicet dolore, detestatione et proposito non peccandi in posterum; duo priores respiciunt peccatum praeteritum, tertius peccatum futurum.

Dicitur *animi,* quo indicatur ejusdem sedem esse voluntatem, non vero per se appetitum sensitivum, ad quem secundario, per accidens et non necessario pertinet (2).

Dolor i. e. displicentia, tristitia, quae consequitur ipsam *detestationem.* Per detestationem enim poenitens peccatum *odio* seu abominatione prosequitur, cujus actus expressio est: *vellem non peccasse;* ex hoc vero oritur dolor seu displicentia, quod peccaverit, quae ipsam fovet detestationem; unde hi duo actus sese mutuo excipiunt et complent, efformantque *detestationem dolorosam.* — Propositum est quidem essentiale, sed, juxta plures, sufficit virtuale, quod includitur in dolore ex motivo universali concepto.

---

(1) *De duabus animabus contra Manich.* n. 22.

(2) Legitur in Catechismo Rom. P. 2. c. 5. n. 24: « Quod autem contritio dolore definita est, monendi sunt fideles, ne arbitrentur, eum dolorem corporis sensu percipi. Contritio enim est voluntatis actio. Et sanctus Augustinus testatur, dolorem poenitentiae comitem esse, non poenitentiam. » *Ibidem* n. 28. legitur: « Saepe enim usu venit, ut quae sensibus subiecta sunt, magis quam spiritualia nos afficiant. Quare nonnulli interdum maiorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine, doloris sensum capiunt. Idem etiam iudicium faciendum est, si lacrimae doloris acerbitatem non consequantur; quae tamen in Poenitentia summopere optandae.... »

934. *Proprietates contritionis,* quae sit ad justificationem apta, ex declarata ejus natura sunt sequentes: 1.° *Interior* seu cordis; ergo non mera formulae poenitentialis recitatio oralis. — 2.° *Supernaturalis* i. e. adiutorio gratiae actualis et ex motivis supernaturalibus, ex religione et revelatione haustis, elicita, secus nulla esset relatio et connexio inter medium et finem, causam et effectum; cum naturalis contritio ordinis esset naturalis, justificatio autem ordinis supernaturalis. Motiva supernaturalia ad quatuor reduci possunt *a)* ad timorem gehennae et poenarum, *b)* ad spem premii supernaturalis, *c)* ad turpitudinem peccati supernaturaliter apprehensam, *d)* ad bonitatem Dei. Quoties aliquis movetur ex uno horum motivorum per fidem cognito, cum spe veniae a Deo impetrandae, supernaturaliter movetur. — 3.° *Universalis* i. e. se extendere debet (vel ex motivo universali unico, vel ex pluribus motivis particularibus) ad omnia peccata commissa (saltem, ut valeat sacramentum, ad ea, quae a gratia excludunt), ne uno quidem excepto. — 4°. *Summa,* saltem *appretiative;* non vero requiritur ut sit summa *intensive.* Summa *appretiative* est illa, qua peccatum ut malum quovis alio majus intellectu aestimamus et simul voluntate detestamur. *Intensive* est ea, qua peccatum non solum ut summum malum detestamur, sed etiam actu detestationis intensiori seu vehementiori, quam quo detestamur cetera mala. Ratio est, quia Deus ad redeundum in gratiam cum peccatore, unice postulat, ut is voluntatem a peccato sincere avertat, juxta illud Joel (2, 12): *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Vera autem a peccatis aversio contritione appretiative summa continetur.

935. Praecipua contritionis divisio est in *perfectam* (1) (contritio simpliciter dicta), et *imperfectam (attritio* saepe vocata).

---

(1) *Perfecta* non eo sensu dicitur, ac si excludat *omnem deliberatum affectum ad venialia;* haec melius contritio *perfectorum,* quam contritio perfecta appellatur. Nam « dupliciter, ait s. Thomas 2. 2. q. 44. a. 4, contingit ex toto corde Deum diligere: uno quidem modo in actu, id est ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur, et ista est *perfectio patriae;* alio modo ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur, ita scilicet ut nihil contra Dei delectationem cor hominis recipiat, et haec est *perfectio viae;* cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum caritatis, cum non tendat in oppositum obiectum, sed solum impedit caritatis usum. » Neque ob intensitatis gradus ita denominatur, sed ex *motivo,* et ex *effectu,* quia perfecta extra sacramentum iustificat, non autem imperfecta.

Perfecta est detestatio peccati orta ex motivo caritatis Dei, propter se, propter bonitatem suam summe dilecti. — Quoniam caritas in hac contritione adinstar formae se habet, iuverit de illa haec adnotare.

1.° Caritas duplex distinguitur: *benevolentiae* seu *amicitiae* (amor *gratuitus, perfectus*), quo Deus super omnia diligitur propter se; et *spei* seu *concupiscentiae* (amor *mercenarius, imperfectus*), quo Deum diligimus propter nos. Advertas tamen etiam in amore amicitiae et supponi ut fundamentum, Deum esse bonum diligenti, secus enim nec diligi posset. et actum, quo Deum diligit, esse maxime ipsi bonum et delectabilem.

2.° Certum est apud omnes ad contritionem perfectam sufficere amorem *benevolentiae,* cujus obiectum formale est Deus bonus in seipso, non bonus nobis.

3.° Certum e contra videtur, contritionem non ex caritatis sed religionis, obedientiae, poenitentiae motivo elicitam non esse perfectam; imo neque perfectam esse si Deum *formaliter diligimus propter beatitudinem,* quam ab ipso speramus et quam extra ipsum invenire nequimus; hic enim actus primario et directe fertur in nostram beatitudinem, indirecte et secundario in Deum: quapropter est amor mercenarius et imperfectus.

4.° Controvertitur, utrum ad eam sufficiat, si Deus diligitur propter suam bonitatem *relativam,* seu ut est summum bonum nostrum praesertim vero ex *gratitudine* propter infinita ejus beneficia. Sunt graves theologi, qui hoc defendunt contendentes, toties amorem esse perfectum, quoties motivum et ratio amandi Deum est *indistincta a Deo,* proinde etiamsi Deus ametur ut summum bonum et beatitudo nostra; nam et haec est perfectio indistincta a Deo, quare si propter eam amatur Deus, amatur propter se. Ecquis imperfectam dixerit caritatem, qua flagrabat Psalmista (41, 1 sq: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* vel qua Apostolus (Philip. 1, 23) *desiderium habebat dissolvi et esse cum Christo,* vel qua nos hortatur Joannes (1. ep. 4, 19): *Diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos?* Quapropter Augustinus: « Invoca Deum tamquam Deum; ama Deum tamquam Deum. Illo melius nihil est; ipsum desidera, ipsum concupisce. Vide in-

vocantem Deum in alio Psalmo: *Unam petii a Domino, hanc requiram* (26, 4). Quid est quod petit? Ut inhabitet in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Ut quid hoc? ut contempler delectationem Domini. Si ergo amator Dei esse vis, sincerissimis medullis castisque suspiriis ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia, quo jucundius nihil invenis, quo melius, quo laetius, quo diuturnius » (1). Imo hic amor cedit in immensam dilecti gloriam, testimonium est enim, eum tantae esse bonitatis, ut sufficiat ad alios beandos.

Porro dupliciter ex caritate hac perfecta potest contritio perfecta oriri: videlicet, vel ex caritatis actu formaliter elicito, ut, v. g. si Dei bonitatem considerando, illum super omnia diligam, et hinc offensam ejus super omnia mala detester; vel non ex actu formaliter elicito, sed ex *motivo charitatis:* ut si e. g. ex consideratione divinae bonitatis in se ipsa, ad detestandum peccatum, tantae bonitati contrarium, *immediate* adducar, quin formalem caritatis actum tunc reipsa eliciam. In primo casu contritio dicitur oriri ex formali caritate; in altero ex caritate virtuali; in utroque tamen est perfecta.

936. *Imperfecta* est detestatio peccati orta ex alio praeter Dei caritatem motivo supernaturali, puta ex metu poenarum et gehennae, vel ex amissione coeli vel ex peccati turpitudine supernaturaliter apprehensa etc.

937. Contritionis necessitate, natura, divisione declarata, remanet de eiusdem perfectae scil. et imperfectae ad sacramentum relatione dicendum. Itaque sit:

---

(1) *In Ps. 85. n. 8;* Cf. Hurter n. 515; Egger n. 570.

Diligere itaque Deum *gratis* et propter se ipsum, ut pluribus in locis explicat Augustinus, id sibi vult, ne Deo serviamus, neve ipsum diligamus aut quaeramus propter aliud, i. e. propter mercedem temporalem, propter mercedem extra ipsum, propter bona ab ipso distincta aut diversa, sed ut ipse sit bonum nostrum, beatitudo nostra, merces nostra. Hinc *criterium* discernendi inter caritatem perfectam iustificantem, et imperfectam. Si motivum amandi Deum est *extra ipsum* situm amor est imperfectus, mercenarius etc.; si motivum est in Deo, indistinctum, amor perfectus est, et iustificans (dummodo sit simul appretiative summus). Proinde duplex potest distingui amor imperfectus seu *initialis* vel 1.° ratione *motivi:* si Deus diligitur propter motivum a Deo ipso distinctum; vel 2.° ratione *gradus:* si Deus diligitur quidem propter motivum ab ipso indistinctum, sed nondum *appretiative,* super omnia.

938. Prop. 141. **Contritio caritate perfecta hominem statim justificat, licet non sine sacramenti voto; non est ergo necessaria ad poenitentiae sacramentum rite suscipiendum.**

Demonstr. i. p. Est *fidei proxima,* legitur eim in Trident. (sess. 14. cap. 4): « Docet praeterea (s. synodus), etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, prius quam sacramentum poenitentiae actus suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam; » et ex prop. Baji 31: « Caritas perfecta et sincera, quae sit ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum. » et 71: « Per contritionem etiam cum caritate perfecta, et cum voto suscipiendi sacramentum coniuncta, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione baptismi. »

a) (Prov. 8, 17): *Ego diligentes me diligo;* (Jo. 14, 21): *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum;* (Luc. 7, 47): *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Dilectioni ergo et poenitentiae sincerae promittitur amor Dei, qui cum peccato consistere nequit, et remissio peccatorum. — Chrysostomus: « Sicut ignis in silvam ingressus omnia purgare solet, sic dilectionis fervor quocumque inciderit, omnia tollit et excindit... Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala » (1); Augustinus: « Sola caritas extinguit delicta » (2); s. Thomas: « Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis (perfectae) rationem sufficiat, omnem culpam delet » (3). — Accedit, quod in nova oeconomia

(1) Hom. *7. in II. Tim. n. 3.* — (2) *Tract. 1. in 1. ep. Jo. n. 6.*

(3) In 4. dist. 17. q. 2. a. 5. — Quaestio movetur, *quomodo* contritio extra sacramentum hominem cum Deo reconciliet. Vasquez censuit ut causa *formalis totalis*, Ripalda ut causa *formalis partialis*, communiter autem tenent, tamquam dispositionem ultimam, cui Deus propter Christi merita promisit et reapse infundit gratiam sanctificantem peccati remissivam. — In sacramento vero, seu prout est coniuncta cum absolutione sacerdotali, et est pars materialis sacramenti, justificat per modum causae efficientis partialis materiae sacramenti. Materia enim sacramenti est causa efficiens instrumentalis, licet minus praecipua effectus sacramenti. Cf. de Augustinis *de Poenit.* p. 1. a. 7.

caritatis efficaciae nihil fuit detractum; sed in veteri testamento justificabat: ergo.

Quod vero requiratur sacramenti votum, i. e. desiderium seu propositum saltem implicitum, docet expresse Trident. (l. c.), et patet ex eo, quod Christus in nova lege praeceperit peccata omnia subiicere clavibus. Jam vero nemo caritatem perfectam habere potest, nisi paratus sit ad omnia mandata observanda.

939. Demonstr. ii. p. *a)* Ex natura sacramenti Poenitentiae, quod juxta Trident. (can. 3 et 9) primario ordinatur ad gratiam sanctificantem *primam* ex opere operato conferendam. Atqui si tamquam dispositio necessaria ad sacramenti susceptionem requireretur contritio perfecta, sacramentum Poenitentiae numquam conferret primam gratiam, quippe quae a contritione perfecta semper producitur: ergo. — *b)* Ex conc. Trident. (sess. 14. cap. 4) docente: « Illam contritionem imperfectam, quae attritio dicitur.... quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam, in sacramento Poenitentiae impetrandam, disponere. » Ergo duplicem distinguit conc. contritionem: perfectam, qua *aliquando* homo *ante sacramentum* justificatur (Cf. supra n. 938), et imperfectam, qua ad justificationem *in sacramento recipiendam* disponitur; ergo haec ita disponit ut sit sufficiens, alioquin non *aliquando* dumtaxat, sed semper peccator ante sacramentum justificaretur.

940. Scholion. Nonnulli theologi, qui attritionem negant sufficere cum sacramento, negant quoque quamlibet contritionem ex caritate conceptam sufficere ad justificationem extra sacramentum, sed certam secundum gradus intensitatis caritatem exigunt, nempe robustam, perfectam; volunt enim contritionem, quae concipitur ex amore Dei super omnia propter se dilecti, duplicem esse: unam perfectam, quae ex amore intenso, alteram imperfectam, quae ex amore remisso concipitur. Perfectam seu intensam dicunt semper justificare, etiam extra sacramentum, et de hac intelligendum esse Tridentinum; imperfectam seu remissam vero solum in sacramento, et in casu necessitatis, justificationis gratiam obtinere. Nos cum communi sententia hanc distinctionem reiicimus contendimusque omnem veram contritionem ex eo motivo conceptam sive remissam sive intensam valere ad justifica-

tionem ante *actualem* sacramenti susceptionem. *a)* Etenim Scripturae testimonia, (n. 938) quae probant caritatem reconciliare hominem Deo ante actualem susceptionem sacramenti, simpliciter caritatem vel contritionem caritate perfectam exhibent, caritatem veram, quae idcirco praedita sit excessu appretiativo (1); excessum vero intensivum nihil est quod suadeat ibi significari. Quemadmodum ergo cum aliquid in Scripturis fidei, spei etc. tribuitur, licet eae possint esse remissae et intensae, nulli venit adhuc in mentem quae de iis affirmantur, cum hac limitatione accipere, ut vera sint pro fide aut spe intensa non autem pro remissa, ita et de caritate, nulloque jure pro ea haec distinctio inducitur. — *b)* Conc. Trident. (l. c.) docet contritionem caritate perfectam hominem Deo conciliare priusquam sacramentum actu suscipiatur; ergo dummodo contritio motivo caritatis imperetur, justificat: nullus ergo determinatus caritatis gradus requiritur sed sufficit ut contritio concepta sit ex amore Dei super omnia dilecti, in hoc enim essentia consistit caritatis perfectae. — *c)* Idem conficitur analysi instituta prop. Baji damnatarum (n. 938). Ibi sermo non est de caritate intensa, sed de caritate vera, in quocumque intensionis gradu; ipse enim Bâjus admittebat, caritatem valde intensam justificare. Ergo in istis propositionibus loquitur de actuali remissa; et tamen damnatus est. — *d)* Distinctio haec, cum invecta fuit, aliena erat a doctrina communi scholae. Theologi antiqui, qui s. Thomam praecipue sunt secuti, distinxerunt quidem contritionem in perfectam et imperfectam, sed contritionis imperfectae nomine, quam et attritionem dicebant, eam contritionem intelligebant, cui aliquod deesset elementum contritionis, quatenus nimirum non sit ex amore Dei vel non sit super omnia; omnem autem veram contritionem habebant ut perfectam et justificantem (cf. textum s. Thomae n. 938). — *e)* Ratione denique theologica suadetur. Intensio major vel minor est accidentalis cuilibet actui, proindeque etiam caritati et contritioni; praecipua autem vis actus non pendet ab eo, quod ei accidentale est. — Si contritio caritate perfecta, sed remissior justificat aliquando nempe in casu necessitatis, ut volunt adversarii, cer-

---

(1) Hoc excessu appretiativo explicantur et intelligenda sunt quae habet Matth. (22, 36 sq.). Cf. s. Thomam 2. 2. q. 44. a. 5.

te debet in quovis alio casu justificare. Nam contritio remissa per se non habet majorem vim movendi Deum in casu necessitatis, quam in quolibet alio; nec circumstantia necessitatis auget contritionis aestimabilitatem; neque Deus plus contritioni remissae promisit in casu necessitatis, quam in quovis alio.

Iisdem rationibus excluditur ad contritionem perfectam justificantem necessitas *determinatae temporis durationis;* ejus enim essentia non a temporis duratione, sed ab ejusdem elementis constituentibus, quae omnia simul esse possunt, pendet.

941. Prop. 142. **Attritio ex solo metu gehennae concepta absque amore initiali ab ea separabili, non solum bona est et utilis, sed sufficit ad sacramentum Poenitentiae rite suscipiendum.**

Declar. Juxta Lutherum non solum quidquid homo facit ante justificationem est peccatum, sed etiam re ex ipsius principiis stricte concepta, quod post justificationem ex se facit homo, est peccatum; nam remanet natura essentialiter corrupta. Bonum solummodo est id, quod per Spiritum sanctum in homine efficitur. Ista autem attritio, ut censet Lutherus, non est de Spiritu sancto, sed est mala, hominemque reddit magis peccatorem, et hypocritam. Bajus, Jansenius, Quesnellus ex principio omne, quod homo faciat, procedere vel a concupiscentia et esse malum, vel a caritate et esse bonum (n. 654), consequenter ipsum timorem poenarum et attritionem ex illo solo conceptam tamquam malam et vitiosam reiiciunt.

Quoniam adversarii invehunt praecipue in *timorem*, animadvertendum est, timorem distingui multipliciter: *mundanum, servilem* et *filialem.* Mundanus est timor malorum ab hominibus inferendorum, inducens in peccatum, ut vitentur. Filialis est timor peccati, non quia hoc poenam inducit, sed quia offensa est Dei optimi et amantissimi Patris. Servilis est timor poenae a Deo infligendae, ob quam vitandam homo peccatum fugit, et servilis dicitur, quia proprium est servorum poenam timere, et ex illo solo metu agere. Hic timor duplex est, nempe *simpliciter* servilis et *serviliter* servilis; ille est, qui non solum manum sed et voluntatem cohibet a peccato; hic, qui manum tantum cohibet metu poenae, quin reprimat peccandi desiderium, ita ut paratus sit ad peccandum, si poena abesset. In propositione non agi-

mus de timore filiali, quem omnes concedunt esse bonum, neque de mundano et serviliter servili, qui certe sunt mali, sed de *simpliciter* servili.

Prima pars est *de fide*, altera est sententia *communis*.

942. DEMONSTR. I. P. Ille metus est bonus et utilis, ad quem nos Scriptura et Patres adhortantur; atqui Scriptura et Patres nos adhortantur ad metum gehennae: ergo hic bonus est et utilis. *Prob. min.* Christus (Luc. 12, 5) ait: *Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis: hunc timete.* Augustinus: « Timore facit, quidquid boni facit; non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet, ne mittatur in gehennam: bonus est iste timor, utilis est » (1). — Conc. Trident. (sess. 14. cap. 4) habet: « Illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennae et poenarum metu communiter concipitur, si voluntatem, peccandi excludat, cum spe veniae, (2) declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse et Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus viam sibi ad justitiam parat » etc. (Cf. etiam sess. 6. can. 7. 8, et prop. 15 damnatam ab Alexandro VIII et 62 et 60 Quesnelli). — Cum Deus intentet poenam, ut vitetur culpa, qui ex hoc motivo culpam cavet, agit secundum Dei voluntatem, hinc certe non inordinate, sed recte.

943. DEMONSTR. II. P. Haec agitatur inter catholicos. Sunt qui tamquam dispositionem sufficientem ad sacramentum Poenitentiae contritionem perfectam quamvis remissam exigant, et hos supra

---

(1) *In Ps.* 127. n. 8.

(2) Omnia attritionis motiva ad haec, quae concilium recenset, nempe ad *timorem poenarum*, et ad *turpitudinem peccati*, revocari possunt. Nam cum in peccato non sit nisi culpa et poena, hinc illud detestamur vel ratione culpae vel ratione poenae. Sub ratione culpae, motivum detestationis est turpitudo peccati, quae spectare potest vel ad contritionem vel ad attritionem, prouti turpitudinis ratio, quae consideratur, respicit vel divinam bonitatem propter se amabilem, vel aliam virtutem, cui opponitur peccatum. Sub ratione autem poenae, quam peccatum inducit, motivum detestationis vel est poena positiva a Deo inflicta sive aeterna sive temporalis, vel est privatio beatitudinis, ideoque motivum detestandi peccatum erit timor, aut spes vel desiderium.

(n. 940) refutavimus; sunt etiam, qui defendant, attritionem ut sufficienter disponat ad sacramentum, coniunctam esse debere cum *amore initiali.* Hunc vero initialem amorem eum intelligunt, quo quis Deum diligit propter suam bonitatem, sed nondum super omnia, quae sententia patronum celebrem nacta est Cardinalem Pallavicinum (1). Est denique tertia sententia, quam amplectimur, quae excludit quemlibet actum amoris, qui sit actus specialis et distinctus ab actibus aliarum virtutum, sicut et caritas est distincta ab aliis virtutibus.

Hinc in thesi dicimus *absque amore initiali ab ea seperabili;* nam si quis nomine amoris vellet intelligere actum virtutis referibilem in Deum vel quo voluntas in Deum tendit, tunc quaestio esset tantum de nomine. Etenim etiam Attritionistae facile concedent et concedere debent, hunc initialem in Deum amorem, saltem spei, ipsi contritionem necessario imbibitum esse, eo ipso quod ex Tridentino etiam attritio debet *excludere voluntatem peccandi* et secum includere *spem veniae.* Haec enim detestatio divinae offensae cum spe veniae et desiderio gratiae divinae non potest esse sine aliquo motu amoris in Deum, bonum nobis. Ex qua inclinatione et amore etiam aliqua benevolentia oriri potest.

Advertendum insuper est nos non dicere, quamlibet attritionem positive excludere voluntatem peccandi, potest enim esse aliqua attritio inefficax, quae sit velleitas, idque supponi videtur a Trident., qui hypothetice loquitur: « si voluntatem peccandi excludat. » Sed haec verba supponunt etiam dari aliquam attritionem, quae reipsa peccandi voluntatem excludat. Quod et ipsa eius natura docet. Etenim cum timore poenae potest esse coniuncta voluntas eademque absoluta vitandi poenam peccatis debitam, et proinde adesse potest odium peccati sive offensae Dei, quatenus est inductiva hujus poenae. Porro haec voluntas potest esse efficax, h. e. gignere voluntatem vitandi peccatum causam poenae; intentio

---

(1) Prae oculis habendum est decretum Alexandri VII. 5. Maji a. 1667, quo praecipitur cunctis et singulis fidelibus, ut « non audeant alicuius theologicae censurae alteriusve iniuriae aut contumeliae nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in praefata attritione (sufficiente ad valide recipiendum Poenitentiae sacramentum) ex metu gehennae concepta, quae hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictae dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. »

enim finis potest determinare electionem mediorum. Medium autem eligendum est fuga cujuscumque peccati sive exterioris sive interioris tantum, affectus idcirco ad peccatum et voluntatis conditionatae peccati; quae quidem omnia sunt in nostra potestate. Ergo voluntas vitandi poenam potest gignere voluntatem *absolutam* vitandi peccatum. Atqui si adest ea intentio efficax finis, nequit simul esse voluntas peccandi, haecque cum ea positive repugnat: ergo. Quibus praemissis probatur thesis.

a) Ex conc. Trident. (cap. 4) contritio generatim est pars sacramenti Poenitentiae, quae una cum absolutione gratiam producit. Atqui contritionis duplex est species, perfecta et imperfecta, quae dicitur attritio: ergo, cum quod de genere affirmatur, id omnibus ejus speciebus competat, etiam attritio, quae ex solo metu poenarum concipitur, est pars et quasi materia sacramenti, ac proinde in sacramento sufficiens. — *b)* De hac attritione concilium docet, « quamvis sine sacramento Poenitentiae per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Poenitentiae impetrandam disponit. » Porro *disponit proxime* vel *remote;* atqui nequit intelligi dispositio remota, quia *α)* etiam sine sacramento disponit remote, heic autem oppositio instituitur inter id quod sine sacramento non praestat, et id quod praestat cum sacramento; et *β)* dispositio remota jam declarata fuerat in verbis praecedentibus: « quo poenitens adiutus viam sibi ad iustificationem parat: » verbis autem sequentibus significatur effectus praestantior cum est coniuncta sacramento. Ergo dispositio proxima attritioni adscribitur. — *c)* Eo confirmatur, quod concilium ad sacramentum Poenitentiae requirit dolorem et detestationem peccati cum proposito non peccandi de cetero. Atqui cum juxta idem concilium detur attritio quae voluntatem peccandi excludat, haec continet jam dolorem et detestationem peccati cum firma voluntate illud vitandi: ergo est dispositio sufficiens ad sacramentum (1).

---

(1) Hanc sententiam, sufficere attritionem solam, Tannerus, Conninck, etc., vocant *satis certam;* Viva *moraliter certam;* Suarez, Lessius etc. *absolute certam;* Lugo, Sporer *communem* et *certam;* Bonae spei et Ariaga dicunt; videri sibi esse *de fide;* Medina, Ledesma, Bellarminus, etc. eam vocant *doctrinam Sanctorum;* Canus *communem Ecclesiae sensum.*

944. *Dices:* Concilium, teste Pallavicini (1), verbum *sufficit*, quod erat in schemate, expunxit, illique substituit verbum *disponit:* ergo attritio non sufficit. — *Resp.* Noluit concilium hac de re definitionem edere, ut quibusdam theologis, qui contritionem perfectam exigebant, parceret. Ceterum verba in Decreto adoptata idem exprimunt ac illa expuncta, et quidem majori locutionis rectitudine: non enim proprie dicitur attritio *sufficere* ad constitutionem sacramenti, cujus *aliqua pars materialis* tantum est (2).

Inst. Concilium (sess. 6. cap. 6) inter actus poenitentis, quibus se disponit ad justificationem per baptismum acquirendam, enumerat quoque caritatem: « incipiunt diligere Deum tamquam omnis justitiae fontem » (Cf. verba n. 716); atqui non minor dispositio pro Poenitentia quam pro baptismo postulatur; est enim ea laboriosus baptismus (sess. 14. cap. 2): ergo. — *Resp. Dist.* Concilium recenset ibi generatim dispositiones sive in sacramento sive extra sacramentum necessarias ad justificationem, *conc.;* dispositiones tantum cum sacramento necessarias, *subdist.;* omnes *absolute necessarias*, *neg.*, quae communiter adesse solent, *conc.* Recensetur enim et actus timoris, qui certe non est necessarius (3).

ARTICULUS II.

De Confessione.

945. Altera sacramenti Poenitentiae pars est confessio, quae definitur: *accusatio suorum peccatorum soli confessario facta, ad remissionem eorum virtute absolutionis impetrandam.* Con-

(1) *Storia del Concilio di Trento* L. 13. c. 10.

(2) Ceterum legas quoque de hac quaestione animadversiones Palmieri *op. cit.* th. 30.

(3) Cum experientia compertum sit, si semel aut bis sacramentum poenitentiae irritum fuerit defectu integritatis vel alia causa, decies invalide conferri defectu sincerae contritionis, nemo non videt, quanta frequentia et industria sit hoc argumentum ab animarum curatore plebi christianae proponendum et clare explicandum, quantaque ex solida fidelium in hac re institutione et facilitas in confessionibus audiendis et fructus jure sit expectandus. Doctrina hoc articulo comprehensa commode ad instructionis usum ad haec tria puncta reduci potest: 1.° de necessitate contritionis; 2.° de eius natura; 3.° de modo practico eam excitandi.

fessio igitur non est historica narratio sive ad animum levandum, sive ad petendum consilium, sive ad quemlibet alium finem facta; sed est *accusatio*, quae fit ab ipso *reo* coram judice, hoc fine ut *sententia* aliqua feratur.

Confessionis necessitatem negant imprimis Novatores saec. XVI, quorum tamen nonnulli illius concedunt utilitatem et etiam factum, quod ea fuerit quondam in usu in Ecclesia. Contra illos statuimus:

946. Prop. 143. **Confessio sacramentalis jure divino praecepta est, seu fideles peccatores jure divino gravia sua post baptismum commissa peccata confiteri tenentur.**

De fide ex Trident. (sess. 14. can. 6): « Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secreto confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, a. s. » (Cf. etiam can. 8).

Demonstr. i. Ex testimoniis allatis (Jo. 20, 23; coll. Matth. 16, 19 et 18, 18) probavimus, Christum sacerdotes constituisse *judices* in causis peccatorum, cum *vera potestate absolvendi aut retinendi peccata*. Atqui judicium exerceri et sententia ferri non potest, incognita causa: ergo ut sacerdotes suo munere rite fungantur et decernant, utrum poenitentis peccata sint remittenda vel retinenda, necesse est causam distincte cognitam habeant, quam cognitionem, cum cordis arcana haud inspiciant sicut Christus, aliter sibi comparare non possunt, quam si ipse poenitens statum moralem suae conscientiae ipsis patefaciat (1).

(1) Huc referri possunt *figurae*, quibus confessio sacramentalis adumbrata fuit. Prima habetur (Gen. 3, 11, et 4, 9), ubi Deus primum ab Adamo et Eva, deinde a Cain confessionem peccati exegit. In his locis exigitur confessio, non solum cordis sed etiam oris, nec solum in genere, sed etiam in specie. Secunda figura habetur (Lev. 13, 2, et 14, 2), ubi iudicium de lepra solis committitur sacerdotibus, et cogebantur leprosi, se sacerdotibus sistere ac prodere, et iuxta eorum arbitrium vel extra castra manere, vel post curationem ad castra reverti; quam etiam legem Christus approbavit (Matth. 8, 4), cum leproso a se curato dixit: *Vade, ostende te sacerdoti*, etc. Tertia figura est confessio, quam Deus instituit in Testamento veteri, et cui adiungi voluit, loco cuiusdam satisfactionis, oblationem sacrificii, de qua (Num. 5, 7. et Lev. 5) testimonium habemus.

947. II. *a)* Ex innumeris fere ss. Patrum testimoniis de sacramentali confessione, pauca haec seligimus. Clemens. Rom. (1): « Quamdiu sumus in hoc mundo, de malis, quae in carne gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut a Domino salvemur, dum habemus tempus poenitentiae. Postquam enim ex mundo migraverimus, non possumus amplius ibi confiteri *(ἐξομολογήσασθαι)*, aut poenitentiam adhuc agere. » S. Irenaeus (2) mentionem facit quarumdam mulierum, quae ad Ecclesiam reversae, confessae sunt, se a quodam Marco, haeretico et praestigiatore, corruptas fuisse, et cupidine inflammatas valde illum dilexisse. Tertullianus (3): « Plerosque tamen hoc opus *(ἐξομολόγησιν)*, ut publicationem sui aut subfugere, aut de die in diem differre praesumo; pudoris magis memores, quam salutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis, contracta vexatione, medentium vitant conscientiam et ita cum erubescentia sua pereunt... An melius est, damnatum latere, quam palam absolvi? » S. Cyprianus (4): « Confiteantur, singuli.... delictum suum, dum adhuc, qui deliquit, in saeculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio et remissio, facta per sacerdotes, apud Dominum grata est. » Origenes (5): « Est.... dura et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum, et fiunt ei lacrymae suae panes die ac nocte, et cum non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam. » Et alibi (6): « .... sicut ii, qui habent intus inclusam escam indigestam, aut humoris vel phlegmatis stomacho graviter et moleste immanentis

---

Omnino quoque probabile est, Ecclesiasticum (4, 31) ad hoc praeceptum legale observandum exhortari, cum ait: *Non confundaris confiteri peccata tua.* Quarta figura est (Matth. 3, 6. et Marc. 1, 5) ubi legimus, plurimos accurrisse ad baptismum Joannis, *confitentes peccata sua.* Sicut enim baptismus Joannis figura fuit Baptismi Christi, ita quoque et confessio, quae Joanni fiebat, figura fuit confessionis, quae Christi ministris facienda erat.

Sunt et alia quaedam testimonia ex Apostolorum scriptis, quae non per figuram, sed proprie, utpote instituto iam Sacramento, confessionem indicare videntur. Eiusmodi sunt: *a)* illud (I. Jo. 1, 9): *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et iustus, ut remittat nobis peccata nostra.... b)* (Jacobi 5, 16): *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.... c)* (Act. 19, 18): *Multi credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos....*

(1) Epist. *2 ad Corinth.* — (2) *Haer. l. 1. c. 13. n. 7.* — (3) *De Poenit.* c. 10. — (4) *De lapsis* c. 29. al. 24. — (5) Hom. *2. n. 4 in Levit.* — (6) Hom. *2 in Palm. 37. n. 6.*

abundantiam, si vomuerint, relevantur: ita etiam hi, qui peccaverunt, siquidem occultant et retinent intra se peccatum intrinsecus, urgentur et propemodum suffocantur a phlegmate vel humore peccati; si autem ipse sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et confitetur, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere,... ut ita,... si quid consilii dederit, facias et sequaris; si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione, et satis perito illius medici consilio procurandum est » S. Basilius (1) « Servanda est ratio eadem in peccatorum confessione, quae in detegendis corporis morbis adhibetur. Quemadmodum igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines, sed iis, qui horum curandorum periti sunt, ita fieri quoque debet peccatorum confessio coram iis, qui curare haec possunt. » Qui autem hi sint, ibid. (2) indicat: « Peccata iis confiteri necesse est, quibus misteriorum Dei concredita est dispensatio. » S. Ephraem (3): « Poenitentia (in nova lege) non haedum poscit, sed confessionem; non agnum pro sacrificio postulat, sed peccatori dicit: Confitere iuxta scientiam et conscientiam tuam peccata tua. » Ambrosius (4) « Si vis iustificari, fatere delictum tuum, solvit enim criminum nexus verecunda confessio peccatorum. Aiunt, se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum est potestas peccatorum: sed nulli maiorem iniuriam inferunt, quam ei cuius mandata rescindere volunt; nam Dominus dicit: *Quorum remiseritis*, etc. Deus relaxandi potestatem sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit. » S. Chrysostomus *Orat. de Samar.* (5): « Imitemur et nos hanc mulierem, et ob propria peccata non erubescamus. Qui enim homini peccata detegere erubescit, Deo vero cernente committere non erubescit, neque confiteri vult et poenitentiam agere, in die illo non coram uno vel duobus, sed universo orbe terrarum spe-

---

(1) *Reg. brev. Resp. ad inter.* 229. — (2) *Resp. ad inter.* 288. — (3) Serm. *de poen.* (4) *L. 2, de poen.* c. 6. — (5) *Hom. 34, in Jo.* n. 3.

ctante traducetur. » S. Hieronymus (1): « Episcopus et presbyter.... pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus. » S. Augustinus (2): « Nemo sibi dicat, (poenitentiam) occulte ago, apud Deum ago, novit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quae solveritis in terra, soluta erunt in coelo? Ergo sine causa sunt claves datae Ecclesiae Dei? frustramus Evangelium, frustramus verba Christi? promittimus vobis, quod ille negat? nonne vos decipimus? » Idem (3) monet confessionem mature faciendam esse, « quia, si ad ultimum vitae steterit, nescit, si ipsam poenitentiam accipiat, ac Deo et sacerdoti peccata sua confiteri poterit. »

Ex his aliisque Patrum testimoniis colligitur: 1.° institutum confessionis sacerdoti faciendae, semper in Ecclesia viguisse; 2.° confessionem quoque necessariam habitam fuisse ad veniam mortalium peccatorum consequendam; 3.° ejus objectum non publica et cum scandalo juncta crimina tantum fuisse, sed et peccata mere interna et privatissima; 4.° secretam confessionem publicae, quae magis ad disciplinam variabilem pertinebat, fundamento fuisse, et eam praeivisse, non autem, uti Novatores affirmant, vice versa secretam ex publica originem ducere.

b) Argumento praescriptionis. Quo tempore Protestantes institutionem confessionis sacramentalis impugnare coeperunt, omnes Ecclesiae in tranquilla hujus dogmatis possessione et praxi erant. Imo ex Graecorum et Orientis sectarum inde a saec. V a Romana Ecclesia divulsarum in hanc fidem consensione constat, saec. jam IV ante harum scil. sectarum ab Ecclesia separationem hoc dogma in Ecclesia matrice fuisse creditum. Unde ita argumentari licet: vel illa omnium Ecclesiarum fides a Christo et Apostolis manavit, vel habuit aliquod initium post Apostolos et constitutis jam per orbem Ecclesiis; atqui hoc secundum asseri non potest: ergo ab Apostolis et a Christo dimanavit.

Prob. minor: a) Omnis innovationis humanae in Ecclesia saltem alicujus momenti scimus parentes, patriam, annum natalem etc. Atqui hujus innovationis nec auctor, nec patria, nec annus natalis assignari potest, licet sit res practica, quotidiana, gra-

(1) *Com. in Matth.* c. 10. — (2) *Serm. 332. c. 3. n. 3.* — (3) *Serm. 393.*

vissima. Quod enim de conc. Later. IV et Innocentio III garriunt, ridiculum commentum est, cum ibi *necessitate confessionis supposita,* tamquam ab omnibus admissa, tempus tantum fuerit determinatum, quo saltem ei sicuti et communionis praecepto sit satisfaciendum, unde non magis tunc confessio instituta fuit, quam Eucharistia. Quod insuper refutatur vel ex solo Graecorum cum Latinis in hanc rem consensu. — *β)* Mutatio tanti momenti in Ecclesia sine gravissimis dissidiis fieri non potuisset, imprimis, cum haec res non in veritatibus abstractis, et a communi hominum sensu remotis posita sit, sed in re ad praxim et omnium usum pertinente. Quis, quaeso, omnibus Ecclesiis persuadere potuisset, confessionem jure divino praeceptam, et in Ecclesia constanti usu fuisse servatam, cum id nequaquam ita fuisse, omnibus notum fuisset? Quis sibi persuadeat, non clericos tantum, sed totam plebem christianam novum et gravissimum jugum subiisse nemine reclamante? Dogma novum et insolitum ut divinum suscepisse, quin aliquod dissentionis occurrat vestigium? Cum itaque hujus dogmatis nullum post Apostolos reperiatur exordium illudque universa teneat Ecclesia, merito a Christo et Apostolis traditum fuisse creditur. Nam sicut error sola novitate sua convincitur, ita omnis catholica veritas stat hoc solo fundamento inconcussa, quod fuerit semper et ubique et ab omnibus credita.

948. III. Congruentiae argumenta ipsa ratio afferre valet. Confessio sacramentalis enim consentanea est *a) Deo,* speciatim *justitiae divinae*; omne enim peccatum includit quandam inobedientiam et superbiam: superbiam autem sanat confessionis humilitas, inobedientiam reparat prompta subjectio sub sacerdotis judicio; *b) naturae humanae;* sicut enim natura organica humores pravos, venenum, cibum indigestum ejicere nititur, et hac ejectione relevatur, ita confessione peccatum ex animi latebris emittitur, et homo per hanc conscientiae relevationem, ut experientia ipsa testatur, non exiguum accipit solatium; *c) ipsi peccatori christiano,* qui eius necessitate excitatur e somno peccati; obligatur ad scrutandam conscientiam et examinandum statum animae suae, quo procuret salutem suam, adhibeat salutis media et resipiscat a peccatis suis; *d) missioni et fini Ecclesiae,* cuius est docere non solum integras nationes, sed et singulos promovere in via salutis et perfectionis. Eo vero melius aliquis discipulum

poterit instituere, quo melius et penitius eum cognoverit. Accuratam autem animae cognitionem acquirit sacerdos sincera peccatoris confessione; ideoque de singulis pro rerum adiunctis pastor animarum oves sibi commissas oportune instruere licebit; *e) ipsi denique societati humanae*, cujus bonum admodum promovere potest prudens confessarius componendo lites et dissidia, reconciliando inimicos, procurando bonorum ablatorum restitutionem, impediendo scandala etc. (1).

949. *Obi 1.* Patres saepe docent, *soli* Deo confitendum esse. — *Resp.* Ita loquuntur, quia sacerdos vicarius Dei est. Sic in vetusto Euchologio graeco (2) dicit sacerdos ad poenitentem: « Frater, ne verearis; non enim mihi sed Deo, coram quo stas, peccata tua enuncias. » Aliquando loquuntur de peccatis, quae non sunt materia necessaria confessionis; vel de confessione, qua coram Deo peccata nostra recognoscimus et lugemus, ut nos praeparemus ad confessionem sacramentalem.

Obi 2. Confessio abrogata est a Nectario Patriarcha Constnp., ut referunt Socrates et Sozomenus; ergo est de jure ecclesiastico. — *Resp.* Abrogatum est a Nectario officium poenitentiarii et poenitentia publica in sua ecclesia, non vero ipsa confessio sacramentalis. Hoc luculentissime confirmatur eo, quod Nectarii successor, s. Chrysostomus, de confessione secreta ejusque officio publice verba fecerit, nec non ad illam tamquam necessariam expiationis conditionem, populum excitaverit (3).

ARTICULUS III.

De satisfactione.

950. In re praesenti *satisfactionis* nomine significatur, poenae alicujus voluntaria perpessio ad compensandam iniuriam Deo per peccatum illatam, et ad redimendam poenam temporalem post remissum peccatum reliquam (4). Haec autem vel ab ipso

---

(1) Ita Hurter n. 540. — (2) Ap. Martene *de antiquis. Eccl. ritibus p. 2. l. 1. c. 6. a. 7. ord. 20.* — (3) Cf. Frank, *die Bussdisciplin* l. 2. c. 3. p. 142.

(4) Distinguitur a *satispassione,* qua *ipsa poena,* sine ulla commutatione atque imminutione, persolvitur usque ad novissimum quadrantem, ut accidit in Purgatorio. Haec potest dici satisfactio *in* poena.

poenitente sponte suscipitur estque actus virtutis poenitentiae, et dicitur *extra sacramentalis*, vel a confessario iniungitur, et dicitur *sacramentalis* et pertinet ad sacramenti integritatem (1). De hac agentes fundamenti instar imprimis statuimus:

951. Prop. 144. **Non tota simul poena cum culpa semper remittitur a Deo; sed plerumque poena aeterna cum culpa sublata, poena temporalis remanet exsolvenda.**

De fide contra Protestantes ex Trident. (sess. 14. can. 12): « Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, a. s. »

Declar. In peccato duo distinguenda sunt: reatus *culpae*, et reatus *poenae*. Reatus culpae in peccato mortali est dignitas ad odium Dei, quae dat Deo jus odio habendi peccatorem. — Reatus poenae est dignitas ad poenam, quae dat Deo jus puniendi peccatorem supplicio aeterno et poenis temporalibus propter peccatum praeteritum. Unde duplex est satisfactio, altera quam Deus pro culpa exigit, et est contritio et confessio; altera pro poena, et illa est, qua solvitur reatus poenae.

Porro poena peccati duplex est, aeterna et temporalis; unde duplex quoque satisfactio, altera pro poena *aeterna*, altera pro poena *temporali*. De hac posteriori hic agitur; nam satisfactio pro poena aeterna eadem est quae pro culpa, siquidem per eandem poenitentiam simul remittitur culpa et poena aeterna.

Jam vero certum est, Deum posse totam poenam tum aeternam tum temporalem una cum culpa condonare, imo reipsa condonare semper in baptismo et martyrio (n. 829), et aliquando etiam in sacramento poenitentiae. Quare hic solum quaeritur, utrum Deus semper totam poenam etiam temporalem una cum culpa remittat.

952. Demonstr. Plurimis Scripturae exemplis: *protoparentum*, qui peccati peracta poenitentia, multis nihilominus aerum-

---

(1) *Quaeras*, quare Christus voluerit satisfactionem esse partem sacramenti? *Resp.* Quia ordinarie neque contritio est adeo perfecta, ut totum debitum poenae temporalis, quod praecise ratione iustificationis non aufertur, tollat; neque etiam ipsa absolutio totum, quod reliquum est, aufert; propterea Dominus huius sacramenti quasi materiam integrantem voluit esse *satisfactionem*, quae partim vi sua, partim virtute clavium, deleat quod reliquum est poenae temporalis.

nis per nongentos et amplius annos correpti sunt; *Israelitarum*, qui in vindictam peccati obmurmurationis jam remissi ad precem Moysis, in deserto perierunt et terra promissa exclusi sunt (Num. 14); *Moysis* et Aaron, qui ob diffidentiae peccatum, unicuique condonatum, ejusdem terrae tantopere expetitae ingressu prohibiti sunt (Ib. 20); *Davidis*, qui veniam peccati sui a Deo consecutus, in ejus tamen vindictam punitus est morte filii et variis ac gravibus calamitatibus (2. Reg. 12). Ergo poenae, quibus Deus justificatos afficit, non sunt tantum ad eorum emendationem et profectum, ut Lutherus voluit; ergo non semper tota poena cum culpa remittitur. — Augustinus: « Cogitur homo tollerare, etiam remissis peccatis; quamvis, ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim poena quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur poena » (1). — Accedit ratio convenientiae a Trident. (sess. 14. cap. 8) indicata, quod scil. peccata, quae a baptizatis committuntur, majoris sint malitiae, quam quae ante susceptum baptisma patrantur.

953. **Corollarium.** Quantum praecise, gratia justificationis percepta, remaneat poenarum, soli Deo notum est, cujus arbitrio haec res definitur. Certum tamen est, aliquid determinati esse, licet varium pro varietate, gravitate et multitudine peccatorum. Imo poena temporalis residua, non semper pro aequalibus peccatis aequalis est; sed major vel minor, juxta proportionem *contritionis*. Ideoque talis ac tanta potest esse contritio, ut omne poenae debitum exhauriat. Pari modo *virtute sacramenti Poenitentiae* aliquid poenae detrahitur; cum hoc sacramentum institutum sit ad remissionem culpae et poenae, non solum aeternae, sed etiam temporalis: utpote ad perfectam peccati abolitionem a Christo ordinatum.

954. Prop. 145. **Hae poenae temporales peccatis debitae in hac vita piis et laboriosis operibus redimi possunt.**

De fide ex Trident. (sess. 14. can. 13): « Si quis dixerit, pro peccatis, quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel

---

(1) *In Joann. tr. 124. n. 5.*

a sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam operibus; atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam; a. s. »

955. Demonstr. (Daniel 4, 24): *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum;* (Prov. 16, 6): *Misericordia et veritate redimitur iniquitas;* iisque confirmatur, quae in sacris literis legimus. Sic Israelitae toties ob defectionem suam a Deo castigati, easdem castigationes jejuniis, lacrymis et precibus averterunt: Ninivitae eisdem mediis praedictum post quadraginta dies urbis excidium effugerunt; Manasses rex poenitentia veniam a Domino impetravit etc. — Augustinus: « Impunitum non potest esse peccatum, impunitum esse non debet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum, puniatur a te, ne puniaris pro illo.... Te ergo habeat punitorem, ut tu Deum habeas defensorem » (1). Accedit perpetuus Ecclesiae usus opera poenitentibus satisfactoria imponendi. — Homo justus per bona sua opera meretur de condigno augmentum gratiae et gloriae: ergo a fortiori per eadem opera satisfacit de condigno pro poena temporali; nam haec longe minorem habet aestimabilitatem quam gratia sanctificans et beatitudo aeterna. Neque, ut Protestantes assiliunt, hac doctrina plenitudini detrahitur satisfactionis Christi; nam Christi satisfactio nobis non applicatur citra cooperationem nostram et alias conditiones servandas, inter quas est etiam satisfactio poenitentis, quae tamen non ita est nostra, « ut non sit per Christum Jesum in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos poenitentiae, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre » (Trident. cap. 8).

956. Scholion. Si ulterius de qualitate modo et efficacia hujus satisfactionis quaeras, tenendum est:

1.° Satisfactionem pro poena residua esse de *condigno.* Ratio est quia Trident. docet, hominem per pia et laboriosa opera satisfacere simpliciter pro poena temporali. Nam satisfacere de congruo non est satisfacere simpliciter, sed tantum secundum quid, sicut mereri de congruo non est mereri simpliciter et proprie. Unde Trident. (sess. 6. c. 8) negat simpliciter poeni-

---

(1) *Serm. 20. n. 2.*

tentem mereri gratiam justificationis per actus fedei, spei et contritionis etiam perfectae, quamvis non neget illam mereri de congruo per contritionem perfectam, ut reipsa mereri sentiunt theologi post s. Augustinum. Ergo ex concilio mereri simpliciter et sine addito, est mereri de condigno: ergo etiam satisfacere simpliciter, est satisfacere de condigno (Cf. etiam prop. 77. Baji).

2.° Ad hanc condignitatem omnes requiri conditiones quas ad meritum de condigno necessarias recensuimus (n. 738 sq.), et insuper ut opus sit aliquo modo *poenale,* quia satisfactio est actus *justitiae vindicativae.*

3.° Quamquam omne opus bonum sit aliquo modo poenale, opera tamen satisfactoria ad tria quasi genera reducuntur: *orationem, ieiunium* et *eleemosynam.* Et sane, Deo facimus satis quando in honorem illius, ex iis bonis, in quibus nimium nobis indulsimus, aliquid cum dolore subtrahimus: atqui tria sunt bona, scilicet animae, corporis, et fortunae, nec aliter in Deum peccatur, quam inordinato illorum amore seu cupiditate, juxta illud (1. Joan. 2, 16): *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitae:* ergo non potest aliter Deo satisfieri, quam aliqua illorum bonorum detractione et circumcisione, quod non exequimur sine labore et dolore.

Porro oratio, in qua intelligitur quidquid ad cultum Dei pertinet, superbiam deprimit, elatam mentem Deo subiicit, in ea quippe confitemur Deum esse omnium bonorum auctorem, nos vero peccatores, imbecilles, et ad nullum bonum sine ejus auxilio idoneos. Jejunium, et aliae corporis afflictationes concupiscentiam carnis expurgant, nec sine doloris sensu multa corporis commoda subtrahunt. Eleemosyna concupiscentiam oculorum, seu avaritiam comprimit, et in gratiam pauperum solitam impensam circumcidit, cogitque nos parcius vivere non sine aliquo incommodo.

957. Prop. 146. **Possunt et per se debent ministri Poenitentiae convenientes satisfactiones poenitentibus imponere, hique illas tenentur acceptare et implere.**

Demonstr. i. p. Est *de fide* ex Tridentino (sess. 14. cap. 8): « Debent sacerdotes, quantum spiritus et prudentia suggesserit,

pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere. » et (can. 15): « Si quis dixerit claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat; a. s. »

Colligitur *a)* Ex verbis institutionis (Jo. 20) quibus sacerdotibus non solum potestas est collata remittendi peccata sed eadem etiam retinendi; retinent autem quoad reatum poenae temporalis, cum poenitentibus mulctam imponunt; *b)* ex traditione theoretica seu ex Patribus, qui cum Leone M. docent: « Christus Iesus hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent » (1); *c)* ex traditione practica, quae in constanti et universali Ecclesiae usu opera satisfactoria poenitentibus imponendi manifestatur; *d)* ex rationibus, quas breviter stringunt Patres Tridentini (cap. 8); et sunt hujusmodi: *α)* major est ingratitudo et malitia in relapsis post baptismum; *β)* misericordia ita est utendum, ut, quoad fieri potest, etiam justitiae satisfiat; *γ)* baptismus est regeneratio, quae citra magnum laborem nascituris accidit: e contra, poenitentia est medicina, quae per aegroti actiones, incisiones, sudores, aliasque molestas exercitationes, peragitur: *δ)* satisfactio est remedium contra relapsum; *ε)* decet ut peccator aliquid pro suis peccatis faciat et cum Christo pro iis compatiatur.

Imo non solum potest id sed per se tenetur. Nam sacerdos institutus est minister sacramenti, et judex ac medicus poenitentis. Ergo tenetur ut minister hujus sacramenti ipsum convenienter integrum efficere, ut judex, divinam iniuriam vindicare et servare aequitatem in poenis iniungendis; et ut medicus, poenitentis vulnera curare, morborum causas tollere, et praescribere remedia morbis proportionata.

958. Demonstr. ii. p. Est *certa*, deduciturque ex Later. IV (cap. *omnis utriusque* etc.): « Omnia sua solus peccata confiteatur fideliter.... et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, » et ex Trident. docente concessas esse claves

(1) Epist. 108 *ad Theodor.* c. 2.

« etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam atque castigationem, » quae potestas inanis foret, si pro nutu satisfactionem poenitens abnuere posset; ex obligatione sacerdotibus inhaerente satisfactiones iniungendi, cui correlativum est debitum obediendi; ex obligatione poenitentis pro viribus integrum sacramenti effectum procurandi.

959. **Corollarium.** Satisfactio eo ipso quod est pars sacramenti, effectum suum i. e. remissionem poenae temporalis ex opere operato, ac proinde, praeter remissionem poenae operi operanti respondentem, aliam etiam per applicationem satisfactionum Christi, quae virtute clavium fit, utramque vero proportionatam gradui operis satisfactorii et satisfacienti dispositioni, producit.

960. Prop. 147. **Necessarium non est, ut satisfactio opere praestita absolutionem sacramentalem antecedat.**

Est *certa* ex damnata Petri de Osma a Sixto IV prop. 5.: « Poenitentes non sunt absolvendi, nisi peracta prius poenitentia eis iniuncta, » et ex aliis Jansenistarum (Arnaldi, Quesnelli, Pistoriensium) damnatis propositionibus.

Demonstr. Ex praxi Ecclesiae, iam per plura saecula vigente, dandi absolutionem ante expletam satisfactionem; imo vel ex praxi antiquissimae Ecclesiae, juxta quam pluribus saltem in casibus ante exhibitam satisfactionem data fuit absolutio, ut moribundis, poenitentibus imminente nova persecutione, vel si quod specimen eximiae virtutis edidissent, vel si ex dilata absolutione merito timeretur schisma (1); ex ipsa sacramenti natura pro

(1) Poenitentiae publicae solemnis quatuor distinguebatur *stationes*, nempe *fletus*, *auditionis*, *substrationis* et *consistentiae*. *Fletus* erat statio eorum, qui ab ingressu ecclesiae arcebantur, qui, sacco induti, et cinere conspersi, extra portam ecclesiae genibus provoluti, fideles templum ingredientes orabant, ut apud Deum et Ecclesiam pro se intercederent. *Auditio* erat statio eorum, qui intra portas ecclesiae admittebantur ad audiendas ss. Litteras et conciones, quibus peractis exire tenebantur cum paganis ante mysteriorum celebrationem. *Substratio* erat statio eorum, qui in narthece, i. e., in occidentali templi parte, quotidie, in Vesperis, Matutino, Missaque post exitum Catechumenorum genuflexi precabantur. postea, inclinati, manuum impositionem vel potius extensionem (absque contactu) celebrantis recipiebant; deinde et ipsi exire jubebantur; praeterea etiam multis poenis ac laboribus onerabantur et castigabantur. *Consistentia* erat statio eorum, qui cum populo fideli ad finem usque Sacrificii persistere quidem, at non ss. Eucharistiam percipere poterant.

cujus essentia est indifferens, utrum absolutionem praecedat vel sequatur satisfactio (alia a contritione et confessione); ex ipsa ratione theologica. Et re quidem vera vel est ante remissionem culpae integra exhibenda satisfactio in vindictam criminum, vel solum partialis. Si primum contendis, dicis aliquid quoad praxim impossibile: quis enim novit quantum debeat Deo? si alterum dicis: cum concedas aliquam satisfactionem exhiberi posse post absolutionem, eo ipso concedis non esse ex natura rei ut satisfacto praecedat absolutionem. Aliquam tamen requiri dicis et huius rei alia nequit esse ratio nisi ut aliqua compensatio Deo offenso exhibeatur; verum haec aliqua compensatio sufficienter exhibetur per contritionem et confessionem, quibus et vera conversio eiusdemque probatio continetur.

CAPUT III.

De Poenitentiae sacramento.

961. Prop. 148. **Ritus, qui contritione, confessione, satisfactione peccatoris simulque sacerdotis absolutione continetur, verum est novae legis sacramentum a baptismo distinctum, quod dicitur sacramentum Poenitentiae.**

De fide ex Trident. (sess. 14. can. 1): « Si quis dixerit, in catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo D. N. institutum; a. s. »

Demonstr. Est corollarium omnium quae hucusque demonstravimus. Et sane, ad sacramentum requiritur: signum sensibile, promissio gratiae signo adnexa, institutio divina. Atqui haec tria

---

Sunt theologi, qui contendant etiam poenitentibus, qui propter gravia peccata dictas poenitentiae stationes percurrere deberent, non demum in finem vel prope finem diuturnae poenitentiae (nempe post absolutam tertiam stationem *substrationis)*, sed statim post confessionem peccatorum datam fuisse absolutionem sacramentalem, illamque, quae in fine dabatur, fuisse tantum *caeremonialem*, eo vel magis quod dabatur ab episcopo et saepe pluribus simul. Cf. Palmieri *op. cit. appendix* §. 2.

in proposito ritu continentur. Et primo quidem symbolum externum, quod consistit in confessione et absolutione, quam Christus instituit, cum dedit Apostolis potestatem remittendi peccata. Non enim poterant Apostoli remittere peccata, nisi per externam confessionem ea agnoscerent, nec alii poterant scire remitti sibi peccata ab Apostolis, nisi externo signo absolverentur. Secundo hic ritus adnexam habet gratiam, ut patet ex verbis: *Remittuntur eis;* nam peccata non remittuntur nisi per justificationis gratiam. Tertio adest institutio divina; potestatem enim illam judicialem eo modo exercendam instituit et tradidit ipse Christus: *Sicut misit me Pater* etc. Quod vero hoc sacramentum sit aliud distinctum a baptismo apparet ex eo, quod potestas clavium est judicialis proindeque exercenda tantum in subditos, qui esse nequeunt nisi jam baptizati, ex praxi apostolorum, qui peccatores non revocant ad baptismum, sed ad poenitentiam (Act. 8, 22; 1. Cor. 5, 3 sq.), ex traditione et ex natura sacramentorum, quae quoad omnia differunt, ut explicat Trident. (sess. 14. cap. 2). (n. 923).

962. Materia *remota,* seu potius removenda, scilicet materia *circa quam* sacramenti Poenitentiae sunt omnia peccata post baptismum commissa, sive mortalia, sive venialia; ita tamen, ut mortalia sint necessaria et praecipua materia, venialia vero sufficiens tantum.

Omnes quidem conveniunt, contritionem, confessionem et satisfactionem « ad integritatem sacramenti, ad plenam et perfectam remissionem ex Dei institutione requiri, et hac ratione Poenitentiae partes dici, » ut docet Trident. (sess. 14. cap. 3): sed controversia est, utrum materia *proxima* constituatur his actibus, an absolutione. Duplex est de hac re sententia. Scotus contendit actus poenitentis nempe contritionem, confessionem et satisfactionem non esse partes intrinsecas hujus sacramenti, sed dumtaxat dispositiones praerequisitas ad illius effectum, seu materiam *circa quam,* solaque absolutione contineri totam essentiam hujus sacramenti, ideoque materiam simul et formam illius: materiam quidem prout est ritus quidam sensibilis (1), formam

(1) Advertunt theologi modum loquendi Scoti non posse amplius recipi; ipse enim ait actus poenitentis *nullo modo* esse partes sacramenti; Tridentinum vero vocat eos partes sacramenti. Verum cum Scotus concedat necessitatem illorum actuum, negetque tantum esse partes *essentiales,* quaestio non est definita.

vero prout peccatorum remissionem significat. — S. Thomas aliique scholastici et plures recentiores sentiunt, actus poenitentis esse partes intrinsecas hujus sacramenti, seu esse *materiam ex qua* illud constituitur, non secus ac in baptismo ablutio aquae, formamque consistere in absolutione. Nam, ajunt, partes simpliciter dictae sacramenti et in quibus ex parte residet virtus sacramenti sunt quid intrinsecum sacramento. Atqui actus poenitentis a Tridentino dicuntur simpliciter partes sacramenti Poenitentiae et in ipsis vim sacramenti ex parte consistere satis indicat, dicendo vim illam praecipue sitam esse in forma absolutionis: ergo actus poenitentis sunt quid intrinsecum huic sacramento. Praeterea numquam actus disponentes ad aliorum sacramentorum receptionem dicuntur eorum partes vel *quasi materia:* ergo cum actus poenitentis tali nomine designentur, sunt plus quam dispositiones ad illud requisitae, seu sunt partes intrinsecae. Favet Catechismus Rom., qui advertit, non ideo hos actus *quasi materiam* a. s. synodo appellari, quia *verae* materiae rationem non habeant; sed quia ejus generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo et chrisma in confirmatione (1).

---

(1) *De poenit.* q. 13. Satisfactio ad materiam proximam pertinet, prout includitur in confessione et dolore et prout dicit voluntatem praestandi satisfactionem a sacerdote impositam, non autem prout est a poenitente actu praestita, nam hoc sensu ad sacramenti integritatem tantum pertinet.

Hanc sententiam ita explicat Card. Franzelin: « Dum enim Christus (Jo. 20, 23) instituit potestatem in ministris non simpliciter absolvendi peccata, sed *absolvendi* et *retinendi per modum iudicii*, eo ipso instituit tamquam partem huius sacramentalis iudicii submissionem poenitentem culparum, quantum a peccatore moraliter fieri potest, et satisfactionem sub potestate iudicum absolventium ac retinentium, adeo ut sine hac poenitenti submissione non solum absolutio effectum non consequatur, sed neque sit ad modum iudicii a Christo instituti, atque ideo neque sacramentum. Jam vero ex duplici hoc constitutivo iudicii sacramentalis poenitens submissio culparum sub potestate iudicis supponitur ut res determinanda et perficienda, verba absolutionis determinant et perficiunt signum efficax sacramentale; illa ergo se habet ad modum materiae, haec sunt forma sacramenti. Porro ubi sunt plures partes materiae, non necessario omnes sunt essentiales ad *esse* rei simpliciter, sed possunt aliquae esse solum *integrantes*. Ita in praesenti pars materialis integrans sacramenti est satisfactio, quae tamen utpote pars sacramentalis in sua morali unione cum forma, cum actu scilicet iudiciali retentionis et absolutionis, vim etiam habet sacramentalem ad satisfaciendum ex opere operato. » *De sacr. in genere* th. IV.

Cf. etiam Palmieri th. 14, in qua, utriusque opinionis argumentis expositis, ipse concludit utrique suam plus minus competere probabilitatem.

963. Forma sacramenti Poenitentiae consistit in *absolutione,* quae a ministro peccatori contrito, confesso et satisfacere volenti datur, quaeque verbis exprimitur: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus s. amen.* Constat ex Florent. *(Decret. pro Armenis)* et Trident. (cap. 3). Ratio est, ait s. Thomas, quia forma sacramenti novae legis significat id, quod efficit: hoc autem sacramentum efficit remissionem peccatorum, quae significatur a sacerdote cum dicit: *Ego te absolvo;* nam peccata vincula quaedam sunt (1). Quae significatio obtinet etiam, quando poenitens absolvitur a peccato jam remisso: nam vere quis potest rursus et rursus remittere debitum aliquod vel offensam sibi illatam. Ex quibus colligitur formam indicativam, qua utitur Ecclesia latina, non solum esse praeceptam, sed perfectam et convenientissimam. — In hac formula autem nonnisi verba *te absolvo* ad essentiam pertinent; reliqua ex Ecclesiae praecepto addenda sunt, quia effectum sacramenti clarius exprimunt, et etiam auctorem potestatis exercitae enuntiant.

964. Quaestio hic occurrit satis impedita, utrum, spectata tantum rei essentia et praecisione facta a praecepto positivo Ecclesiae, forma deprecativa ut v. g.: *Domine dimitte peccata hujus servi* (servae), sit sufficiens non secus ac indicativa. Joannes Morinus (2) asseruit et vindicare conatus est, per prima duodecim saecula non solum in graeca sed etiam in *latina* Ecclesia solam formam deprecativam adhibitam esse; ineunte saec. XII formae antiquae deprecatoriae additam fuisse formam indicativam, et hanc tandem saec. XIII ita praevaluisse apud Latinos, ut sola in usu fuerit. Consequenter Morinus et ipsum secuti theologi (3) tenent, formam absolutionis ex institutione Christi quidem esse actum judicialem, sed eam perinde exprimi posse verbis sive deprecatoriis, sive indicativis et absolutis, Christum vero modum hunc non determinasse,

---

(1) 3. q. 83. a. 3.

(2) *Comment. hist. de displ. in administ. poenit.* l. 8. c. 8. sq.

(3) Card. Gotti, Iueninus, Druvenius, Witasius, Tournely, Sardagna, Perrone et alii, inter quos Hurter, Franck; sed non omnes eodem modo. Ex his pauci putant, validam esse nostra etiam aetate absolutionem, sive *indicativis* verbis iuxta conc. Florentini et Tridentini nec non Ritualis Romani praescriptum confertur, sive *deprecativis;* ceteri autem, uti Franck aliique cum Tournely ac Gotti, tenent, formulam absolutionis verbis deprecatoriis conceptam nunc etiam valere apud Graecos, sed non amplius validam esse apud Latinos.

sed reliquisse Ecclesiae determinandum. — Alii valorem formae *deprecativae* non concedentes ipsum factum historicum illius usus consequenter negant (1), contenduntque formulis deprecativis a Morino allatis semper fuisse absolutionem indicativam adiunctam. Quod si in ritualibus Latinorum et Graecorum indicativa desit, hujus, dicunt, omissionis ratio est, quod prioribus Ecclesiae saeculis sacramentorum formae, sicut alia mysteria, juxta disciplinam arcani non scripto sed viva voce tradebantur, ne ethnicis aut impiis facile innotescerent, atque irridendi sacramenta occasionem darent. — In medio rem relinquentes, advertimus, formam deprecativam, si grammatice spectetur, et imperativam dici posse; ad utrumque enim valet idem modus, qui a grammaticis imperativus dicitur, ad imperandum et orandum; si vero ipsa intrinseca spectetur formae significatio et vis, praeter deprecationem simplicem, dari posse etiam deprecationem *potestativam*, qua utens sacerdos satis indicaret exercitium ministeriale propriae potestatis et effectum ejus, dum simul ipsa deprecatione expressius significaret, hanc potestatem et effectum esse beneficium Dei causae principis remissionis peccatorum (2).

965. Scholion I. Effectus Poenitentiae hi enumerantur. 1.° Remissio peccati, et poenae aeternae. 2.° Imminutio poenae temporalis pro majori, vel minori dispositione poenitentis. 3°. Redintegratio amicitiae cum Deo per peccatum violatae. 4.° Restitutio et reviviscentia, ut loquuntur, virtutum ac meritorum, quae per peccatum fuerant deperdita. 5.° Auxilia actualia, seu jus ad illa accipienda tempore opportuno, quibus peccator justificatus possit deinceps vitare peccata, et in bono proficere, ac perseverare.

966. Scholion II. De remissione peccatorum *venialium* haec tenenda sunt:

1. *Peccatum veniale non remittitur nisi habenti gratiam sanctificantem.* Ratio est, quia ante justificationem non datur in peccatore nisi contritio vel attritio. Prima si adest perfecta, homo jam est justificatus; si vero sola attritio, haec non sufficit ad remissionem peccati venialis, quia ad id, utpote a peccatore elicita,

---

(1) Billuart, Merlin, aliique, uti Binterim (cf. Frank), Egger etc.
(2) Cf. Palmieri th. XII; Sala n. 201; de Augustinis *de poenit. artic.* XI; Katschthaler n. 741.

non habet condignitatem, neque ipsi liberaliter haec remissio est a Deo promissa.

2. *Possunt remitti mortalia, quin remittantur venialia;* si enim contritio non se extendat ad venialia, aut se extendat ad quaedam non ad omnia, tunc etiamsi gratia infundatur, non remittentur illa peccata, de quibus non habetur contritio, nam:

3. *Nullum remittitur veniale sine aliqua poenitentia.* Peccatum utut levissimum semper Deo displicet, donec retractetur, retractatio autem peccati est poenitentia.

4. *Potest unum veniale remitti sine alio,* si v. g. de aliquo veniali ex motivo speciali doleas

5. *Media ad venialium remissionem* sunt: *a) contritio perfecta,* imo juxta s. Thomam pluresque alios, etiam sola attritio, contrarium propositum, vel actus aliarum virtutum, qui peccatis illis aliquo modo repugnent et virtualem eorum displicentiam includant. *b) Sacramenta,* et quidem de baptismo, Poenitentia et extrema unctione, quae ad remittenda peccata instituta sunt, res est evidens; de Eucharistia id expresse docet Trident. (sess. 13. cap. 2); de ceteris autem quatenus non infunditur gratia sine motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum. Non immediate ergo gratia excludit venialia, alioquin venialia cum statu gratiae consistere non possent; sed *mediate* scil. per pios hos motus, quos gratia contra unum alterumve peccatum veniale excitat. Exinde intelligitur, quomodo per sacramentum remittantur venialia, quae non remitterentur sine sacramento. *c) Sacramentalia,* ast verisimiliter non ex opere operato (n. 557).

APPENDIX.

De Indulgentiis.

967. Cum indulgentia quidam sit Deo pro extinctione debiti poenae satisfaciendi modus, qui clavium potestate continetur, opportune hic de iisdem agitur, ut tractatio pertinens ad remissionem peccatorum completa evadat.

968. Indulgentia definitur: *Remissio poenae temporalis debitae pro peccatis, quoad culpam remissis, a legitimo ministro extra*

sacramentum Poenitentiae facta per applicationem thesauri Ecclesiae. Dicitur:

1.° *Remissio,* sive per actum jurisdictionis et absolutionem pro vivis, sive per modum suffragii et solutionis pro defunctis.

2.° *Poenae temporalis,* nam poena aeterna non per indulgentias, sed una cum culpa per sacramentum Poenitentiae, in re vel in voto susceptum, remittitur.

3.° *Pro peccatis, quoad culpam remissis,* quia non remittitur poena, nisi culpa jam remissa fuerit. Hinc in eo, qui indulgentiam lucrari vult, requiritur status gratiae, saltem dum ultimum opus ad illam indulgentiam acquirendam praescriptum implet.

4.° *A legitimo ministro,* nempe a summo Pontifice, qui plenam, et ab episcopis, qui habent partialem potestatem dispensandi thesaurum Ecclesiae; quo momento indulgentiae distinguuntur a suffragiis, quae a privatis applicari possunt.

5.° *Extra sacramentum Poenitentiae facta,* ut indulgentia a remissione poenae, quae in ipso sacramento Poenitentiae fit, distinguatur, simulque indicetur, virtute sacramenti Poenitentiae, ejusque integra, videlicet post impletam satisfactionem sacramentalem a sacerdote impositam, non omnem poenam temporalem remitti.

6.° *Per applicationem thesauri Ecclesiae* denique, ut indicetur fons, undenam indulgentiae efficacitatem suam repetant; et ut distinguatur a remissione poenae, quae fit sive per sacrificium Missae, sive per alia media; et ut annotetur quoque, eum, qui indulgentias suscipit, non absolvi simpliciter loquendo a poenae debito, sed ei dari, unde istud debitum solvat.

969. Hujus definitionis veritas prodit ex quatuor punctis, quorum duo definita a conc. Trident. (sess. 25. Decret. de indulg.), duo veritates sunt fidei proximae. Priora sunt: « Ecclesiam revera habere potestatem indulgentias concedendi easque utiles esse et in Ecclesia retinendas; » posteriora: « thesaurum extare in Ecclesia meritorum, unde sumuntur, adeoque eas coram Deo revera valere. » Haec breviter demonstrabimus.

970. Prop. 149. **Ecclesia habet potestatem, divinitus acceptam, indulgentias concedendi, earumque usus est populo christiano maxime salutaris.**

De fide ex Trident. (l. c.) contra Montanistas, Novatianos, Waldenses, Wicleffitas, Hussitas, Petrum de

Osma, praesertim Protestantes, qui, ut infensissimi earum hostes, saec. XVI se extulerunt.

DEMONSTR. I. P. I. *a)* Ex testimoniis allatis (n. 918) constat, collatam fuisse Ecclesiae potestatem remittendi quodcumque peccatum. Peccatum autem triplicem reatum involvit, reatum culpae, reatum aeternae poenae, reatum poenae temporalis; ergo per Christi verba sine restrictione prolata, Ecclesiae triplicem hunc reatum tollendi potestas tradita fuit. Sed per sacramentum poenitentiae tollit quidem Ecclesia reatum culpae et poenae aeternae, non autem semper integrum poenae temporalis reatum. Ne igitur contra amplissimam Christi concessionem potestas Ecclesiae restringatur, admittendum est, ipsam extra sacramentum poenitentiae reatum poenae temporalis remittere posse. — *b)* In verbis Christi tam late patet vox *solvendi*, quam late patet vox *ligandi;* sed vox ligandi sese extendit etiam ad poenas temporales satisfactorias iniungendas; ergo et potestas solvendi ad harum poenarum remissionem sese extendere debet. — *c)* Confirmatur (2. Cor. 2, 6 sq. coll. 1. Cor. 5, 3 sq), ex quibus colligitur, Paulum relaxasse seu donasse peccatori incestuoso poenitenti partem poenae temporalis, quam divinae debebat justitiae. Nam primo illam relaxavit in *persona Christi,* ut minister Christi pro Christo legatione fungens, ac proinde potestate praeditus, cujus sententia rata haberetur a Deo; et secundo illam relaxavit, quam ipsemet imposuit; imposuit autem in nomine Christi, quam peccator ille luere debebat, ut peccati remissionem a Deo impetraret. Veram ergo indulgentiam concessit.

971. II. Ecclesia hanc potestatem numquam non exercuit. Primis Ecclesiae saeculis hoc elucet praesertim ex his duobus: *a)* ex jure, quod plura concilia episcopis adscribunt, relaxandi peccatoribus partem aliquam poenitentiae, quo jure utentes ob *magnum fervorem* satisfactionis partem remittebant; *b)* ex praxi relaxandi poenitentiam in peccatorum satisfactionem exsolvendam intuitu *intercessionis martyrum,* seu libellorum, quos a martyribus peccatores poenitentes impetrabant. Cyprianus: « Occurendum puto fratribus nostris moribundis, ut qui libellos a martyribus acceperunt, et praerogativa eorum *apud Deum juvari possunt....* ut manu eis in poenitentiam imposita veniant *ad Dominum cum pace,* quam dari martyres litteris ad nos fac-

tis desideraverunt » (1). Unde Tertullianus jam Montanista in eam praxim invehit: « Sufficiat martyri propria delicta purgasse... Quis alienam mortem sua solvit nisi Filius Dei?» (2). Quae consuetudo jam sub « antecessoribus » Cypriani (cf. *ep.* 10) viguit, nec tantum in Ecclesiis Africanis sed etiam in Romana, ut Tertullianus exprobat Zephyrino Pontifici. — Saeculis sequentibus summi Pontifices indulgentias concedebant; sic saec. VI Gregorius M. stationes ad sanctorum Basilicas pro indulgentiarum consecutione instituit (3).

972. Demonstr. ii. p. *De fide* ex conc. Trident. (l. c.) Patet ex earum effectu, qui in poenae temporalis remissione consistit, quae summi boni consecutionem retardaret; ex innumeris bonis, quae earum usus nobis adfert, nam commonent fideles quale olim fuerit Ecclesiae de peccatis judicium; in memoriam revocant fervorem et poenitentiae studium majorum nostrorum, vim patefaciunt communionis sanctorum; excitant fideles ad fidem, spem, caritatem, aliaque pietatis opera; ut experientia, praesertim occasione Jubilaei, manifestum est.

973. Prop. 150. **Indulgentiae liberant fideles a poenae reatu non solum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo.**

Fidei proxima ex prop. 19 Lutheri a Leone X confixa: « Indulgentiae his qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam, » et prop. 40 synodi Pistoriensis: « Propositio asserens, indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus poenitentiae, quae per canones statuta erat, quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae, non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam justitiam, *falsa, temeraria,* Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata. » Hunc errorem veteres nonnulli tenuerunt theologi, quos refellit s. Thomas, eumque plures alii pariter amplexi sunt saec. praesertim praeteriti.

Demonstr. Ex iisdem fluit argumentis, quibus prima pars

---

(1) *Epist. 12. n. 1. coll. epist. 13.* — (2) *De pud.* c. 22. — (3) Cf. Hurter n. 584 sq.; De Augustinis *Appendix ad poenit.*

prop. superioris probata est. *a*) Non solum potestas Ecclesiae est tradita ligandi et solvendi, sed et pari effectu, ita nempe ut Deus, sicut impositionem operum satisfactoriorum ratam habet, sic et relaxationem eorum, suo nomine ab Ecclesia dignis concessam, approbet et ratam habeat. Ratam autem non haberet, nisi et ipse residuas poenas temporales remitteret, quae non interveniente Ecclesiae indulgentia per ipsa opera satisfactoria diluendae et reddendae fuissent. Brevius: Ecclesiae potestas solvendi sese extendit ad reatum poenae temporalis; sed Christus et ipse solvit, quod solvit Ecclesia: ergo. — Paulus poenam Corinthio remisit in *persona Christi* h. e. vice et auctoritate Christi, quae proinde condonatio apud Deum valet et rata est. — *b*) Patres affirmant indulgentiis fideles *adiuvari apud Deum*, ipsa Tertulliani disputandi ratio supponit catholicos credidisse, indulgentiam validam esse in foro divino. — *c*) Accedit et ratio theologica. Si enim indulgentiis relaxarentur tantum poenitentiae canonicae, seu Ecclesiae tantum, quatenus est aliqua societas, debitae; « Ecclesia eiusmodi indulgentias faciens magis damnificaret, quam adiuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scil. purgatorii, absolvendo a poenitentiis iniunctis » (1).

Haec veritas inde maxime confirmatur, quod Ecclesia absolvens a poenis temporalibus *solutionem* Deo exhibet *ex thesauro* satisfactionum Christi et sanctorum, atque adeo satisfactionem supplet: satisfactio autem, ut ostendimus, simul ad remittendas poenas temporales Deo debitas valet. Sed de hac re statim.

974. Prop. 151. **Existit in Ecclesia thesaurus coalescens primario ex meritis Christi, secundario ex meritis sanctorum, per quorum applicationem fideles a poenis temporalibus post peccatorum remissionem adhuc debitis sive totaliter sive partialiter liberantur.**

Proxima fidei ex prop. 17 Lutheri: « Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum, » et 41 synodi Pistoriensis: « Item in eo, quod subditur, scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et clarae notioni

---

(1) S. Thomas *suppl.* q. 25. a. 1.

absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum Christi; quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum, *falsa, temeraria,* Christi et sanctorum meritis iniuriosa, dudum in art. 17. damnata. »

Declar. Omni operi inesse potest triplex ratio meriti, satisfactionis et impetrationis. Opus prout est meritorium refertur ad *praemium* consequendum et est personale et inalienabile, prout est satisfactorium ad extinguendum *debitum,* prout impetratorium ad obtinendum beneficium, et sub duplici hoc posteriori respectu potest in alterius gratiam applicari. Exemplo sit filius familias patri suo dilectissimo qui si vigilaverit, et ministraverit patri aegrotanti, triplicem hunc fructum retulit: 1.° patri charior factus est; en *meritum* inalienabile; 2.° fratri autem suo, qui patrem offendit, veniam, et 3.° poenae inflictae remissionem impetrare potest; en *impetratio* et *satisfactio.* Aliquando tamen, propter identitatem operis et propter analogiam inter utrumque, *meritum* et *satisfactio* adhibentur promiscue, sicut in prop., in qua meritum late sumitur pro satisfactione.

Tres partes habet prop. in quarum prima factum existentiae hujus thesauri, in altera ejus ad alios applicabilitas, in tertia subiectum dispensationis statuitur.

975. Demonstr. i. p. Quod satisfactionem Christi attinet, jam ex tractatu de redemptione constat, eam, si personam spectes, fuisse infinitam; si debitum, fuisse superabundans; si intentionem, eam oblatam fuisse pro salute generis humani; jugiterque fluere in Ecclesia, cui concredita est dispensatio mysteriorum Dei; si amorem justitiamque Patris, eam semper esse pretiosam vigereque in ejus conspectu. Ergo thesaurus inexhaustus satisfactionum Christi debet admitti. — Quoad sanctos, etsi verum quidem sit, nullum eorum superflua habuisse merita, eo quod tantum praemium quisque recipit, quantum promeruit, negari tamen non potest, nonnullos saltem satisfactiones habuisse superfluas, h. e. plus esse passos, quam necessarium fuit ad redimendam poenam temporalem pro peccatis suis dimissis residuam. Hoc certum est imprimis de B. M. Virgine, quae nullum hujusmodi habuit debitum, et tamen martyrum fuit regina, de Joanne Baptista, de aliis sanctis in omni genere virtutum eximiis, de innumeris

martyribus, cum quaelibet mors cruenta pro Christo tolerata sufficiat ad extinguendum maximum poenae temporalis debitum.

Advertendum est sanctorum superfluentes satisfactiones Christi satisfactionibus adiungi, non ac si hae sint insufficientes, sed potius ad instar cujusdam adminiculi, seu cumuli, ut inde honor et gloria meritis Christi proveniat, et ne otiosae maneant.

976. Demonstr. ii. p. Quoad Christi satisfactiones evidens est, cum quotidie hae per sacramenta et Missae sacrificium nobis applicentur.

Quoad vero sanctorum satisfactiones, earum communicabilitas deducitur *a)* ex ipsa rei natura; nam cum satisfactio solutio sit quaedam debiti, nil impedit, quominus unus pro altero solvat; *b)* ex communione sanctorum, per quam membra Ecclesiae ita sunt colligata, ut merita et satisfactiones unius ad ceteros quodammodo pertineant: *c)* ex libellis martyrum, ex quibus manifestum fit, episcopos propter martyrum intercessiones, inde non citra quandam passionum atque satisfactionum martyrum in poenitentes derivationem, relaxasse poenitentiam; denique *d)* ex iis Scripturae effatis, in quibus narratur, Deum propter intercessionem priorum hominum pepercisse peccatoribus.

977. Demonstr. iii. p. Hujus thesauri dispensationem fuisse Ecclesiae i. e. ejus superioribus concreditam eruitur *a)* ex (2. Cor. 5, 18): *Dedit* (Deus) *nobis mysterium reconciliationis;* quae verba utpote generalissima, ministerium reconciliationis exhibitum tum per praedicationem, tum per sacramenta, tum extra sacramentum per omnia alia media complectuntur; *b)* ex analogia rationis; in omni enim societate dispensatio aerarii publici non ad quemlibet privatum, sed ad principem pertinet ejusque ministros ad hoc constitutos; *c)* ex praxi Ecclesiae, in qua Pontifex et episcopi tantum hoc jus exercuerunt; *d)* ex constitutione Clementis VI (1).

---

(1) Juverit verba referre, quibus doctrina hac thesi comprehensa exhibetur. « Non enim corruptibilibus auro et argento, sed sui ipsius agni incontaminati et immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara crucis pro nobis innocens immolatus, non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose velut quoddam profluvium noscitur effudisse, ita ut a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas inveniretur in ipso (Is. 1, 6). Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis, aut superflua tantae effusionis mise-

978. **Corollarium 1.** Ex dictis sequitur, solum Papam et episcopos ordinariam habere potestatem concedendi indulgentias, et quidem Papam partiales et plenarias (1) omnibus fidelibus, etiam defunctis, episcopus autem, nisi specialem habeat commissionem, partiales nonnisi unius anni in dedicatione Ecclesiae, vel quadraginta dierum aliis temporibus, suis subditis dumtaxat, et quidem vivis tantum.

Praeter potestatem requiritur insuper in concedente rationabilis causa indulgentiae quantitati proportionata. Concedens enim non est dominus thesauri, sed dispensator, qui fidelis esse debet. Ad causam autem justam et proportionatam, duo, juxta Bellarminum requiruntur: 1.° finis aliquis pius, cujus executio magis placeat Deo, quam satisfactio poenalis, quae per poenitentiam relaxatur; 2.° opus aliquod, quo revera finis ille probabiliter obtineri possit.

979. **Corollarium 2.** Sequitur ex demonstratis, indulgentiam, respectu viventium, esse *absolutionem* simul et *solutionem*, scilicet ex potestate clavium judiciaria poena remittitur, praestita Deo ex thesauro satisfactione; respectu vero defunctorum (2), esse

---

ratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit, volens suis thesaurizare filiis pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum, coeli clavigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit fidelibus salubriter dispensandum; et pro piis, et rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae, tam generaliter, quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere poenitentibus et confessis misericorditer applicandum. Ad cuius quidem thesauri cumulum beatae Dei genitricis, omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita, adminiculum praestare noscuntur; de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut praedictum est) merita, quam pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. » In Extrav. *Unigenitus,* de poenit. et remiss. (a. 1343).

(1) Indulgentiae dividuntur in *partiales* et *plenarias*. Plenariae sunt illae, quibus totae poenae temporales peccatis debitae adhuc residuae delentur. Hae dicuntur in *forma iubilaei*, si praeterea confertur confessariis potestas iurisdictionis ad absolvendum a reservatis, ad vota simplicia commutanda etc. — Partiales v. g. *septem annorum, quadraginta dierum*, etc. sunt illae, quibus tanta pars remittitur temporalis poenae adhuc solvendae in hac vita vel in altera, quanta remitteretur ei, qui poenitentiam canonicam septem annorum, quadraginta dierum, etc. ageret

(2) Non vivis tantum, sed et defunctis prodesse indulgentias ut certum supponimus, colligiturque tum ex praxi Ecclesiae, tum ex eo, quod fideles defuncti ita

solutionem tantum, quae quoad thesaurum fit quidem ex potestate clavium dispensatoria, non tamen *absolutionem*, quia hi non sunt amplius clavibus Ecclesiae subiecti. Unde defunctis dicuntur applicari indulgentiae per *modum suffragii*, seu auxilii, quatenus scil. Ecclesia satisfactiones, ut ita dicam, deponit ad pedes Dei, supplicans, ut hujus oblatae solutionis intuitu, pro sua misericordia dignetur vel totam poenam defunctis debitam, vel ejus partem condonare (1). Prosunt autem indulgentiae animabus purgatorii non solum in *genere*, sed et in *specie* iis, quibus applicantur, quamvis dubium sit, utrum *infallibiliter* et semper, et secundum totum earum valorem. Affirmat Suarez contra multos, qui putant id pendere a libera Dei acceptatione: conciliantur, si dicas Ecclesiae oblationem semper Deo fore acceptam, nisi obstet aliqua gravissima causa divino judici nota.

980. Scholion. *Conditiones* ad lucrandas indulgentias requisitae sunt: 1.° *status gratiae*, saltem cum postremum ex iniunctis operibus perficitur, quia poenae temporalis remissio non fit, nisi prius remissa et sublata sit culpa cum poena aeterna. Unde ad plenariam indulgentiam consequendam, requiritur omnium omnino peccatorum etiam venialium detestatio, quia remissio poenae peccato veniali debitae supponit remissionem jam factam ejusdem peccati quoad culpam, quae non remittitur illi, qui eam nullo modo detestatur. 2.° *Intentio* saltem virtualis lucrandi indulgentias, imo juxta alios sufficit interpretativa, et si eam defunctis applicare velis, intentionem saltem virtualem hujus applicationis habeas necesse est. 3.° Operum iniunctorum *executio*.

---

coniuncti sunt cum fidelibus viventibus per vinculum fidei et caritatis ut unam Ecclesiam et unum corpus efficiant, tum ex eo quod defuncti iuvari possunt per preces et alia pia opera viventium, sicut membra unius corporis a se mutuo iuvantur.

(1) Differt a prece et intercessione, quia, praeter rationem impetrationis, oblationem satisfactionum complectitur, quam Deo ex thesauro a se administrato Ecclesia offert; differt ab opere satisfactorio, quod fidelis pro defunctis offerat, quia hic suum opus private et ex caritate dirigit ad defunctos, Ecclesia solvit auctoritate dispensatoria, quam habet in communem thesaurum: eo fere modo, quo princeps suis subditis qui in captivitatem inciderent, non quidem auctoritate subvenire valet, quia sunt in potestate alterius, utique vero de communitatis thesauro praeses pretium solvere potest; unde solutio et ratione solventis et ratione practica plus habet roboris.

TRACTATUS XI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

981. Poenitentiam excipit Extrema unctio, sacramentorum, quae perfectionem individui spectant, postremum, quo sanatio aegroti perficitur, peccatorum nempe reliquiae post poenitentiam susceptam adhuc residuae delentur. Unde Trident. (sess. 14 de Extr. unct.); « Visum est autem sanctae synodo, praecedenti doctrinae de Poenitentia adiungere ea, quae sequuntur de sacramento Extremae unctionis; quod non modo Poenitentiae, sed totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus. » A materia vocatur etiam *oleum sanctum ἅγιον ἔλαιον, sacra unctio;* a materia et forma simul a graecis *ἐυχέλαιον oratio cum oleo;* a subiecto *unctio infirmorum;* ab ordine, quem habet ad ceteras unctiones, vel a tempore, quo datur infirmis *unctio extrema,* ab effectu *animae et corporis medicina,* medicina sancta. Definitur: *Sacramentum novae legis, quo per unctionem olei benedicti et orationem praescriptam fidelis graviter aegrotans in anima et corpore alleviatur.* Hujus contra Protestantes veritatem 1.° vindicabimus dein 2.° causas intrinsecas effectusque breviter recensebimus.

ARTICULUS I.

De sacramenti Extremae unctionis existentia.

982. Prop. 152. **Extrema unctio est verum et proprie dictum novae legis sacramentum.**

De fide contra Novatores, qui omnium primi hoc negarunt, ex Trident. (sess. 14. de Extr. unct. can. 1): « Si quis dixerit,

Extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; a. s. »

Demonstr. i. (Jacob. 5, 14 sq.): *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* His verbis omnia ad sacramentum necessaria continentur, videlicet 1.° ritus externus, cujus materiam inunctio olei, formam oratio constituit; 2.° promissio gratiae, *alleviabit eum Dominus.... et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Quibus positis necessaria consecutione fluit 3.° institutio per Christum, eo, quod a nullo alio, quam a Christo vis effectrix gratiae divinae cum signo externo coniungi possit. Divinam hanc institutionem etiam innuunt verba: *In nomine Domini,* quibus exprimitur effectus illius ritus ex virtute Christi proficisci.

983. II. Argumentum traditionis ex continua, quae in Ecclesia invenitur, hujus sacramenti agnitione et praxi depromitur. Quae se prodit *a)* ex consensu Ecclesiae *latinae* et *graecae,* inter quas numquam de hoc articulo controversia mota; quod certe factum fuisset, si alterutra recenter introducti hujus ritus suspecta fuisset; imo ex consensu hac in re sectarum orientis saec. jam V ab Ecclesia divulsarum, qui jam per se hujus doctrinae apostolicitatem ostendit (n. 947). — *b)* Directe Patrum testimoniis. Missis Origene (1), Chrysostomo (2), qui hunc ritum commemorant, provoco ad Innocentium I, qui Decentio episcopo scuscitanti, utrum iis, qui nondum reconciliati, poenitentiam publicam extra fidelium communionem exercerent. Extrema unctio dari possit, respondet: « Non est dubium, (verba Jacobi) de fidelibus aegrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quod ab episcopo confectum non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo.... Nam poenitentibus istud infundi non potest, quia *genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus*

(1) Hom. *in Levit.* n. 4. — (2) *De sacerdot.* l. 3. n. 6.

putatur posse concedi? » (1); ad Caesarium Arel. scribentem: « Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus et sanguinem ille, qui aegrotat, accipiat, et inde corpusculum ungat, ut illud, quod scriptum est, in eo impleatur: *Infirmatur aliquis* etc. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, et corporis sanitatem recipere et peccatorum indulgentiam merebitur obtinere » (2). — *c)* Accedunt plura concilia, quae hunc commendant ritum, e. g. Cabillonense (813), Aquisgranense (836), Wormantiense (868); sacramentaria ut Gelasianum et Gregorianum, in quibus describitur ritus consecrandi feria V in coena Domini oleum infirmorum et ungendi infirmos cum precibus recitandis.

984. III. Ratio congruentiam ex Dei *benignitate* deducit, qui cum sacramenta ab ingressu vitae nostrae per totum eius decursum praeparaverit, nobis in ipso vitae exitu constitutis, ubi auxilio maxime indigemus, certe deesse non voluit. (Cf. Trid. l. c.)

985. *Dices:* S. Jacobus loquitur vel de naturali olei virtute ad sanandas infirmitates corporales, vel saltem de gratia curationum gratis data, quae frequens erat in Ecclesiae primordiis. — *Resp. Neg. antec.* Et sane 1.° si de *unctione medicinali* ageret, medicos, ad quos ipsa Scriptura aegrotum ablegat (Eccli. 38, 1 sq.; Jerem. 8, 22), non presbyteros accersi juberet Apostolus, quo nomine non senes in genere, sed praepositi Ecclesiae designantur, quod in nostro loco per appositionem *τῆς ἐκκλεσίας* praeclare confirmatur. Praeterea, neque oleum remedium est universale contra morbum qualemcumque, neque oratio medicamentum naturale, nec denique remissio peccatorum effectus curationis medicinalis. 2.° Si de *sanatione miraculosa* sermo esset, cur graviter aegrotantes tantum ungendos dicit, non etiam alios aliis morbis laborantes, cum illa gratia pro omnibus infirmitatibus daretur? cur presbyteros jubet introduci, cum certum sit, nec eos solos, nec omnes presbyteros gratiam curationum habuisse? cur materiam praescribit cum *oratione*, cum donum miraculorum non ita sit cuipuam ritui alligatum? cur effectum internum, remissionem peccatorum assignat? Demum signa dantur pro infidelibus, non pro fidelibus. Merito itaque Trident. hanc expositionem confixit.

(1) *Epist. 1 c. 7.* al. 25. c. 8. — (2) Serm. 265. n. 3 *in appen. serm. s. Aug.*

ARTICULUS II.

De Extremae unctionis causis et effectibus.

986. Ad pleniorem hujus sacramenti notitiam indicabimus ex quibus causis illud conficiatur, et quid in subiecto producat.

987. *A) Causae.*

1. *Materia remota* est oleum olivarum; ex verbis enim s. Jacobi: *Ungentes eum oleo,* Patres et concilia, speciatim Florentinum concludunt, oleum olivarum requiri; tale enim intelligitur, cum oleum simpliciter appellatur. Huc accedit Ecclesiae orientalis et occidentalis consensus, ipsaque congruentiae ratio; nam oleum sanat, lenit, recreat, lucet, robur membris conciliat.

De *benedictione* Trident. (cap. 1) ita docet: « Ex apostolica traditione per manus accepta... intellexit Ecclesia, materiam esse oleum ab episcopo benedictum. » Ex quibus verbis, atque ex aliis argumentis, deducunt theologi, probabilius de necessitate sacramenti requiri, ut oleum sit benedictum. — Circa necessitatem benedictionis ab episcopo faciendae, communius docent, episcopum esse benedictionis ministrum ordinarium; extraordinarie tamen sufficere benedictionem presbyteri, si expresse vel tacite id ei fuerit a summo Pontifice commissum. Constat enim, apud Graecos et Armenos aliosque orientales ex vetustissima praxi simplices presbyteros oleum infirmorum benedicere, quam praxim Romani Pontifices non improbarunt.

988. 2. *Materia proxima* est unctio corporis aegroti cum oleo benedicto, ita ut, licet secundum morem communem et secundum praeceptum saltem ecclesiasticum fiat in quinque sensibus, nihilominus unica etiam, in principaliori quadam corporis parte applicata, ad sacramenti essentiam sufficiat; quod proinde in casu necessitatis observatur. Constat ex Florent. *(Decret. pro Arm.)* et Trident. adeoque est omnino certa.

989. 3. *Forma* est precatio, quae fit a sacerdote, dum oleo benedicto ungit aegrotum; nimirum, apud Latinos: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum... auditum* etc. *deliquisti.* — Apud Graecos: *Pater sancte medice animarum et corporum, sana servum tuum hunc ab illa, quae ipsum detinet, corporis*

et animae infirmitate. Ex iisdem documentis. Quamvis *deprecativa* forma respondeat verbis s. Jacobi: *Et orent super eum,* non inde tamen videtur sufficiens oriri ratio negandi validitatem formae *indicativae,* quae sin minus grammatice, moraliter tamen et virtualiter preci aequivalere possit.

990. 4. *Ministri* hujus sacramenti soli sunt sacerdotes, ut ex verbis Jacobi eruitur (n. 982) et a Trident. definitum fuit (sess. 14. can. 4): « Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiae, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed aetate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremae unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; a. s. » Ex quo et illud consequitur, ad ejus validitatem unicum sufficere presbyterum, quamvis a presbyteris pluribus aut episcopis administrari possit, et adhuc soleat a Grecis.

991. 5. *Subiectum* est christianus adultus, qui periculoso morbo laborat. Eruitur ex verbis Jacobi *ασθενεῖν* et *κάμνειν,* quae de periculosis morbis in Scriptura usurpantur, e. g. (Jo. 4, 46. 47; 11, 2), et confirmatur declaratione Eugenii IV et Tridentini perpetuoque Ecclesiae usu.

992. *B) De effectu.*

1.° *Primarius* hujus sacramenti finis est gratiae sanctificantis augmentum cum auxiliis, quae fini ipsius sunt accomodata, et quae Apostolus his verbis complectitur: *Et alleviabit eum Dominus (ἐγερεῖ eriget),* aut suscitabit, ut legit Innocentius I. Alleviat autem Deus et confirmat infirmum, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, ut Trident. docet; animumque confirmando ad perferenda facilius morbi incommoda, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus. Unde et sacramentum *spei* dicitur, sicut Eucharistia *amoris,* baptismus, et confirmatio *fidei,* confessio *poenitentiae* sacramenta dicuntur.

2.° *Secundarius* effectus, sed proprius, est proxime disponere animam ad introitum gloriae. Haec praeparatio animae consistit in perfectiori animae a peccatis purgatione. Hinc non quidem primario, sed per se et non solum per accidens, hoc sacramentum *remittit peccata,* sive lethalia, si quae adhuc in infirmo manent, sive venialia, sive ipsas poenas temporales peccatis debitas, non tamen semper omnes. Colligitur ex verbis Jacobi: *Et si in peccatis sit, remittentur ei,* ex forma: « Indulgeat tibi Dominus quid-

quid deliquisti, » ex Trident. docente (cap. 2): « Unctio delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias, abstergit. »

Dixi: *a)* non *primario*, tum quia effectus primarius est alius quem indicavimus, tum quia effectus primarius est absolutus et non hypotheticus, tum demum quia Extrema unctio juxta communem sententiam est sacramentum vivorum. — *b)* Non tamen *mere per accidens*, ut aliquando sacramenta vivorum gratiam primam conferre possunt; nam illis non convenit ex propria institutione, sed tantum ex generali quadam ratione; de illis habemus probabilem opinionem, de hoc testimonium Jacobi et Tridentini. Atqui quod ex ipsa institutione et vi formae convenit, certe non est per accidens: ergo. — *c)* Remanet igitur, ut secundario quidem sed per se remittat peccata.

Hinc jam intelligitur non omnia peccata mortalia remittere Extremam unctionem, sed tantum in nonnullis casibus, cum scilicet quis mediis a Deo ad peccata lethalia dimittenda adiuvari non valet. Hoc vero locum habet, quando vel peccata remissa non fuerunt per sacramentum poenitentiae propter *occultum defectum ministri*; vel *post* absolutionem commissa sunt, sed memoria exciderunt, deposito tamen affectu ad illa; vel moribundus nec nullo modo confiteri, nec *actum* attritionis elicere potuit, qui ad poenitentiae sacramentum necessarius est, posita tamen habituali attritione. Imo etiam, si in receptione Extremae unctionis deesset attritio omnino, sed postea excitaretur; quia in hoc casu esset sacramentum validum sed informe quod postea reviviscit (n. 799). — Liquet quoad hujusmodi peccata per Extremam unctionem remissa remanere obligationem illa clavibus subiicendi.

3.° *Tertius* hujus sacramenti effectus *contingens* tamen est sanitas, ut colligitur ex verbis Jacobi: *salvabit infirmum*, et explicat Trident. (cap. 2): « Infirmus sublevatus... et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur. » Talis effectus cum sit secundarius, subordinatur primario, unde non sequitur semper sanatio corporalis.

993. Hinc patet hujus sacramenti utilitas. Attamen illud non est ad salutem absolute necessarium, sed tantum ad melius esse sin minus ex praecepto, certe ex caritate erga se ipsum. Verum Trident. (cap. 3 et can. 3) admonet, Extremam unctionem non posse a fidelibus sine peccato contemni.

TRACTATUS XII.

DE ORDINE.

994. Quinque sacramentis, quae ad hominem spectant ut est *in se*, succedunt duo postrema, quae hominem prouti refertur ad aliud i. e. *ad societatem*, perficiunt: *Ordo* et *matrimonium*. De Ordine, utpote nobiliore, quippe qui totius Ecclesiae veluti fulcrum et columna existit, gignitque admirabilem illam hierarchiam, qua totum corpus Ecclesiae sustentatur et regitur, primum est dicendum.

995. Ordo usurpatur 1.° *generatim* pro dispositione superiorum et inferiorum rerum, quae inter se ita aptatae sunt, ut una ad alteram referatur; 2.° *speciatim* pro certo hominum statu; ut ordo equestris, s. Benedicti, etc.; 3.° *specialius* relate ad statum ecclesiasticum, et quidem dupliciter; *a)* passive pro gradu seu statu clericorum ad certa officia ecclesiastica consecratorum; et sic sumptus, est quid permanens; *b)* active pro ritu sacro, quo clerici in illo statu constituuntur; et sic sumptus est aliqua actio transiens, rectiusque dicitur *Ordinatio*.

Porro cum plures sint ordines seu gradus in ecclesiastico ministerio, et nonnisi potioribus ratio conveniat sacramenti; ordinatio alia est *simplex ritus sacer*, alia *sacramentum;* illa est: *caeremonia sacra, qua stabiliter confertur potestas ad exercenda certa ministeria ecclesiastica;* haec est: *sacramentum N. L., quo spiritualis potestas confertur et gratia ad ecclesiastica munia rite obeunda* (1).

---

(1) Sunt et alia huius sacramenti nomina. Apud antiquos occurrunt voces: *Ἱερὰ τάξις; χειροτονία, χειροθεσία, manuum impositio, manuum extensio; ordo sacerdotalis; sacramentum antistitis; benedictio presbyterii*, etc.

Assumimus ut lemma ex tractatu de Ecclesia discrimen illud, quo alii sunt *clerici* alii laici, quo alii sunt *praepositi* alii subditi, revera existere et a Christo ipso descendere, proin *juris* esse *divini;* satis hic erit duobus capitibus expendere 1.° veritatem et gradus sacramenti Ordinis 2.° sacrae Ordinationis causas.

CAPUT I.

De sacramenti Ordinis veritate et gradibus.

996. Diximus eos, qui ad sacram hierarchiam pertinent, solemni ritu initiari et per eam ad sacra munia obeunda, secundum gradum hierarchiae in quo constituuntur, potestatem accipere. Jam ergo quaeritur: ritus hic sacer, qui Ordo sive Ordinatio nuncupatur, estne proprie N. L. sacramentum? Hanc primam de sacramento Ordinis quaestionem in sequenti articulo pertractabimus; in quo non adhuc *signate* statuemus *hanc* vel illam ordinationem pro collatione *hujus* vel *illius* Ordinis, ad hierarchiam ecclesiasticam pertinentis, esse sacramentum; sed solum adesse in Ecclesia *Ordinationem,* quae verum et proprii nominis est sacramentum. Deinde quot ordines in Ecclesia sint, videbimus, simulque utrum in qualibet ordinatione ad quemlibet eorum ordinem conferendum sacramentum, necne, conficiatur. Unde duo articuli: 1.° de veritate sacramenti Ordinis, 2.° de variis Ordinis gradibus.

ARTICULUS I.

De veritate sacramenti Ordinis.

997. Prop. 153. **Ritus, qui Ordo vel Ordinatio appellatur et quo sacri ministri, saltem potiores, constituuntur, est verum et proprium N. L. sacramentum.**

De fide contra Protestantes sacramentum Ordinis repudiantes, ex conc. Trident. (sess. 23. can. 3): « Si quis dixerit, Or-

dinem sive sacram Ordinationem, non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum; a. s. »

Demonstr. I. In iis Scripturae locis, ubi Ordinatio ministrorum Ecclesiae commemoratur, omnia ad sacramentum requisita reperiuntur. *a)* Ritus exterior, nempe manuum impositio, ut patet ex (Act. 6, 6), ubi cum constituerent Apostoli *diaconos*, dicitur: *Et orantes imposuerunt eis manus;* ex (Act. 14, 22), ubi de *presbyterorum* ordinatione legitur: *Cum* (Paulus et Barnabas) *constituissent (χειροτονήσαντες,* i. e. manuum impositione ordinassent) *illis* (fidelibus Antiochiae in Pisidia) *per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunationibus commendaverunt eos Domino;* denique ex (2. Tim. 1, 6). ubi Paulus Timotheum manuum impositione episcopum se constituisse testatur. Imo hunc ritum externum etiam in futuris ordinationibus adhibere jubet, scribens ad eundem (1. Tim. 5, 22): *Manus cito nemini imposueris.* — *b)* Gratia ritui adnexa: (1. Tim. 4, 14): *Noli negligere gratiam, quae in te est quae data est tibi per prophetiam* (1) *cum impositione manuum presbyterii;* (2. Tim. 1, 6): *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum*, cujus gratiae fructum in sequenti v. indicat: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis.* — Ex hac vero gratiae collatione consequens est et intelligitur *c)* divina institutio, quam apertis quoque verbis tradunt Apostoli, ut (Eph. 4, 11): *Et ipse* (Christus) *dedit* (constituit) *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores,* (Act. 20, 28): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.*

998. II. Patres Ordinem expresse vocant *sacramentum*, sicut ipsum baptismum, characteremque in illo sicut in hoc agnoscunt: « Ipsi (Donatistae), ait Augustinus, explicent, quomodo sacramentum baptizati non possit amitti et sacramentum ordinati

---

(1) Vox per *prophetiam*, coll. 1, 18, significat prophetiam, qua a Deo monitus est Paulus, ut Timotheum ordinaret; iuxta alios *formam* sacramenti seu verba, in ordinatione cum manuum impositione adhibita.

possit amitti... Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat; cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri sacramento iniuria facienda est » (1). Docent hoc ritu conferri *gratiam;* ut Innocentius I: « Nec dare Spiritus plenitudinem possunt (haeretici), quae maxime in ordinationibus operatur » (2); Gregorius Niss., qui scribit, Ordinationem « sacerdotem augustum et venerandum facere... qui invisibili quadam vi et gratia invisibilem animam in melius transformatam gerat » (3). Dicunt « quod dignatio coelestis gratiae gignat antistitem; » unde magna dantium et accipientium devotione curandum esse, « ne tantae benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum » (4). Ordinationis gratiam, et sacramenti excellentiam, ordinati dignitatem prae ceteris frequentius aureo celebrat eloquio Chrysostomus, praesertim in libris de *Sacerdotio.* — Idem confirmatur ex libris liturgicis tum latinae tum graecae Ecclesiae, tum omnium fere sectarum antiquitatis, in quibus diversorum Ordinum ritus exhibentur, et tum signum externum, materia et forma, quam gratia externa in singulis indicatur.

999. III. Nec desunt rationes congruentiae: si enim sacramentum est ritus, sive quo homines *aggregantur* Ecclesiae et *filii* Dei fiunt, sive quo Christi subditi promoventur in eius *milites;* quanto magis sacramentum erit ritus ille, quo in Ecclesia constituuntur *praesides* et *patres* filiorum Dei, itemque militum *duces,* Christi ministri et fidei doctores. Pariter si status *matrimonialis* propter adnexas difficultates et onera sacramento sanctificatur; a fortiori per sacramentum sanctificandus erit status *clericalis* et praesertim sacerdotalis, qui excellentior et difficilior est, quo quis se totum Ecclesiae in perpetuo devovet. Adde, sacerdotes ministros quoque *Eucharistiae* esse, quae omnium mysteriorum est maximum; ad cuius proinde ministerium decet, eos specialiori consecratione et gratia condigne praeparari et disponi.

---

(1) *L. 2. contra ep. Parmeniani* c. 13. — (2) Epis. 24. *ad Alex.* n. 4. — (3) Orat. *de Bapt.* — (4) Serm. *de anniv. assumpt. n. 1, et ep. 9 ad Diosc.*

ARTICULUS II.

De variis Ordinis gradibus.

1000. Existentia sacramenti Ordinis adserta, quaeritur iam de eius ambitu, scil. *quot* sint, et utrum omnibus hisce ritibus seu Ordinibus, an nonnullis tantum, et si nonnullis tantum, quibusdam ex ipsis ratio sacramenti competat; et quomodo unitas sacramenti Ordinis salva sit.

1001. *Praeter sacerdotium alii sunt ordines maiores et minores.* — *De fide* ex Trident. (sess. 23. can. 2): « Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur; a. s. » — Constat ex Scriptura, quae institutionem, officia et virtutes diaconorum commemorat, et ex traditione, quam in sequentibus exhibebimus.

1002. *Septem sunt in Ecclesia ordines, scil. sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, acolythorum, exorcistarum, lectorum et ostiariorum.* — Colligitur ex Trident. (cap. 2), quod quamquam hoc non definivit, clare tamen enuntiat his verbis: « Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacrae Litterae apertam mentionem faciunt; et quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiae initio sequentium Ordinum nomina atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad maiores Ordines a Patribus et sacris conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus. » In Catechismo Rom. (P. 2. c. 7. a. 12) legitur: « Docendum erit, hosce omnes Ordines septenario numero contineri, semperque ita a catholica Ecclesia traditum esse, quorum nomina haec sunt: ostiarius, lector, exorcista,

acolythus, subdiaconus, diaconus, sacerdos. » — Hos ordines iam saec. III recensent Pontifices Cornelius, Caius, et saec. V. Gelasius; conc. Carthaginense IV (a. 398), sacramentarium Gregorii M. etc., eosque commemorant priscae quoque inscriptiones sepulchrales (1). Septem quoque in antiqua Graecorum Ecclesia ordines occurrunt, uti constat ex Dionysio, Ignatio M. ex conc. Antiocheno (341), quod can. 10. praeter *presbyteros* et *diaconos* etiam *lectores hypodiaconos* et *exorcistas* commemorat; ex Laodiceno saec. IV (can. 24) et ex Trullano in quo insuper mentio fit *cantorum, exorcistarum* et *ostiariorum.* Posteriores tamen Graeci tres minores, acolythatum, exorcistatum et ostiariatum neglexisse videntur, nisi cum Arcudio dicas, praedictos Ordines in ipso Lectoratu inclusos simul conferri.

Rationem convenientiae exponit s. Thomas (2). Ordinum distinctio, inquit, est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam; quia potestas Ordinis aut est ad consecrationem Eucharistiae, aut ad aliquod ministerium circa ipsam. Ad consecrationem ordo *sacerdotum,* ad ministerium ceteri ordines pertinent. Horum autem alii respiciunt ipsam Eucharistiam, et sic sunt *diaconi* sacerdoti ipsi consecranti proxime servientes, *subdiaconi* materiam ipsius sacramenti disponentes in vasis sacris, *acolythi* materiam ipsam praesentantes in vasis non sacris. Alii ordines respiciunt ipsos suscipientes, et sic sunt *ostiarii, lectores, exorcistae,* ad quos respective pertinebat infideles ab ipsa visione divinorum arcere, cathecumenos ad divina instruere, et energumenos ab impedimento daemonis liberare.

Porro ex his in Ecclesia *latina* et iuxta *praesentem disciplinam,* tres sunt et dicuntur Ordines maiores et sacri, scilicet sacerdotium, diaconatus et subdiaconatus, quia illis initiati propinquiorem in corpus Christi habent potestatem et proprius sacrificio cooperantur, unde propter maiorem sanctificationem suam, ad continentiam et horas canonicas adstringuntur. Dixi in Ecclesia latina et iuxta praesentem disciplinam, quia in Ecclesia graeca subdiaconatus non habetur ut Ordo maior, et in ipsa latina nonnisi a saec. XII sub Innocentio III ut talis haberi coeptus est.

---

(1) Katschthaler n. 842 sq. — (2) *In IV. Dist. 24. q. 2. a. 1. coll. suppl.* q. 37. a. 2.

— Reliqui dicuntur minores seu non sacri, quia non sunt sacri *eadem ratione* qua maiores; alioquin et ipsi magnopere sacri seu sancti sunt: quinimo quaestio movetur, utrum sacramenti rationem participent.

1003. *Tres sunt ordines hierarchici divinitus instituti: episcopatus, presbyteratus et diaconatus.* — *De fide* ex Trident. (can. 6): « Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, praesbyteris et ministris; a. s. »

Hierarchia idem est ac sacer principatus, et in concreto est status ecclesiasticus praeditus sacra potestate. Duplex autem distinguitur potestas: *ordinis* et *iurisdictionis*. Potestas ordinis ea est, quae per aliquam consecrationem communicatur, et ordinatur ad sacramenta, sacramentalia et functiones liturgicas. Potestas iurisdictionis est ea, quae per deputationem legitimam superioris ecclesiastici confertur, et generatim respicit ea omnia, quae ad recte gubernandam Ecclesiam pertinent. Illa ad corpus Christi in Eucharistia realiter praesens proxime vel remote refertur, haec tota in corpore Christi mystico versatur; illa confertur a Deo, haec secundum Christi ordinationem ab Ecclesia; illa utpote characterem imprimens est inamissibilis et in omnibus ejusdem ordinis aequalis, haec amissibilis et alia in aliis; illa confertur per sacramentum, haec extra et praeter sacramentum. Unde potestas jurisdictionis etiam nondum ordinato conferri potest, e. g. episcopo electo.

Tribus itaque recensitis Ordinibus ex divina ordinatione utraque annexa est potestas, ordinis nempe et jurisdictionis; haec tamen posterior in actu primo et non in actu secundo. Non enim omnis diaconus aut presbyter aliquam jurisdictionem habet; est tamen capax subiectum, cui conferatur.

Advertas denique, definitionem tridentinam accipiendam esse sensu ajente, non excludente. Videlicet ad *divinam* hierarchiam certe pertinent tres recensiti Ordines; an alii etiam eo pertineant, nec affirmatur nec negatur. Equidem et alii Ordines pertinent ad hierarchiam ecclesiasticam quippe qui et ipsi aliquam potestatem jurisdictionis conferunt: utrum autem hanc potestatem divinitus habeant an ab Ecclesia, controvertitur. Haec doctrina ex inferius dicendis magis patebit.

1004. *Sicut presbyteri diaconis, ita etiam episcopi presbyteris superiores sunt.* — Prima pars est omnino certa et a nemine negatur; potestas enim in corpus Christi verum et mysticum, quam Dominus in novissima coena et post resurrectionem sacerdotibus commisit, evidenter praecellit muneri, ad quod diaconi (Act. 6, 5) instituti leguntur.

Altera pars, quatenus praescindit a *jure divino*, est contra Aëtium, Wicleffum, Protestantes, *de fide* ex Trident. (23. can. 7): « Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, a. s. » Id autem esse juris divini noluit concilium definire; communiter tamen traditur.

Haec praecellentia prae presbyteris competit ipsis jure divino: *a)* quantum ad potestatem ordinis. Ratio est, quia episcopus potest ordinare sacerdotes, quod presbyter valide facere non potest: (Tit. 1, 5): *Hujus rei gratia reliqui te Cretae... ut constituas per civitates presbyteros.* Confirmatur praxi, quia nullus unquam sacerdos aut diaconus ordinatus est, nisi ab episcopo. *b)* Quantum ad potestatem jurisdictionis: (Act. 20, 28): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere* (jurisdictio) *Ecclesiam Dei;* (1. Tim. 5, 19): *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Scriptura itaque episcopos exhibet ut divinitus constitutos principes Ecclesiarum, ut judices adeoque superiores, presbyterorum. — Ignatius M.: « Hortor, ut in concordia omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Jesu Christi » (1). Similia habet ad Trallianos, Smyrnenses, etc. Cyprianus: « Ecclesia a Christo non recedit, et illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes, episcopum in ecclesia esse, et ecclesiam in episcopo, et si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse » (2). Optatus Milevit. « Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerunt dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? Quid diaconos in *tertio*, quid presbyteros in *secundo* sacerdotio constitutos? Ipsi apices et principes omnium aliqui episcopi illis temporibus instrumenta divinae legis impie tradiderunt » (3).

---

(1) *Ep. ad Magnes. n. 69.* — (2) *Ep. 6. n. 8.* — (3) *De schism. Donat. l. 1. n. 13.*

1005. *Dices.* Scriptura, praesertim Paulus promiscue adhibet nomina episcopi et praesbyteri, episcopum aliquando vocans presbyterum et viceversa: ergo. — *Resp.* Concedunt nonnulli denominationem non vero dignitatem episcopi et presbyteri sacerdotibus primi et secundi ordinis primitus fuisse communem; imo censent alii etiam dignitatem quatenus omnibus presbyteris, cogente ob circumstantias necessitate, fuerit collatus episcopalis ordo; deinde vero, refrigescente caritate, unum constitutum inter omnes principem; mox vero, in *schismatis remedium* (Hieronymus), passim constitutos esse presbyteros proprie dictos, qui nonnisi secundi ordinis sacerdotio pollerent. — Aliis vero placet, episcopi nomen semper summis, numquam vero secundi ordinis sacerdotibus tributum esse. Quidquid sit de nomine discrimen inter sacerdotes superiores et inferiores omnes admittunt, illudque in Scriptura continetur, ut ex allatis argumentis liquet (1).

1006. Prop. 154. **Presbyteratus est verum N. L. sacramentum.**

Thesis *ad fidem* pertinet, cum ex quatuor canonibus Trident. simul collatis evidenter consequatur. In primo enim definitur, in Ecclesia esse sacerdotium visibile cum vera potestate consecrandi et absolvendi. In secundo dicitur, sacerdotium esse apicem, reliquos Ordines gradus ad sacerdotium. In tertio definitur, Ordinem esse sacramentum. In quarto denique legimus: « Si quis dixerit, per s. ordinationem non dari Spiritum s.; ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum, aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit. » Ex his simul collatis evidens est, concilii definitionem, quod Ordo sit sacramentum, praeprimis presbyteratum respicere. Et revera nemo unquam, qui Ordinem generatim admisit ut sacramentum, de hoc dubitavit.

Demonstr. *a*) Quae ex Scriptura et praesertim ex (Act. 14, 22 et 1. Tim. 4, 14) supra (n. 997) ad conficiendum, Ordinem esse sacramentum, allata sunt, de praesbyteratus Ordine praecipue valent et dicta sunt: ergo. *b)* Quoad traditionem sufficiat adnotasse, hunc unum Ordinem esse, de quo non, an sacramentum sit,

---

(1) De Hieronymi opinione cf. Hurter 622 et Perrone 110.

ob aliquibus fuerit dubitatum. *c)* Accedit ratio theologica. Si enim Ordo est sacramentum, jam presbyteratus sacramentum est; quia de reliquis ordinibus, de diaconatu et de ipso episcopatu subinde dubitatum fuit, utrum sint sacramenta; de presbyteratu vero dubium nullum ne tenuissimum quidem extitit: quod si nec de presbyteratu id prorsus certum esset, jam de nullo *ordine* constaret *de fide* eum esse sacramentum.

1007. Prop. 155. **Episcopatus est verum N. L. sacramentum a presbyteratu distinctum.**

Est nunc communis inter theologos sententia et omnino tenenda, ut dicit Perrone, eam certissimam appellat Bellarminus, quamquam plures scholastici antiqui illam negaverant.

Demonstr. *a)* Scripturae loca, quibus Ordinatio Thimotei in episcopum et ordinatio Pauli et Barnabae etiam in episcopos narratur, continent omnia elementa sacramenti (n. 997): ergo. Patres quoque ibi adlegati pro veritate sacramenti Ordinis, habent, ut plurimum, episcopatum prae oculis. — *b)* Conc. Trident. (sess. 23. can. 4) generaliter definit, episcopos ordinando non frustra dicere: *Accipe Spiritum sanctum,* ergo in omni ordinatione, in qua episcopus ordinans dicat: *Accipe Spiritum sanctum;* revera spiritum sanctum dat; ac proinde omnis ordinatio, in qua episcopus haec verba profert, est sacramentum; nam nulla caeremonia externa, nisi sit sacramentum, conferre potest Spiritum sanctum, nempe gratiam sanctificantem. Atqui episcopus in Ordinatione episcopi dicit: *Accipe Spiritum s.:* ergo. Insuper concilium (cap. 3) ad probandum Ordinem esse sacramentum allegat verba (2. Tim. 1, 6,) quae ordinationem episcopalem attinent; ergo. — *c)* Suadet ratio. Ordinatio episcopalis dat potestatem conficiendi sacramenta, nempe Ordinationem sacerdotis et confirmationem. Haec autem potestas praesertim ordinandi tam intrinsece et exclusive nexa est cum ordinatione episcopali sicut potestas consecrandi cum ordinatione sacerdotali, ut quoad valorem a deputatione Ecclesiae sit plane independens. Cum ergo potestas episcopalis non in extrinseca deputatione fundetur, merito concluditur, fundamentum hujus potestatis *intrinsecum* esse, et realiter animae ordinati inhaerens. Hoc autem nihil aliud est quam character sacramentalis.

Dices: Ergo sunt plusquam septem ordines et sacramenta. — *Resp.* ad 1.um *Neg. conseq.* Non inde sequitur plures esse Ordines eo scilicet sensu, quo dicuntur septem esse Ordines. Nam Ordines sumuntur ab habitudine quam habent ad Eucharistiam, et dicuntur esse tantum septem relate ad illam conficiendam, ut constat ex Conc. Trident.; relate autem ad Eucharistiam unum est generice Sacerdotium, consistens praecise in potestate conficiendi Eucharistiam. Sacerdotium autem sic sumptum dividitur in duas species, quarum una includit aliam, sed non vicissim, nempe in Sacerdotium primi ordinis et secundi ordinis. Nam potestas conficiendi Eucharistiam alia est coniuncta cum potestate communicandi aliis eandem potestatem: alia vero non est cum tali potestate coniuncta, sed est simplex potestas conficiendi Eucharistiam, et quidem cum dependentia a majore quoad usum.

Quare Ordo Sacerdotii generice sumpti, ut sumitur, cum septem tantum Ordines numerantur, dividi potest in duos Ordines seu gradus, quorum superior est Episcopatus, et inferior est Presbyteratus: et sic sunt octo Ordines, quorum duo primi continentur sub eodem genere, nempe sub Sacerdotio, quod relate ad Eucharistiam est supremus Ordo, cum relate ad Eucharistiam non possit esse potestas major et excellentior potestate illa conficiendi et dandi potestatem eandem conficiendi.

Resp. ad 2.um *Dist.:* sunt plusquam septem in specie infima, *conc.;* in specie superiori, *neg.* Sunt septem sacramenta in specie, i. e., sunt septem species sacramentorum. Unde Ordo est species sacramenti; diversae autem ordinationes v. g. presbyteratus et episcopatus efficiunt unum Ordinem, cujus sunt species infimae.

1008. Prop. 156. **Diaconatus est verum N. L. sacramentum.**

Est *certa.*

Demonstr. *a)* Secundum Scripturas illa elementa, quae ad sacramentum constituendum requiruntur, adsunt in diaconi ordinatione: signum sensibile, leguntur enim ordinati *manuum impositione et oratione* (Act. 6, 6): gratia interna, quae indicatur indirecte *α)* ipsa manuum impositione et oratione, quae nihil aliud sunt quam divinae gratiae et coelestis Spiritus invocatio, et signum divinae protectionis ac virtutis, secundum illud Tertulliani: « Manus impositione adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur; » *β)* exem-

plo s. Stephani, qui *statim* ab ordinatione dicitur *plenus gratia et fortitudine.* Institutio divina inde patet, quia Apostoli non tam securi de effectu futuro manu imposuissent et invocassent super ordinandos Spiritum s., nisi institutio divina praecessisset. Haec omnia confirmantur eo, quod in diaconis eaedem fere virtutes, ac in episcopis requiruntus (Act. 6, 3; 1. Tim. 3, 8 sq.); eorum officium non solum est ministrare mensis, sed baptizare, praedicare et episcopis servire, quibus coniungi etiam solent (Act. 6, 8 sq.; 8, 38 sq.; Philip. 1, 1); unde merito inferri potest, diaconos sicut in ritu ordinationis, in ministerio ecclesiastico, in virtutibus, ita etiam in gratia sacramentali episcopis esse sociandos. — *b)* Clemens Rom. (1): « (Apostoli) praedicantes per regiones ac urbes, primitias eorum, Spiritu cum probassent, in episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt. Neque hoc nove; a multis enim temporibus de episcopis et diaconis scriptum fuerat. Sic enim alicubi (Isai. 60) dicit Scriptura; *Constituam episcopos eorum in justitia, et diaconos eorum in fide.* Et quid mirum, si quibus in Christo commissum est *a Deo* hoc munus, praedictos constituerint? » Collationem *gratiae* clare pronunciat etiam Theodoretus (2): « Prius autem convenit horum (diaconorum) vitam examinari, deinde sic gratiam spiritualem consequi. » Idem indicant libri liturgici tum latinae tum graecae Ecclesiae. — *c*) Confirmatur *α)* conc. Trident. (can. 4) definiente, non frustra ab episcopo dici: *Accipe Spiritum s.;* atqui in ordinatione diaconi haec verba dicuntur: ergo; *β)* munere diaconorum, quod cum secundum totam traditionem principaliter et proprie referatur ad sacrificium eucharisticum, necesse habet, ut gratia sensibili modo ad illud conferatur.

1009. Utrum subdiaconatus et alii inferiores ordines sint sacramenta, disputatur inter theologos. Affirmant plures veteres scholastici Florentini auctoritate freti, quod sub appellatione sacramenti Ordinis non solum presbyteratum et diaconatum sed etiam subdiaconatum et minores ordines complectatur, et Tridentini docentis, primo Ordinem generatim esse sacramentum, et secundo subdiaconatum et minores esse veros Ordines, unde consequens esse videtur, omnes septem Ordines esse sacramenta.

---

(1) *Ep. 1. ad Cor. c. 42 et 43.* — (2) *Interpr. ep. 1. Tim. 3, 10.*

— Negant vel saltem dubitant communiter recentiores his innixi rationibus: *a)* a Patribus non exhibentur minores ordines, tamquam ab Apostolis traditi; *b)* non vigent in omnibus Ecclesiis iidem; *c)* non necessario antiquitus praemittebatur eorum collatio collationi graduum majorum; *d)* in antiqua Ecclesia videntur fuisse magis officia, quae tirocinii loco essent, quam veri Ordines; *e)* eos non esse sacramenta suadet Ecclesiae praxis hodierna, quae non praecipit, ut officia minoribus ordinibus propria ab ordinatis exerceantur; sed illa exerceri permitti ab iis, qui nullum omnino ordinem susceperunt, imo qui ne clericali quidem tonsura initiati sunt; *f)* Ordinationes minores principali quodam ritu differunt a majoribus, quia nempe manuum impositione et expressa Spiritus s. collatione carent.

Utramque forte conciliabis, si dicas, minores ordines, comprehenso subdiaconatu, velut quasdam portiones esse diaconatus, alias aliisque temporibus et necessitatibus ab eo (per Ecclesiam) decerptas. Quamobrem aliquo sensu eoque vero recte dixeris, minores Ordines in fonte sui ac origine i. e. in diaconatu, unde tamquam rivuli scaturierunt, institutionis esse divinae.

1010. **Corollarium.** Ex his sequitur, diversos Ordines non constituere nisi *unum Ordinis* sacramentum. Eo enim quod omnes ad communem effectum et finem, scil. ad dispensandam Eucharistiam et regendam Ecclesiam diriguntur, totum *unum* constituunt non quidem *integrale*, ut corpus humanum, nec *universale*, ut humanitas, quae tota est in singulis individuis; sed *potestativum*, cujus haec est natura, ut totum secundum completam naturam sit in uno, in aliis autem aliqua ejus participatio. Sic tota plenitudo hujus sacramenti est in sacerdotio, perfecte quidem in episcopo, minus perfecte in presbytero: aliqua vero participatio est in ministris, nominatim in diacono. Similiter in regimine civili varii sunt administrationis gradus, una tamen est administratio, una potestas.

CAPUT II.

De causis sacramenti Ordinis.

1011. Causae intrinsecae, ut saepe dictum est, sunt materia et forma; extrinsecae minister, subiectum et finis seu effectus. De his ita agemus, ut primo quisnam sit minister, secundo quaenam materia et forma, dein quodnam subiectum et finis breviter declaremus.

1012. *A) De ministro.*

Prop. 157. **Episcopi, iique soli, sacramenti Ordinis ministri sunt.**

Declar. Sermo est de illis Ordinibus, qui certe sunt sacramenta, scil. de episcopatu, presbyteratu et diaconatu; quod enim ordines minores attinet, solet aliquando Ecclesia etiam presbytero concedere, ut eos conferat, idque concedere potest etiam quoad subdiaconatum, ut liquet ex epistola (9. c. 6) Gelasii Papae. Hoc sensu intellecta prop. est *de fide* ex Trident. (sess. 23 can. 7): « Si quis dixerit, episcopos non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; a. s. »

1013. Demonstr. *a)* Scriptura non alios exhibet ministros Ordinis, quam Apostolos et ab Apostolis ordinatos episcopos. Videmus enim ab Apostolis septem primos diaconos ordinari (Act. 6, 6); a Paulo et Barnaba, qui sane erant episcopi, per singulas Ecclesias constitui presbyteros (Act. 14, 22). Paulus testatur, Timotheum per impositionem manuum suarum fuisse ordinatum (2. Tim. 1, 6): Timotheo et Tito episcopis exponit, quibusnam debeant manus imponere.

b) Patres idem docent *negative* eo, quod nullius alterius mentionem faciant praeter episcopos; *positive* eo, quod episcopos ut ministros Ordinum exhibeant. Hieronymus: « Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat? » (1);

---

(1) Epist. *85 ad Evang. n. 1.*

Chrysostomus: « Sola namque (episcopi) ordinatione superiores sunt, et hinc tantum videntur presbyteris praestare » (1); Epiphanius: « Episcoporum ordo ad gignendos patres praecipue pertinet; hujus enim est patrum in Ecclesia propagatio. Alter cum patres non possit, filios Ecclesiae regeneratione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam vero fieri potest, ut is presbyteratum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet? Aut quomodo presbyter episcopo dici potest aequalis? Verum Aërium istum nimia quaedam procacitas aemulatioque decepit » (2). Denique libri rituales Ecclesiarum et Occidentis et Orientis solis episcopis potestatem ordinandi attribuunt.

c) Historice constat primo, nullum exemplum reperiri Ordinationis presbyteri vel episcopi ab aliquo, qui non esset episcopus, factae, quae valida habita fuerit; et secundo, ne summa quidem urgente necessitate, (qua concedere solet Ecclesia quidquid quibuslibet potest), permissum unquam fuisse aliis quam episcopis, Ordines nominatos conferre. Hinc cum Athanasius iniuriarum Ischyrae ficto presbytero illatarum accusaretur, a Patribus conc. Alexandrini ita defendebatur: « Unde igitur presbyter Ischyras? quo ordinante? num Collutho.... Atqui Colluthum presbyterum obiisse, ambasque ejus manus sine auctoritate fuisse,.... omnibus notum, ac nulli dubium est » (3).

1014. **Corollarium** 1. Ex dictis fluit, hanc episcoporum potestatem non lege aliqua disciplinari inductam esse sed eam innatam Ordinis episcopalis praerogativam adeoque divinae institutionis esse censendam, quod insuper ex eo apparet, quod Ordinationes etiam factae ab episcopis haereticis et schismaticis, dummodo servaverint materiam et formam, semper habitae sunt ut *validae.* Id constat etiam ex controversia cum Donatistis. Quod si Patres eas aliquando vocant *vanas, inanes, falsas,* non est quia eae non imprimerent characterem et conferrent potestatem sacerdotalem, sed quod, obstante obice, gratiam non producerent ordinatique privarentur usu potestatis acceptae. Si vero hi illegitime ordinati recipiebantur ad usum et exercitium potestatis per *imposi-*

(1) *Hom. 11 in 1. Tim. n. 1.* — (2) *Haer. 75. n. 4.* — (3) *Apolog. contra Arian. n. 12.*

tionem manuum, haec erat non *ordinatoria* sed reconciliatoria et *caeremonialis.*

1015. **Corollarium** 2. Fluit insuper, ordinationes anglicanas cum multiplici ex capite (1) tum ex eo etiam saltem ut dubias censendas esse, quod Mattheus Parcherus, a quo reliqui episcopi ecclesiae episcopalis originem trahunt, in episcopum fuerit inauguratus a Barlowo, (a. 1559), de quo non constat, num verus fuerit episcopus.

Dices: Chorepiscopi erant simplices presbyteri; et tamen constat, eos ordinasse. — *Resp.* quosdam chorepiscopos fuisse simplices sacerdotes, alios vero charactere episcopali fuisse insignitos, hosque tantum ordinasse.

1016. *B) De materia et forma.*

De materia et forma subdiaconatus et ordinum minorum nulla est controversia. Exploratum est enim penes theologos omnes, subdiaconatus et minorum ordinum materiam, in Ecclesia latina, esse instrumentorum porrectionem: in Ecclesia graeca, manuum impositionem extra sanctuarium collatam; formam vero, verba, quae utrumque respective ritum comitantur.

At magna lis viget circa materiam et formam Ordinum hierarchicorum, diaconatus nempe, presbyteratus et episcopatus. In hac quaestione loquemur tantum de materia: hac enim determinata, certa quoque est forma. Triplex itaque adest sententia: prima, quam veteres praesertim defendunt scholastici, statuit, materiam essentialem esse instrumentorum traditionem, cui favere videtur instructio Eugenii IV pro Armenis. — Altera tuetur, solam manuum impositionem materiam esse essentialem; nominatim in presbyteratu ex tribus impositionibus, quae fiunt, esse secundam; prima enim fit ab episcopo nihil interea dicente, tertia supponit sacerdotem jam ordinatum, quia jam una cum episcopo consecravit, neque illa in Ecclesia graeca adhibetur. Nititur praesertim Scripturae auctoritate, tota antiquitate usque ad saec. IX et praxi Ecclesiae graecae, quae nullam aliam agnoscunt. — Tertia utramque conciliare nitens censet sacramento esse essentialem tum manuum impositionem tum instrumentorum traditionem. Rem vero explicant in hunc modum: Christus in

---

(1) Has rationes in compendium redactas videsis penes Katschthaler n. 880.

genere tantum hujus sacramenti determinavit materiam, facta Ecclesiae facultate eam in specie determinandi. Ecclesia, saltem latina, eo usa jure impositioni manuum, quam antea adhibuerat, instrumentorum adiecit traditionem, ut illam manuum traditionem quae etiam ad alios fines adhibetur e. g. ad sanandos aegrotos, magis determinaret et clarius sacrae potestatis significaret collationem.

Haec quidem in abstracto; in praxi vero postrema sententia utpote tutior est tenenda. Facta itaque distinctione inter materiam *essentialem* et *necessariam*, videtur quidem sola manuum impositio esse materia *essentialis*, verum utraque tum manuum impositio tum instrumentorum traditio materia *necessaria* haberi debet.

1017. *C) De subiecto.*

Ad *validam* Ordinum susceptionem requiritur: 1.° *Masculinus sexus*, nam *mulieres in Ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas* esse (1. Cor. 14, 34): unde cum ordo importet superioritatem et magisterium, auctore Paulo, iisdem interdicitur. Quae in antiqua Ecclesia *Diaconissae* dicebantur, non constituebant proprie dictum ordinem, nec ad altaris ministerium deputabantur, sed ad quaedam pia officia erga mulieres exercenda, nimirum ut adsisterent instructioni et baptismo mulierum. — 2.° *Baptismus* quia est janua sacramentorum. — 3.° *Consensus* ordinandi; dona enim Dei non dantur invitis.

Ad *licitam* vero: 1.° *Vocatio* (Hebr. 5, 4); 2.° *recta intentio;* 3.° *Confirmatio* et prima *tonsura;* 4.° *status gratiae;* 5.° *debita scientia;* 6.° *legitima aetas*, scil. pro subdiaconatu saltem 21, pro diaconatu 22, pro presbyteratu 24. completus; 7.° *ut ordinatio non fiat per saltus, et servatis debitis interstitiis;* 8.° *titulus* congruae sustentationis pro Ordinibus majoribus.

D) Effectus.

Effectus hujus sacramenti sunt: 1.° augmentum gratiae sanctificantis ex Eugenio IV, quae cum non ordinetur ad reconciliandum, sed ad illuminandum et consecrandum hominem, manifesto est gratia secunda. 2.° Gratia sacramentalis quae hominem reddit « idoneum ministrum. » Hinc jus confertur ordinato ad auxilia actualia, quae ad munus rite gerendum necessaria sunt. Unde Leo M.: « Etsi necessarium est trepidare de merito, religiosum est tamen gaudere de dono; quoniam qui mihi oneris est auctor,

ipse est administrationis adiutor; et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem » (1). 3.° Potestas sacra in Christi corpus reale et mysticum. 4. Character.

Per sacramentum Ordinis generatim imprimi characterem, est *de fide*, docente Trident. (can. 4): « Si quis dixerit, per sacram Ordinationem... non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, a. s. »

Si quaeritur de *singulis* Ordinibus, tenendum est, in omnibus imprimi characterem, qui rationem participant sacramenti. Hinc characterem imprimi in *sacerdotio*, nemo catholicorum ambigit; item certe in *episcopatu* et *diaconatu* character imprimitur. Isti characteres realiter distinguuntur; utrum vero specie an gradu tantum perfectionis, alii aliter opinantur.

Quoad minores, qui iis sacramenti rationem agnoscunt, characteris quoque impressionem adscribunt; qui iis illam abiudicant et hanc denegant, admittentes tantum in eis « legalem et ecclesiasticum » characterem.

Ad effectus pertinent quodammodo *obligationes*, quae ex Ordinum susceptione oriuntur, quarum praecipuae sunt tres: 1.° deferre habitum et tonsuram; 2.° recitare horas canonicas; 3.° servare coelibatum. De hoc postremo tantum loquemur statuentes:

1018. Prop. 158. **Lex coelibatus est antiquissima et convenientissima.**

Demonstr. i. p. In Ecclesia *occidentali* conc. Illiberitanum (a. 305) coelibatum praescribit can. 33: « Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus, vel omnibus clericis positis in ministerio, abstinere se a coniugibus suis et non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur; » conc. Carthaginense (a. 390) can. 2 statuit: « Episcopos, presbyteros et diaconos ita placuit, ut condecet sacros antistites et Dei sacerdotes nec non et levitas vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter, quod a Deo postulant, impetrare, ut quod *Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas*, nos quoque cu-

---

(1) Serm. 2 *in anniv. elect.* c. 2.

stodiamus. » Siricius Papa (a. 385) decrevit: « Et ideo... omnes sacerdotes atque levitae insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostrae, sobrietati ac pudicitiae et corda nostra mancipemus et corpora, dummodo per omnia Deo nostro in his, quae quotidie offerimus, sacrificiis placeamus » (1). — In Ecclesia *orientali* testis est Epiphanius, qui scribit: « (Ecclesia) eum, qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam tametsi unius uxoris sit vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi Ordinem admittit; sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus, quod in illis locis praecipue fit, ubi *ecclesiastici canones accurate servantur* (2); » Hieronymus: « Quid faciunt Orientis ecclesiae? Quid Aegypti et Sedis Apostolicae? quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint, mariti esse desistunt » (3). — Hinc omnes fere theologi et canonistae concludunt, coelibatum, quadam saltem ratione, Apostolicae esse originis. Verum in orientali ecclesia sensim a vigore primaevae disciplinae descitum est. Hodiedum apud Graecos in usu est can. 13 conc. Quini-Sexti seu Trullani (a. 692), vi cujus permittitur quidem diaconis et presbyteris, excepto tamen episcopo, ut convenire possint cum uxoribus ante ordinationem ductis, minime vero post susceptos sacros Ordines nuptias contrahere.

1019. Demonstr. ii. p. *a)* Exemplo Christi et Apostolorum. « Christus, inquit Hieronymus, virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; apostoli vel virgines, vel post nuptias, continentes. — *b)* Ex officiis muneri adnexis, et *a)* quidem ex iis, quae erga Deum habent: (Is. 52, 11): *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Unde scribit Innocentius I: « Si priscis temporibus de templo Dei sacerdotes anno vicis suae non discedebant, sicut de Zacharia legimus, nec domus suas omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem uxoris usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu et praeter ex semine Aaron ad sacerdotium nulli fuerat praeceptum accedere; quanto magis hi sacerdotes vel levitae pudicitiam ex die ordinationis

---

(1) Epist. *ad Himerium Tarracon.* c. 7. — (2) *De haer. 59. n. 4.*
(3) *Adv. Vigil.* n. 2.

suae observare debebunt, quibus vel sacerdotium vel ministerium sine successione est, nec praeterit dies, qua vel a sacrificiis divinis, vel a baptismatis officio vacent! Nam si Paulus ad Corinthios scribit dicens: *abstinete vos ad tempus, ut vacetis orationi* (1. ep. 7, 5,) et hoc utique laicis praecipit: multo magis sacerdotes, quibus et orandi et sacrificandi juge officium est, semper debebunt ab hujusmodi consortio abstinere » (1). *β)* Ex iis, quae erga proximum habent, quae animum postulant alienis curis minime distractum, non quaerentem quae sua sunt, sed quae Jesu Christi, magnam insuper auctoritatem ac reverentiam populi. Haec autem in coniugato vix reperiri, quippe qui domesticis pene innumeris curis obstringitur, et contra ex continentia quasi proprios fructus oriri, facile cernitur.

1020. Ad mala vero quae coelibatum consequi jactant adversarii, vel *a)* exagerata aut etiam conficta sunt; vel *b)* retorqueri possunt in quemlibet vitae statum, etiam in ipsum matrimonium; probant siquidem solum, nihil sub sole esse perfectum, atque homines, quamdiu hic vivunt, admodum esse fragiles. Hinc *c)* si nimis urgentur, sequeretur quoque licita esse adulteria, polygamiam etc., nam matrimonium *unius cum una* idque *indissolubile* multa etiam ex hominum malitia consequuntur incommoda et mala. Ceterum *d)* consultius agerent adversarii, si prius quam ex oculis cleri eruant festucam malorum, quae coelibatum propter hominum fragilitatem subinde consequuntur, ad crimina sive propria, sive aliorum conjugatorum respicerent. cum fatente ipso Voltaire (2) vel tristissimis Ecclesiae temporibus laici clericis non conjugatis semper pejores fuere (3).

Neque dicas, haec ostendere quidem, coelibatum esse bonum atque adeo suaderi, non tamen praecipi posse; nam *a)* haec a fortiori contra societatem civilem urgeri possunt, quae ad coelibatum tot *invitos* cogit, non vero *b*) contra Ecclesiam, qui nonnisi eos, qui *sponte sua* se obtulerunt, ad hanc legem obligat; quare *c*) quilibet consideret prius, utrum ad hunc statum sit vocatus; securus tamen *d*) quod si vocatus accedat, Deus daturus sit gratiam ad ferenda hujus status onera, nec permissurus, ut quis tentetur supra id, quod possit (1. Cor. 10, 13).

---

(1) Ep. 2. *ad Victric.* c. 9. — (2) Apud de Maistre, *du Pape libr. 3. cap. 3.*
(3) Hurter n. 712.

TRACTATUS XIII.

DE MATRIMONIO.

1021. Sicut ordine Ecclesiae spirituali perennitati, ita ejusdem perennitati carnali Deus Matrimonio consuluit, quo humani generis propagationem consecravit, ut ex radice sacra melior sanctiorque pullularet soboles, et ex honorabili coniugio ac thoro immaculato populus christianus, ad veri Dei et salvatoris nostri J. C. cultum, augeretur. Sic septenarii numeri circulus concluditur, ut, quod ultimum est, sit iterum primo proximum.

1022. Matrimonium (1) considerari potest vel prout est *naturae officium*, vel prout est *sacramentum*. Priori modo sumptum definitur: *Contractus naturalis legitimus, quo efficitur viri et mulieris coniunctio maritalis, individuam vitae societatem retinens.* Hujus generis fuit matrimonium usque ad Christum, deque eo tenendum est ipsum esse licitum et honestum, quod veteres haeretici inficiati sunt. Et sane, natura, etiam secluso peccato, inclinat hominem ad prolis generationem, et ad eum finem sexuum diversitas est ordinata; eadem natura non prolis tantum generationem sed ejus quoque nutritionem et educationem intendit, ad quae officia certi requiruntur parentes iique vinculo quodam permanente colligati. Hanc naturae legem ratam habuit et confirmavit naturae auctor Deus. Principio enim marem creavit et feminam ad

---

(1) *Matrimonium* ab eo dicitur, quod femina idcirco maxime nubere debet, ut mater fiat: vel quia prolem concipere, parere, educare, matris munus est. Dicitur etiam *coniugium*, i. e. junctio duorum sub uno jugo; *nuptiae* et *connubium* ab obnubendo seu velando, quod virgines, quae nubebant, in pudoris et subiectionis argumentum tegi solerent: quo simul innuitur, debere coniuges modestia et pudore, quasi obducto quodam velo, ea inte se tegere et obvelare, quae christianam modestiam offendunt.

prolem suscipiendam idoneos, feminam quoque ex viri latere condidit, ut ostenderet arctissimum inter eos matrimonii vinculum. Quae cum instinctu quodam divino probe intellexisset Adam, in eam vocem erupit (Gen. 2, 23 sq.): *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.... quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae; et erunt duo in carne una* quae postrema verba *(propter hoc dimittet homo* etc.) tamquam a Deo prolata retulit Christus, Deum ipsum ita tamquam matrimonii auctorem exhibens (Matth. 19, 5), ex qua divina institutione confirmat indissolubilitatem matrimonii concludens: *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet* (ib.). Praeterea Deus tum ante peccatum (Gen. 1, 28), tum post peccatum (Gen. 9, 1) matrimonium a se institutum peculiari quadam benedictione approbavit. Atqui quod est ex naturae lege a Deo ipso confirmata est certe bonum et honestum: ergo. Sed de matrimonii *honestate ethica* satis; jam de ejus *supernaturali sanctitate,* prout nempe est sacramentum, dicendum est.

1023. Matrimonium ante legem evangelicam, etsi a Deo institutum, non erat tamen sacramentum, neque illud Judaeorum, etsi sacrum; ad sacramenti dignitatem officium illud naturae sacrum seu contractum naturalem evexit Christus. Si sub hoc respectu matrimonium consideratur, tunc notioni traditae addi debet: *et a Christo ad dignitatem sacramenti elevatus;* seu: *collativus gratiae,* unde definiri potest: *Sacramentum N. L., in quo vir et mulier, legitime contrahentes, maritaliter coniunguntur, et gratia divina donantur;* seu: *Contractus matrimonialis a Christo ad dignitatem sacramenti evectus.*

Analysi instituta harum definitionum haec esse matrimonii elementa intelliguntur: 1.° ipse contractus seu actus contrahendi, qui consistit in mutuo consensu explicato per verba de praesenti; 2.° mutuum utriusque ex illo contractu ortum jus et obligatio ad actus coniugales, qui ad procreationem et educationem liberorum pertinent; 3.° coniunctio quaedam in hac obligatione fundata seu vinculum animorum utriusque coniugis, quod non consistit in amore et caritate, sed in quadam unione, quae consequitur mutuam obligationem et facit, ut duo coniuges indissolubili vinculo connexi sint quasi unum principium in ordine ad procreationem prolis; 4.° usus illius potestatis coniugalis.

Si quaeras in quo ex his elementis matrimonii sita sit essentia, omnes concedunt usum seu copulam non esse partem ejus essentialem, sed ejusdem potius effectum connaturalem; non enim esset licitus usus, nisi essent veri coniuges; unde Ecclesia illos quoque ut veros coniuges habet, qui per votum castitatis sibi matrimonii usum interdicunt. Nonnulli illam in mutuo contrahentium consensu collocant; alii in mutuo nexu et vinculo, quo coniuges uniuntur; alii et rectius quidem in utroque. Hi scilicet, facta distinctione inter matrimonium *in fieri*, et *in facto* esse, illud consensu, hoc autem vinculo, quod permanet, constitui dicunt.

1024. De hoc argumento, ne limites operi nostro praefixos egrediamur, multa ad alias disciplinas remittimus, ea tantum quae pars theologiae dogmatica sibi vindicat, qua poterimus accurata brevitate, tractaturi. Quae tribus capitibus commode comprehendi posse videntur: 1.° de veritate sacramenti matrimonii, 2.° de ejusdem proprietatibus, 3.° de impedimentis.

CAPUT I.

De sacramento Matrimonii.

1025. Novatores saec. XVI, licet honestatem et originem divinam matrimonii ultro faterentur, eidem tamen dignitatem veri sacramenti eripere conati sunt; Regalistae, sacramenti ratione matrimonio concessa, huius tamen ab illo separabilitatem defendunt. Contra hos utrumque vindicandum, et sacramenti dignitas et ejus a contractu inseparabilitas; unde duo articuli 1.° de sacramenti Matrimonii existentia 2°. de ejusdem essentia.

ARTICULUS I.

De sacramenti Matrimonii existentia.

1026. Prop. 159. **Matrimonium est proprie dictum N. L. sacramentum.**

Declar. Matrimonium, de quo haec prop., idem est ac matrimonium a Deo institutum, sed hic consideratur prout est sub lege Christi, a quo in verum sacramentum fuit evectum. Est *de fide* contra Novatores ex Trident. (sess. 24. can. 1): « Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, a. s. »

1027. Demonstr. i. Paulus, habitudine viri ad mulierem et vicissim explicata per habitudinem Christi ad Ecclesiam et vicissim, commemoratoque Adae cum Eva matrimonio, immediate subdit (Eph. 5, 23): *Sacramentum (μυστήριον) hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in Ecclesia (εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν).* Porro contendimus, his verbis, ipso Tridentino teste, satis innui matrimonium sacramentum esse. Nam *a*) *hoc*, coniugium scilicet protoparentum, et magis proprie coniugium christianorum, de quo data opera loquitur (1), est sacramentum i. e. *signum* rei sacrae, coniunctionis nempe Christi cum Ecclesia. — *b)* Est signum *efficax gratiae*, quod colligitur *α)* ex emphasi Apostoli, qua matrimonium *magnum* vocat mysterium; in lege autem gratiae nihil magni est sine gratia; *β)* ex rei, quam significat, natura et praestantia; repraesentat enim Filii Dei e sinu Patris humanae naturae assumptione futurum adventum et cum Ecclesia sua indissolubili amoris vinculo futuram coniunctionem, ex qua omnis credentium multitudo generaretur, eam scil. unionem Chri-

(1) *Quaeras,* quo referantur verba: *Hoc* etc. — *Resp.:* Immediate ad rem expressam verbis Adami, scil. generatim ad coniugium; sed cum verba Adami et coniugium illis expressum adducantur in confirmationem coniugii christiani, de quo ibi data opera agit, (unde dicit *est* non *erat*), mediate quidem sed primario et proprie referuntur ad coniugium christianorum, quod solum *est* signum perfectum coniunctionis Christi cum Ecclesia, dum caetera signum sunt tantum imperfectum.

sti cum Ecclesia permanentem et stabilem, quae non tantum est *supernaturalis*, sed omnium in ordine supernaturali gratiarum radix, fons et fastigium: ergo ut unio permanens viri et mulieris vinculi stabilis Christi cum Ecclesia expressio sit perfecta, gratia supernaturali jugique gratiarum influxu debet esse ornata, sicut Christus gratia sanctificante et jugi gratiarum influxu Ecclesiae suae dilectae coniunctus est. *γ)* Ex corollariis practicis, quae inde infert Paulus, mulieres scil. subiectas esse debere sicut Ecclesia Christo, subiectione proin *perfecta*, veneratione *supernaturali:* et viros diligere debere uxores sicut Ecclesiam dilexit Christus, qui se tradidit pro ea, ut illam sanctificaret etc., dilectione proinde *actuosa*, operosa, supernaturali. Atqui haec munera et virtutes supernaturales procedunt ex gratia sanctificante eamque supponunt: ergo. — c) *Institutio divina* indirecte colligitur ex natura gratiae sacramentalis (n. 771), et directe innuitur ex eo, quod matrimonium est signum unionis Christi cum Ecclesia, utique ex institutione divina.

1028. II. *a)* Praescriptionis argumento. Cum Lutherus et Calvinus temerario ausu Ecclesiae fidem reformare aggrederentur, in universa Ecclesia Matrimonium sacramentis adnumeratum invenerunt. Ab Eugenio IV usque ad conc. Later. II (a. 1139) plura extant decreta Ecclesiae, in quibus omnibus Matrimonio ratio veri et proprii sacramenti adseritur et vindicatur. Per eadem tempora idem affirmat universa schola. In eandem sententiam consentiunt Graeci aliique christiani orientales, qui dudum ab Ecclesiae Romanae communione recesserunt; neque ullum in historia vestigium serioris originis hujus doctrinae invenitur (n. 947).

b) Patrum de hac re doctrina ad haec capita revocatur: *α)* Christianorum Matrimonium inter res sacras, ad religionem pertinentes, a ministris Ecclesiae certo ritu celebrandas enumerant. Tertullianus: « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato (ratum) habet? » (1). Ita et Ignatius M., Clemens Alex., Basilius, Ambrosius, Siricius Papa, etc.

---

(1) *Ad uxor.* l. 2. c. 9.

β) Tradunt, Christum, dum nuptiis interfuit, iisdem benedixisse, et gratiam atque sanctitatem, qua antea carebant, annexisse. Cyrillus Alex. (1): « Ipse (Christus) una cum discipulis suis invitatus venit (ad nuptias) non tam epulaturus quam ut miraculum faceret, ac praeterea generationis humanae principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus ac totam in meliorem statum revocaturus erat, non solum iis, qui jam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, sed et iis quoque, qui postea nascituri essent, gratiam praestrueret, et eorum ortum sanctum efficeret; » Ita etiam Epiphanius, Ambrosius, Augustinus etc. (2).

γ) Matrimonium *sacramentum* appellant sensu (certe passim saltem) ecclesiastico. Augustinus: « Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis: quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, cum vir eius vivit.... Haec omnia bona sunt, propter quae nuptiae bonae sunt, proles, fides, sacramentum. »

1029. Scholion. *Virginitas et coelibatus Matrimonio praeferendus est. — De fide* ex Trident. (sess. 24. can. 10): « Si quis dixerit, statum coniugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut coelibatu, quam jungi matrimonio; a. s. » Ubi advertas fieri comparationem inter *statum* et *statum;* scilicet inter permanentem viri et mulieris mutuam obligationem maritalem, et inter propositum perpetuo sese abstinendi ab omnibus delectationibus carnis, idque ex eo fine, ut Deo melius corpus et spiritus serviant; non inter *personas*, quae in his statibus versentur, seu inter perfectiones, quibus eae personae ex propria virtute ditatae esse possunt; neque inter ea, quae statui ipsi adiungi possunt, cujusmodi esset consecratio quaedam.

---

(1) *Comment. in Jo.* 2, 1. n. 134.

(2) Huius doctrinae scil. Christi coniugium sanctificantis vestigium etiam in monumentis perantiquis invenitur expressum, quibus v. g. vir et mulier repraesentantur dexteras iungentes et inter eos Christus vel eius monogramma, veluti Ipse adsit coniugii auctor, apposita aliquando etiam circumscriptione: « Vivatis in Deo » vel alia hoc genus. Cf. Katschthaler n. 933.

Hoc modo declarata veritas probatur ex S. Scriptura (Matth. 19, 10; 1. Cor. 7, 1. 25), ex Patribus virginitatem maximis laudibus extollentibus, ex constanti Ecclesiae sensu, et ex innumeris sanctorum exemplis.

ARTICULUS II.

De essentia sacramenti.

1030. Hujus sacramenti existentia adserta, quaeritur jam in quo proprie sita sit ejus essentia, utrum videlicet sacramentum sit aliquid accessorium ad contractum Matrimonii adeoque ab eo separabile, an ipse contractus Matrimonii ad dignitatem sacramenti evectus. Cum hac quaestione cohaeret altera de Matrimonii ministro, materia et forma. De his itaque breviter ex ordine agemus.

A) *De essentia.*

Plures juris periti, ut Marcus Ant. de Dominis, Launoyus, Nuitz, Theiner, omnesque Regalistae separabilitatem contractus naturalis a sacramento defenderunt, ut facilius Matrimonium subtraherent potestati Ecclesiae civilique subiicerent. Contra hos asserimus:

1031. Prop. 160. **Matrimonium inter christianos ita est sacramentum, ut nihil intersit inter contractum et sacramentum, nullumque datur inter christianos Matrimonium, quod non sit pariter Ecclesiae sacramentum.**

Declar. Thesis hodie adeo *certa* esse videtur, ut sine temeritatis nota negari nequeat, ex Eugenio IV, Trident., Pio VI, Pio IX, Leone XIII, locis citandis.

Dicitur inter christianos, quia Matrimonium per se esse potest, quin sit sacramentum; ita fuit ante Christum et ita est apud infideles, inter quos verum adest Matrimonium, quin sit sacramentum. Verum cum Christus ipsum contractum naturalem elevaverit ad sacramentum, inter christianos a contractu sacramenti ratio avelli nequit, adeoque contractus Matrimonii validus dari nequit, quin simul sit sacramentum.

Demonstr. *a)* Ex conciliis. *α)* Florentinum, manifeste loquens de Matrimonio quatenus est sacramentum, (*Decret. pro Armenis*) dicit: « Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. » Atqui consensu mutuo efficitur contractus: ergo ipse contractus est sacramentum. *β)* Tridentin. (sess. 24. cap. 1. de reform.) docet, matrimonia clandestina rata et vera esse matrimonia, proinde et sacramenti habuisse rationem, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit. Atqui in matrimonio clandestino nihil habes praeter contractum matrimonialem: ergo hic ipse est sacramentum. — *b)* Ex declarationibus Pontificiis. *α)* Pius VI. (1): « Contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis. » *β)* Pius IX: « Dogma fidei est, Matrimonium a J. C. D. N. ad dignitatem sacramenti esse elevatum, atque doctrina Ecclesiae catholicae, sacramentum non esse qualitatem accidentalem contractui superadditam, sed de ipsa Matrimonii essentia esse » (2); et iterum: « Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest, Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles Matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque id circo quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali foedere sacramentum separari numquam posse » (3). Exinde in syllabo damnatae notantur propositiones 66: « Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est; » et 73: « Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis Matrimonium, falsumque est aut contractum Matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur. » *γ)* Leo XIII: Nec quemquam moveat illa tantopere a Regalistis praedicata distinctio, vi cujus contractum nuptialem a sacramento

---

(1) Epist. *ad episcop. Motulen. 6.* Sept. *1788.* — (2) Litt. 19. Sept. 1852 *ad Regem Sard.* — (3) *Allocut.* 27 Sept. 1852.

distinguunt... Etenim non potest hujusmodi distinctio, seu verius distractio probari; cum exploratum sit in Matrimonio christiano contractum a sacramento non esse dissociabilem; atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum » (1).

1032. c) Accedunt intrinsecae rationes, quas Leo XIII (l. c.) indicat. « Nam Christus Dominus, prosequitur Pontifex, dignitate sacramenti auxit Matrimonium; Matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. Huc accedit, quod ob hanc causam Matrimonium est sacramentum, quia est sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi cum Ecclesia: istarum autem forma ac figura illo ipso exprimitur summae conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque aliud nihil est, nisi ipsum Matrimonium. Itaque apparet, omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum: nihilque magis abhorrere a veritate, quam esse sacramentum decus quoddam adjunctum, aut proprietatem allapsam extrinsecus, quae a contractu disjungi ac disparari hominum arbitratu queat. »

In quibus rationibus per Pontificem adductis id continetur, quod inservit ad hujus doctrinae complementum, scilicet in Matrimonio sacramentum dici tum contractum tum vinculum. Contractus enim et vinculum non sunt duae res disparatae, sed prima est causa alterius. Hinc, ut dicere solent theologi, contractus consistens in ritu ipso exteriore, qui est efficax gratiae, est sacramentum tantum; vinculum, quod est effectus permanens illius ritus, dicitur res simul et sacramentum. Ipsa gratia autem est sacramenti res tantum.

1033. *B) De Ministro.*

Prop. 161. **Ministri sunt ipsi contrahentes, qui sacramentum Matrimonii mutuo sibi administrant.**

Contrariam sententiam primus omnium videtur docuisse Melchior Canus, quem plures secuti sunt, ut Sylvius, Estius, Natalis Alexander, Druvenius, Jueninus, Tournely etc., et inter recentiores Albertus a Bulsano etc. Hanc opi-

(1) Encycl. *Arcanum* 10 Febr. 1880.

nionem ambabus ulnis amplexi sunt Regalistae utpote separabilitati contractus a sacramento ob ipsis defensae faventem, quamquam non ea mente fuerit abillis theologis prolata, quippe qui docent, contractum nuptialem esse ex Christi ordinatione rem sacram et materiam proximam sacramenti, ideoque illicitum esse, contractum a sacramento separare; ipsumque contractum potestati Ecclesiae subiici.

Doctrina propositione enunciata *semper* fuit *communior*, hodieque *certa* a multis iisque primi pili theologis nominatur.

Demonstr. Est corollarium thesis praecedentis. Si enim ipse contractus inter christianos est sacramentum Matrimonii, patet, illos ipsos, qui contractum efficiunt, esse sacramenti ministros. Atqui contractum efficiunt contrahentes per mutuum consensum: ergo. Idem eruitur ex Florent. et Trident. Juxta Florent. causa *efficiens* sacramenti Matrimonii est consensus; atqui causa efficiens idem est ac minister: ergo contrahentes per consensum sunt ministri. Juxta Trident. autem Matrimonia clandestina nulla accedente benedictione sacerdotali fuerunt quondam et, ubi decretum Trident. de eis non est publicatum, adhuc sunt vera Matrimonia, sicut et illa, quae praesente quidem parocho, sed eo repugnante contrahuntur. Atqui in his matrimoniis evidenter sacerdos non est minister: ergo. Praetera concilium permittit, ut sacerdos coniungens sponsos possit uti *qualibet* forma, juxta uniuscujusque provinciae ritum. Atqui forma sacramentorum non potest variari: ergo minister non est sacerdos nuptias benedicens.

1034. *De materia et forma.*

Cum ex demonstratis constet ipsum contractum matrimonialem esse sacramentum, sequitur jam hujus materiam et formam esse eandem, quae est ipsius contractus. Unde, omissis variis theologorum sententiis, satis erit eam recensere, quae communior est et docetur a Suaresio et Bellarmino, nimirum: corpora contrahentium seu dominium in ea esse materiam remotam et *circa quam;* verba autem contrahentium rationem habere materiae proximae, quatenus significant *corporum traditionem*, eaque simul rationem formae habere, quatenus annunciant *acceptationem.*

Hinc verba, quibus contrahentes mutuum exprimunt consen-

sum, efficiunt quod significant, scilicet vinculum morale perenne unius cum una: quod vinculum est repraesentatio vinculi illius, quo Christus conjungitur cum Ecclesia. Ut autem haec repraesentatio condigne fiat, ipsa verba, dum producunt illud vinculum inter sponsos, producunt simul gratiam ad illud perficiendum et sanctificandum.

1035. Cum doctrina hoc articulo proposita cohaerent et ex illa fluunt haec corollaria:

1. Matrimonia sic dicta *mixta* i. e. inter catholicos et acatholicos, licet *per se* sint *illicita*, cum vere sint coniugia, esse sacramenta.

2. Matrimonia inter *haereticos* et *schismaticos* inita, si nullum obstet impedimentum, sicut valent in ratione contractus, ita rationem habere sacramenti.

3. Matrimonia clandestina, i. e. sine praesentia parochi vel sacerdotis et duorum testium, a fidelibus contracta, ante Tridentinum ubique probabiliter, et adhucdum esse pro locis, quibus lex concilii nondum promulgata est, sacramenta.

4. Matrimonia inter *infideles* vera quidem esse matrimonia seu valere in ratione contractus, ob baptismi tamen defectum non esse sacramenta: per susceptionem tamen baptismi fieri sacramenta, certe consensu matrimoniali explicite renovato; probabiliter autem etiam sine explicita consensus renovatione.

5. Utrum matrimonium inter *fidelem* et *infidelem*, sublato per Ecclesiae dispensationem disparitatis cultus impedimento dirimente, sacramentum sit, saltem ex parte fideli, dubitatur; in utramque partem theologis disputantibus.

*6. Matrimonium civile *per se et generatim* neque sacramentum neque contractum coniugalem esse (1).

---

(1) Triplex distingui solet et datur matrimonium civile: *necessitatis* appellatum, quod a gubernio civili *permittitur*, quando non est contra legem civilem, *denegata a parocho assistentia* ob impedimentum matrimonio obstans; *facultativum*, si *arbitrio nupturientium relinquitur*, malintne coram parocho, vel coram magistratu civili coniugium inire; *obligatorium*, si omnes nupturientes coram magistratu civili consensum declarare *iubentur*.

Matrimonium civile *facultativum* et *obligatorium* in locis, ubi *Tridentinum* decretum « Tametsi » viget, neque est Sacramentum, neque contractus, quia praefatum decretum contrahentes sine parochi praesentia omnino inhabiles reddit ad contrahendum. Iis tamen in locis, ubi illud decretum non est publicatum, matrimonium coram civili magistratu vel alia ratione contractum, si non

CAPUT II.

De Matrimonii proprietatibus.

1036. Connubii christiani duae sunt praecipuae proprietates: *unitas* et *indissolubilitas*, quas duobus articulis perpendemus.

ARTICULUS I.

De Matrimonii unitate.

1037. Unitas Matrimonii est ea proprietas, vi cujus eodem tempore nonnisi unus cum una foedere coniugali coniunctus est. Unitati adversatur *polyandria* et *polygamia*, quae est utraque vel *simultanea* vel *successiva*. De polyandria simultanea non agimus, cum ea aperte reprobetur, utpote primario Matrimonii fini, i. e. procreationi et prolis educationi repugnans: quare prostitutio, ad quam polyandria reducitur, nullo non tempore ut infamis et flagitiosa est habita. De polygamia autem dicimus:

1038. Prop. 162. **Polygamia simultanea in lege Evangelica jure divino prohibita est.**

De fide contra Novatores saec. XVI ex conc. Trident. (sess. 24. can. 2): « Si quis dixerit, licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum; a. s. »

Declar. Loquimur 1.° de *polygamia simultanea*, minime vero de *successiva*, quam contra Montanistas, sicut et polyandriam successivam, esse licitam definivit Florent. *(Decret. pro Jacob.)*: « Declaramus, non solum secundas nuptias, sed etiam tertias et

---

obstat aliud impedimentum dirimens, est verum et ratum, seu ex ipso, quod est validus contractus, est Sacramentum.

Matrimonium civile, quod appellatur *necessitatis*, non solum ob impedimentum, ubi extat, clandestinitatis, sed etiam ob aliud obstans impedimentum, propter quod assistentia parochi non permittitur, aut graviter illicitum, aut etiam invalidum est, secundum naturam scilicet huiusce impedimenti. Si invalidum est, non quoque est Sacramentum. Cf. Müller *Theol. mor.* t. 3. p. 490.

quartas et ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licite contrahi posse, » et aperte docet Apostolus (1. Cor. 7, 39; cf. 8 sq.). 2.° De *jure divino*, nam quid de jure naturae et primitiva institutione sit tenendum, statim indicabimus. 3.° De *lege Evangelica;* nam de *antiquo foedere* certum est ex dispensatione divina permissam fuisse vel saltem toleratam pluralitatem uxorum. Unde de patriarcha Jacob scribit Augustinus: « Si naturam consulas, non lasciviendi, sed gignendi causa illis mulieribus utebatur; si morem, illo tempore atque in illis terris hoc factitabatur; si praeceptum, nulla lege prohibente » (1).

1039. Demonstr. (Matth. 19, 4 sq.): *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo* (non tres aut plures) *in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quibus verbis Christus licentiam antiquis patriarchis et Israëlitis factam revocat, Matrimoniumque ad primaevam institutionem unius cum una reducit. In sequentibus v. Christus absolute ut adulterum declarat illum, qui dimissa uxore alteram ducit. A fortiori ergo adulter esset, qui priori retenta, alteram adiungit. Similiter Apostolus (1. Cor. 7, 4; et Rom. 7, 2) diserte declarat, numquam licere mulieri, durante priori coniugio, alteri viro nubere. Hoc autem non minus ad virum pertinet, cum idem jus habeat uxor in corpus viri, quod vir in corpus uxoris. Rationem autem hujus unitatis Apostolus (Eph. 5, 22 sq.) petit ex eo quod Matrimonium symbolum est coniunctionis Christi cum Ecclesia: Christus autem cum una jungitur Ecclesia. — Id denique evincitur sentiendi ratione universi nominis christiani. Inauditum est enim in tota antiquitate, aliquem impune duas simul duxisse uxores; et Ecclesia numquam, ne summis quidem principibus, concessit polygamiam vel indulsit. In re evidenti necesse non est singulorum Patrum afferre testimonia (2).

1040. Hoc ex lege evangelica; quid vero secundum *originalem*

---

(1) *Contr. Faustum.* l. 22. c. 47.

(2) Opponitur quidem Gregorius II. qui s. Bonifacio rescripsisse fertur, in casu infirmitatis uxoris maritum aliam ducere posse. Ast praefatum rescriptum imprimis est dubium; posita autem genuinitate, de impedimento *impotentiae* ante Matrimonium contracto intelligi debet.

institutionem et *jus naturae?* Respondemus, polygamiam in ipsa originali institutione fuisse exclusam, ut ex dictis jam consequitur, ipsamque non adversari *simpliciter* juri naturae, sed *secundum quid*, quod ita demonstrat s. Thomas: (1) « Pluralitas uxorum neque totaliter tollit, neque aliqualiter impedit Matrimonii primum finem, cum unus sufficiat pluribus uxoribus fecundandis, et educandis filiis ex his natis. Sed secundarium finem etsi non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur; cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum, et etiam quia communicatio plurium in uno officio causat litem.... Et ideo patet ex dictis, quomodo pluralitas uxorum quodammodo est contra legem naturae et quodammodo non. » Deinde vero a. 2. ostendit quomodo in his quae hujusmodi *secundariis* legis naturae praeceptis repugnant, quaeque adeo inordinata quidem, minime vero absolute inhonesta sunt, possit a Deo dispensari, sicut in V. T. dispensavit.

ARTICULUS II.

De indissolubilitate matrimonii.

1041. Matrimonii indissolubilitas est ejusdem perfecta firmitas, qua fit, ut non, sicut alii contractus, vel ad tempus iniri, vel, postquam initum fuerit, contrahentium voluntate solvi possit. Hinc vides, indissolubilitatem differre ab ejus unitate; posset enim Matrimonium esse unum, nec tamen indissolubile, et vice versa. Indissolubilitati adversatur solutio, quae duplex distinguitur: *perfecta* quoad vinculum, et *imperfecta* quoad thorum et habitationem, manente vinculo, quae potius dici solet *separatio*.

Quod spectat ad solutionem quoad vinculum, Matrimonium distinguitur *verum*, *ratum* et *consummatum*; quae tria distant inter se perfectionis et firmitatis gradu. *Verum* tantum dicitur coniugium, quod est in infidelitate contractum; *ratum* praeterea quod a fidelibus initum est juxta conditiones ab Ecclesia statutas; *consummatum* denique, quod usu interveniente completum est.

---

(1) *In 4 dist. 33.* q. 1. a. 1. *coll. Suppl.* q. 65. a. 1.

1042. Prop. 163. **Matrimonium christianorum consummatum est omnino insolubile.**

Declar. Loquimur 1.° de solutione *perfecta* i. e. quoad vinculum; 2.° de matrimonio *christianorum* adeoque de lege Evangelica, quia in lege Mosaica solutio vinculi coniugalis per libellum repudii permittebatur, quamvis nonnisi propter *duritiam cordis* fieret. Quid autem sit tenendum, si ejus primitiva tantum spectatur institutio et naturae jus, inferius indicabitur.

Thesis statuitur contra Protestantes; praestringit etiam Graecos contrariam praxim in casu adulterii sequentes. Est *fide certa* ex Trident. (can. 7) statuente: « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, quum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi et utrumque vel etiam innocentem qui causam adulterii non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud Matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit, a. s. »

Licet canon proxime et directe Novatores tantum damnet, qui Ecclesiam catholicam ita docentem erroris incusant, indirecte tamen praedictam Ecclesiae doctrinam dogmatice proponit, et contrariam adversariorum sententiam reprobat. Ergo Graeci quatenus contrariam praxim in casu adulterii sequuntur, non quidem propterea sunt formales haeretici, sed errant (1).

Huc referri potest etiam quod concilium (can. 5) vetat, ne unquam ex gravissimis licet causis Matrimonium solvatur: « Si quis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse Matrimonii vinculum; a. s.»

1043. Demonstr. Absolute et sine omni exceptione Christus pronunciat (Marc. 10, 9. 11): *Quod Deus coniunxit homo non separet.... Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam*, et Paulus (1. Cor. 7, 10): *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus,*

---

(1) Testatur Pallavicini *(Storia del c. di Tr. l. 22. c. 4.* n. 27), concilium hanc veritatem directe definire voluisse, ast, postulantibus Venetiarum legatis, formam indirectam adhibuisse, ne Graeci damnarentur, qui solutionem Matrimonii in casu adulterii sua praxi tuebantur.

uxorem a viro non discedere; quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari. (Cf. etiam Matth. 5, 32; 19, 9; Luc. 16, 18; Rom. 7, 2. 3), in quae Apostoli verba Augustinus: « Haec verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus; non si fornicetur. Licite itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis; sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis » (1). Similiter Hieronymus, Chrysostomus aliique Patres absolutam indissolubilitatem Matrimonii christiani ex citatis locis derivant. Sic inter alios scribit Origenes: « Contra Scripturae legem, mulieri vivente viro nubere quidam Ecclesiae rectores permiserunt, agentes contra id quod scriptum est, in quo sic habetur: *Mulier alligata est quanto tempore vir ejus vivit*, et contra illud: *Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro* » (2). Hinc romani pontifices durissima potius quaeque tolerare parati erant, quam consentire in dissolutionem Matrimonii valide contracti principum.

b) Accedit ratio theologica eaque duplex *theoretica* et *practica*. Priorem assignat Eugenius IV *(Decret. pro Armen.)*: « Tertium Matrimonii bonum est *indivisibilitas* propter hoc, quod significat indivisibilem coniunctionem Christi cum Ecclesia. » Posterior colligitur ex funestissimis consectariis, quae ex dissolubilitate Matrimonii tam pro liberis quam pro conjugatis et pro societate humana fluerent. Dissolutio enim maxime noceret *liberis*, qui a patre aut matre adhuc vivente separati, a teneris annis discunt odisse, quos venerari et amare natura jubet; atqui tantus defectus cum perfectione legis evangelicae nequaquam videtur posse constare. Dissolvendi facultas denique aeque maximo damno esset *conjugatis* et *societati humanae*; etenim labefactata semel conjugii firmitate infinitis solutionibus via sterneretur. Nunc quidem, quum non liceat facta separatione a *thoro* et *mensa* alteri nubere, frenum injicitur coniugatis, ut non facile individuae vitae societatem rumpant, imo separatis a *thoro* manet ad reconcilia-

(1) *De coniug. adult.* l. 2. c. 4. n. 4. — (2) *Comment.* in Matth. t. 14. n. 23.

tionem via. Ast si liberum esset viro repudiata uxore aliam ducere et vicissim, quanta mox irrueret morum dissolutio; et insuper, si pars adultera ex suo crimine commodum reportaret, nempe liberationis a vinculo odioso, impii conjuges data opera adulteria committerent, ut hac ratione liberati viam ad exoptatas alias nuptias sibi pararent.

1044. At specialis difficultas petitur ex verbis Christi (Matth. 5, 32): *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat;* et (19, 9): *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur* Ergo in casu adulterii videtur licita Matrimonii solutio.

Respondeo, haec verba difficultatem hermeneuticam, minime vero dogmaticam facessere posse. Nam illis verbis non enuntiari neque enuntiari posse vinculi Matrimonii solubilitatem, evincunt *a) contextus.* Christus enim dicit, se Matrimonium ad primitivam institutionem revocare, et legem Mosaicam corrigere. Admissa autem explicatione Protestantium lex Mosaica in hac materia praestantior fuisset, quam evangelica, nam jus repudii antiquitus soli viro proprium erat, Christus autem hoc jus etiam feminae communicasset, et simul adulteriis viam latissimam complanasset, si adulterium causa esset solvendi vinculum Matrimonii. Adde, quod in hac hypothesi uxor fornicaria melioris conditionis esset, quam iniuste dimissa, cum illa novas nuptias, haec minime inire posset. Neque Apostolorum stupor tantae indissolubilitatis admirantium rigorem intelligi in hac hypothesi posset. — *b) Loca parallela* Marci (10, 11), Luc. (16, 18), ubi sollicite discipulos instruens de Matrimonii indissolubilitate hujus exceptionis nullam facit mentionem. — *c) Authentica interpretatio Pauli* (1. Cor. 2. 7; 10, 39 et Rom. 7, 3), ubi absolute indissolubilitas ex professo defenditur.

Neque desunt modi difficultatis hermeneuticae solvendae. Tres sunt hujus textus praecipuae expositiones. P r i o r vocem *πορνεία* intelligit non de adulterio, sed de *fornicatione* et concubinatu inter eos, qui nondum sunt Matrimonio juncti, adeo ut sensus sit: Matrimonium dissolvere non licet, excepto casu, quo haec coniunctio non sit vere matrimonialis, sed fornicaria et *concubinatus.* Quo in sensu evanescit omnis difficultas contra Matrimonii indissolubilitatem, cum de hoc casu Christus hic non loquatur.

— Altera statuit, Christum respondisse in sensu quaestionis propositae. Interrogaverant enim Pharisaei, an secundum legem Mosaicam liceret uxorem dimittere quacumque ex causa, prout docuit schola Hillelis; et respondit Christus negative, sed id licitum esse tantum propter adulterium, prout schola Schammai tenuit. Christus igitur hic authenticum tantum legis Mosaicae de repudii libello interpretem egisset — Tertia eaque communior docet, Christum in casu adulterii permittere tantummodo *divortium* i. e. separationem a thoro, non vero solutionem vinculi, adeo ut sensus sit: omnis qui dimiserit uxorem suam, casu adulterii excepto, moechatur i. e. per cooperationem; quia ut apud Matth. (5, 32) clarius exprimitur, *facit eam moechari,* videlicet uxorem sine sufficienti causa dimittendo; et qui aliam ducit, moechatur. Prima ergo pars est conditionata, et agit de divortio, altera de vinculi solutione agit et est absoluta. Quamcumque itaque ex his sententiis amplectaris, nihil ex verbis Christi contra Matrimonii indissolubilitatem sequitur.

1045. Si quaeras quid de Matrimonii indissolubilitate juxta *primitivam institutionem* et solo *naturae jure* spectato judicandum sit, haec docent theologi:

1.° *Matrimonium censeri debet indissolubile etiam ex primitiva et originali institutione.* Pertinet ad *doctrinam catholicam;* enuntiatur enim in Trident. (sess. 24 proem.), a Pio VI, *(ad episcop. Agriae),* Pio IX, Syllabo et Leone XIII (Encycl. *Arcanum).*

Colligitur ex verbis Christi (Matth. 19, 4 sq.), ubi ex verbis Adami Matrimonii indissolubilitatem infert, dicens: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Originalem deinde matrimonii indissolubilitatem eo ipso significat, quod Judaeorum facultatem dimittendi uxorem repetat ex permissione ipsis propter eorum duritiem facta: ergo citra hanc permissionem ea fuisset illicita. Quare eam abrogans hanc reddit rationem: *ab initio non fuit sic.*

2.° *Matrimonium ita censeri debet jure naturae indissolubile, ut ejus tamen indissolubilitas non ad primaria sed ad juris naturae secundaria praecepta pertineat.* Primum suadetur eo, quod solubilitas vinculi Matrimonii adversatur ejus finibus, qui sunt prolis conveniens generatio, ejusdem recta educatio, et arctissima inter

coniuges animorum coniunctio. Enimvero alioquin nullum quoad haec esset discrimen inter fornicationem jure naturali vetitam et legitimum matrimonium, atque proles debita educatione careret et saepe sine certo patre relinqueretur. (Cf. Trident. sess. 24. proem. et Syllabi prop. 67).

Alterum ita proponit s. Thomas (1): « Inseparabilitas Matrimonii... videtur autem magis inter *secunda* praecepta legis naturae contineri. Inseparabilitas enim matrimonii non ordinatur ad prolis bonum (quod est principalis matrimonii finis), nisi quantum ad hoc, quod per parentes filiis provideri debet in totam vitam, per debitam praeparationem eorum, quae sunt necessaria in vita. Hujusmodi autem preparatio non est de prima intentione naturae, secundum quam omnia sunt communia: et ideo non videtur esse contra primam intentionem naturae dimissio uxoris; et per consequens nec contra prima praecepta, sed contra secunda legis naturae. »

Ex hac doctrina sequitur *a)* sin minus ad concordiam revocari, saltem conciliari aliquo modo posse contrarias in hac quaestione theologorum sententias, affirmantibus aliis, aliis negantibus Matrimonii indissolubilitatem ex *solo jure naturae* provenire vel probari posse pro omni casu. *b)* Licitum non esse coniugibus infidelibus ut, proprio arbitrio, ulla ex causa Matrimonium solvant, (2) neque ulli auctoritati mere humanae id licere (prop. 67 Syllabi et litt. Pii VI *ad ep. Agriae)*, verum *c)* cum ejus indissolubilitas, si praescindimus a sacramenti dignitate, qua tantum ea summa et perfecta redditur, ad secundaria spectet naturae praecepta, ea non est absolute firma, ut ipsum non possit auctoritate divina dissolvi, ut reapse factum est in antiquo Testamento per *libellum repudii*, dispensante Deo et etiam nunc fieri potest inter infideles, quorum alter se converterit ad fidem.

Indissolubilitas tamen Matrimonii tres patitur exceptiones, quas proponemus et primo quidem eam ,quam nonnulli negarunt; quare sit:

---

(1) *Suppl.* q. 67. a. 2.

(2) Ast, cum haec quaestio solo rationis lumine vix possit peremptorie dissolvi et theologi ipsi hac de re aliquatenus dissentiant; a peccato forsitan excusari poterint infideles, qui gravissima de causa, ut sterilitatis, perpetui morbi, adulterii etc. matrimonium dissolverint aliudque inierint.

1046. Prop. 164. **Matrimonium ab infidelibus contractum, etiamsi ab eis fuerit consummatum, divina auctoritate dissolvi potest, si alterutro coniuge ad fidem converso, alter cum eo vivere renuat, vel cohabitare non consentiat sine contumelia Creatoris.**

Est *certa,* vix enim unquam de illius veritate dubitatum est usque ad medium saec. anteactum.

Demonstr. I. *a)* Ex Apostolo (1. Cor. 7, 10 sq.), unde facultas haec appellari solet *privilegium Paulinum.* Agi vero ibi de solutione *vinculi* liquet *α)* ex eo quod converso aliquid Paulus concedit in casu, quod altera pars discedat. Haec autem concessio non est mera *separatio* a cohabitatione, quae jam per discessum alterius partis est soluta: ergo. *β)* Ex ratione addita: *Non enim subiectus est servituti* etc. Atqui esset dura servitus, si discedente parte infideli et novum Matrimonium ineunte, pars conversa deberet servare continentiam. Praeterea servitus est ea, quam v. 11 descripserat, quamque v. 27 *ligamen* vocat: ergo ipsa vinculi solutio conceditur. *γ)* Ex comparatione, quam instituit inter coniugia fidelium, de quibus absolute pronuntiat: *aut conciliari aut manere innuptam,* et inter coniugia infidelium, de quibus dicit: *quod si infidelis discedit.* — *b)* Auctoritate Rom. Pontificum Innocentii III, Gregorii XIII etc. Unde Benedictus XIV (de *syn.* l. 6. c. 4) pronunciat: « Certum est, infidelium coniugium ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso et per Apostolum (1. Cor. 7) promulgatum dissolvi. »

Praeter hanc duas alias patitur in lege evangelica exceptiones indissolubilitas Matrimonii, quas sequens complectitur

1047. Prop. 165. **Matrimonium christianum, quod ratum solummodo est, dissolvi potest *α)* per solemnem alterius coniugis professionem in religione approbata, et *β)* per Pontificis dispensationem.**

Demonstr. I. p. *De fide* ex Trident. (can. 6): « Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem professionem religionis alterius coniugum non dirimi; a. s. » Colligitur *a)* ex pluribus factis sanctorum, qui prima nocte nuptiarum coniugem deseruerunt, ut se penitus Deo con-

secrarent, quam agendi rationem Ecclesia laudavit et commendavit. *b*) Ex Pontificiis declarationibus e. g. Alexandri III, Innocentii III. *c*) Ex ratione theologica a s. Thoma assignata: « quod ante carnalem copulam est inter coniuges tantum spirituale vinculum, sed post est inter eos etiam vinculum carnale; et ideo sicut post carnalem copulam Matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis (i. e. per professionem religiosam), ante carnalem copulam solvitur; quia religio est mors quaedam spiritualis, qua aliquis saeculo moriens vivit Deo » (1).

1048. Demonstr. II. p. Est sententia *communis* et *certa*, cujus rationes ita indicat Benedictus XIV (2): « Cessat quoque indissolubilitas Matrimonii rati in aliis omnibus casibus extra professionem religiosam, in quibus summus Pontifex justis et gravissimis de causis censet ejus dissolutioni esse locum. Ita suadente Tridentino, ita exposcente observantia, ita demum convincente continuata plurium saeculorum praxi sedis Apostolicae, ex quibus interpretatio juris optime colligi potest. »

1049. Scholion. Matrimonium ratum et consummatum solvi potest *imperfecte*, nempe quoad *thorum* variis de causis, ut definivit Tridentinum (sess. 24 can. 8): « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; a. s. » Quae causae innuente ipsa s. Scriptura ad quatuor revocantur, scilicet ad *adulterium* (Matth. 5, 32); ad *apostasiam* vel *haeresim* (Tit. 3, 10; Luc. 14, 26); ad *periculum* perversionis (Matth. 18, 9); ad mutuum *consensum* (1. Cor. 7, 5).

---

(1) *In 4. dist. 27. q. a. 3. ad 2.*
Si quaeris circa *ius*, quo Matrimonium ratum per solemnem Religionis professionem dirimitur, *triplex* datur sententia theologorum. Prima, quae est s. Thomae, illam dissolutionem repetit ex iure naturali; secunda, quae est Suaresii, eam repetit ex jure ecclesiastico; tertia quam Benedictus XIV propugnavit, docet, solutionem vinculi Matrimonii rati ob professionem religiosam repetendam esse ex jure divino. Duae priores sententiae magnas habent difficultates, tertia est communior et probabilior.

(2) *Quaest. can. q.* 146. n. 36.

CAPUT III.

De Impedimentis seu de Ecclesiae potestate circa Matrimonium.

1050. Prop. 166. **Ecclesia pollet potestate statuendi impedimenta dirimentia; judicandi circa causas matrimoniales, idque non solum jure proprio et originario, sed etiam exclusivo ita scilicet ut ei soli competat, nullatenus vero auctoritati civili.**

Declar. *Impedimenti* nomine venit id omne quod obstat quominus Matrimonium *valide* aut *licite* contrahatur. Si tale sit ejusmodi obstaculum, ut coniugium irritum prorsus ac nullum efficiat, dicitur *dirimens;* si vero tale sit, ut connubium illicitum tantum reddat, *impediens* nuncupatur. Cum vix ulla vigeat de impedimentis impedientibus controversia, hic de dirimentibus agitur. Haec vero aliqua sunt ab ipsa *natura,* aliqua a lege *positiva* sive divina sive ecclesiastica.

Causa matrimonialis ea intelligitur, quae respicit ipsum Matrimonii *vinculum* seu valorem, sive *antecedenter* ut sponsalia, sive *concomitanter* ut valor consensus ejusque conditiones, sive *consequenter* ut legitimatio prolis, separatio coniugum, etc.

Triplex de hac re extitit error: Protestantium, qui Matrimonium ut aliquid profani habentes plenam in illud potestatem regimini saeculari adjudicarunt; saec. XVII Marc. Ant. de Dominis et Launoyi et saec. XVIII theologorum ac canonistarum aulicorum, qui inter sacramentum et contractum realiter distinguentes Matrimonium sub ratione contractus potestati civili subiecerunt; plurium theologorum saec. XIX, qui potestatem statuendi impedimenta dirimentia *utrique* potestati ecclesiasticae et civili *ex aequo* asseruerunt. Contra hos omnes statuitur propositio.

1051. Demonstr. i. p. *Ecclesia potestate pollet statuendi impedimenta dirimentia.* — *De fide* ex Trident. (sess. 24. can. 4): « Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; a. s. »

Constat *a)* ex constanti praxi Ecclesiae. Jure merito ea tribuitur

Ecclesiae potestas, quam ipsa nullo reclamante ad minimum per duodecim saecula, nempe ab initio saec. IV usque ad saec. XVI exercuit. Atqui ita res se habet relate ad hanc potestatem: ergo. *Prob. minor.* Jam Tertullianus (1) impedimentum commemorat ex *cultus disparitate* ortum, quod certe ab ethnicorum legibus non fuerat statutum. Saec. IV conc. Eliberitanum et Neocaesariense impedimentum *affinitatis* statuerunt, de quo legibus civilibus nihil cautum fuerat; Siricius (2) impedimentum *pubblicae honestatis;* saec. V conc. Chalcedonense impedimentum *voti*; saec. VI conc. Agathense impedimentum *consanguineitatis.* Deinceps autem, h. e. a tempore s. Gregorii M., fatetur ipse de Dominis, usum statuendi impedimenta constanter in Ecclesia obtinuisse. — *b*) Ratione theologica. Ecclesiae concredita est a Christo sacramentorum administratio; ad ipsam igitur spectant ea omnia, quae necessaria vel convenientia sunt, ut sacramenta rite celebrentur. Jam vero Matrimonii sacramentum est ipse coniugalis contractus; ad ipsam ergo spectat determinare conditiones requisitas ad valide contrahendum adeoque ad conficiendum sacramentum. Et sane, si ad potestatem civilem spectat, contractus mere civiles moderari, atque etiam, si id exigat bonum commune, appositis conditionibus reddere invalidos; peterit et Ecclesia moderari contractum matrimonialem et apponere conditiones, a quibus ejus valor dependet.

Neque dicas, hac ratione immutari *substantiam* sacramentorum, quod, fatente Tridentino, Ecclesia non potest. Nam etiam post inductum impedimentum, materia et forma manent, ut antea erant, immutatae, quae consistunt in consensu efficaci. Sed hic consensus ut significet et efficiat traditionem corporum et consequenter constituat contractum legitimum, supponit personas *habiles* ad contrahendum: quocirca si hae personae non adsint, contractus matrimonialis sane non mutatur, nec mutantur materia et forma sacramenti, quod in contractu legitimo consistit, sed sempliciter contractus validus celebrari nequit, adeoque neque sacramentum Matrimonii confici. Unde hujusmodi legibus adsignantibus formam mutatur *materialiter* non *formaliter* materia et forma Sacramenti. Formaliter enim semper est *consensus*

---

(1) *De coron. mil.* c. 13. — (2) Epist. *ad Him.* c. 6. n. 7.

mutuus expressus significans et efficiens traditionem potestatis. Quemadmodum si Ecclesia efficere posset ut haec vox *corpus* non amplius significaret quod significat, sed id ab alio termino tantum significaretur, tunc Ecclesia efficeret ut non amplius vox corpus sed hic novus terminus spectaret ad formam *Eucharistiae*, mutatio tamen esset tantum materialis non formalis; significatio enim maneret eadem, quae est ratio formalis cur vox corpus spectet ad formam Eucharistiae.

1052. DEMONSTR. II. P. *Ecclesia jus quoque habet de causis matrimonialibus judicandi. — De fide* ex Trident. (can. 12): « Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; a. s., » et ex prop. 58 synodi Pistoriensis: « Propositio, quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere, quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione juri Ecclesiae, falsa, juris Ecclesiae quoad effectus e sponsalibus vi canonicarum sanctionem profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans. »

Fluit *a*) per modum corollarii ex parte antecedenti. Profecto ille habet jus cognoscendi causas vinculum Matrimonii spectantes easque decidendi, ad quem pertinet statuere conditiones, quibus servatis validus est contractus matrimonialis. Sed ex modo dictis ad Ecclesiam pertinet has statuere conditiones: ergo. — Praeterea Ecclesia jus habet decidendi controversias, quae ad sacramenta spectant eorumque validam administrationem. Sed causae matrimoniales, quae respiciunt vinculum coniugale, ad sacramentum utique spectant ejusque administrationem, nam vinculum coniugale inter christianos exsurgere nequit nisi per validum contractum matrimonialem, qui semper inter illos sacramentum est: ergo. — *b*) Confirmatur agendi ratione Christi, Apostolorum et Ecclesiae. Christus enim causam de repudio ac divortio judicavit (Matth. 5 et 19), nec eam ad magistratum politicum remisit, prout fecit, cum ageretur de haereditate (Luc. 12, 14); Paulus excommunicat Corinthium, qui habet uxorem patris sui (1. Cor. 5, sq.) et (cap. 7) ejusdem epistolae ad varias quaestiones de Matrimonio authentice respondet, legem de indissolubilitate coniugii declarat. Pro praxi Ecclesiae valent testimonia pro prima parte the-

sis citata, quibus addi potest solemne illud S. Ignatii M.: « Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia episcopi coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem » (1).

1053. Demonstr. iii. p. *Haec potestas ad Ecclesiam spectat jure proprio, originario.* — *De fide* ex censura prop. 59 Pistoriensium a Pio VI lata: « Doctrina synodi asserens, ad supremam civilem potestatem dumtaxat *originarie* spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque *dirimentia;* quod jus originarium praeterea dicitur cum *jure dispensandi* essentialiter connexum; subjungens, supposito assensu vel conniventia principum potuisse Ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii; quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; canonum 3. 4. 9. 12. sessionis 24. conc. Trid. eversiva, *haeretica* »; ex damnata prop. 69 Syllabi: « Ecclesia sequioribus saeculis impedimenta dirimentia inducere coepit non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat, » et ex Encycl. *(Arcanum div. sap.)* (1880) Leonis XIII, quae et argumenta suppeditat, quibus probatur, scil.:

a) Ex indole *sacra* Matrimonio insita: « Igitur cum Matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum, consentaneum est, ut *regatur et temperetur non principum imperio sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium.* » — *b).* Ex eo quod Matrimonium non solum res sacra est, sed etiam *sacramentum:* « Deinde consideranda sacramenti dignitas est, cujus accessione Matrimonia christianorum evasere longe nobilissima. De sacramento autem statuere et praecipere, ita *ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane, potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam* ». — *c)* Ex *historia:* « Postremo magnum pondus est, magna vis

(1) Ep. *ad Polycarp. n. 5.*

historiae qua luculenter docemur, potestatem legiferam et judiciariam, de qua loquimur, libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re, inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem, delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Judaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacite mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone! » Denique Pontifex ad diversa concilia provocat, in quibus impedimenta statuta sunt, « quae a decretis jure imperatorio sancitis longe saepe distarent. » Provocat insuper ad ipsorum imperatorum, Honorii, Theodosii junioris, Justiniani confessionem, se nihil posse circa connubiorum impedimenta.

1054. Demonstr. iv. p. *Haec potestas soli competit Ecclesiae, nec ulli principi civili.* — *a)* Sequitur ex doctrina superius exposita. Assertio adversariorum falso tota nititur supposito de reali inter contractum et sacramentum distinctione; hinc tali subruto fundamento, et ipsum corruit consectarium. E contra si ipse contractus coniugalis inter christianos est sacramentum, eo ipso principibus nulla, quod ad vinculum attinet, competit in illud potestas, cum sacramentorum administratio soli concredita fuerit Ecclesiae. — *b)* Ex constanti Ecclesiae praxi. Ecclesia nunquam hanc potestatem non sibi soli vindicavit, negavitque potestati civili. Sic conc. Trident. contra leges civiles et principum petitiones Matrimonia clandestina ante idem concilium inita sub anathematis poena valida habenda esse declaravit, idemque de Matrimoniis minorennium absque parentum consensu contractis enuntiavit. Pontifices e. g. Benedictus XIV, Pius VI, Gregorius XVI, Pius IX et Leo XIII constanter edixerunt, ex legum canonicarum executione omnem connubiis vim et robur pendere. — *c)* Ex funestissimo, quod inde consequeretur, dualismo et dissidio, ita ut idem vinculum v. g. esset validum et invalidum, etc. (1).

1055. **Corollarium.** Cum multa sint *extrinseca* connubio, quae ei accidunt et cum eo connectuntur, nimirum dos, haereditas, jura

---

(1) Cf. Aichner *Comp. jur. can.* §. 148.

successionis, legitimitas aut illegitimitas prolis in *foro civili*, admissio aut exclusio a publicis officiis et id genus alia; circa haec legislatori civili competit potestas statuendi quae ad bonum reipublicae conducere possunt. Verum etiam de his effectibus civilibus non potest, saltem de omnibus, absque debita ab Ecclesia subordinatione, quidquid libuerit, decernere.

1056. SCHOLION. Jansenistae, Febroniani, Regalistae, ut Matrimonium principum potestati subiicerent, duplex excogitarunt effugium: 1.° canones tridentinos sess. 24 plerosque omnes, nominatim 4. 5. 6. 7. 8 et 12, non esse *dogmaticos* sed *disciplinares* tantum, atque idcirco *mutabiles*; 2.° his canonibus nomine Ecclesiae intelligendos esse *principes laicos*.

Verum inane esse illud primum, seu illos canones esse dogmaticos patet *a)* ex forma ipsa: *Si quis dixerit; b)* ex ipsa definitionis materia; agitur nempe de jure Ecclesiae et de infallibilitate ejusdem in exercitio hujus juris; de eo qui haec negat, non vero de eo qui inobediens est, etc.; *c)* ex scopo concilii, qui fuit Novatorum errores exterminare; *d)* ex analogia aliarum sessionum, quarum canones sunt dogmatici, non mere disciplinares; quae ad disciplinam spectant, habentur in decretis de reformatione; *e)* ex Ecclesiae consensu illos ita interpretantis.

Alterum quoque omni destitui fundamento liquet *a)* ex obiecto canonis, quod est potestas et infallibilitas in docendo, quae utraque pertinet ad Ecclesiam regentem et docentem; *b)* ex errore, quem proscripsit concilium, Lutheri, qui Ecclesiae non principibus hanc negavit potestatem; *c)* ex facto ipso concilii, quod quaedam de Matrimonio constituit, aliquibus principibus aliter postulantibus.

TRACTATUS XIV.

DE NOVISSIMIS.

1057. Postquam Deum mundum hominesque creantem, redimentem, sanctificantem consideravimus, ipsum jam res omnes ad suos fines deducentem, in suo termine stabilientem et quasi coronidem operi suo imponentem spectare oportet. Haec divinae misericordiae et justitiae opera, quae ad hominum et mundi consummationem pertinent, vocari solent *Novissima,* quia sunt ultimi eventus sive hominibus singulis, sive universo mundo futuri. Hinc sponte dividitur tractatus in duo capita: 1.° de novissimis singulorum hominum; 2.° de novissimis mundi.

CAPUT I.

De Novissimis singulorum hominum.

1058. Novissima hominis vulgo enumerantur quatuor: *mors* et *judicium* quae sunt janua ad diversum statum et locum in altera vita, *infernus, paradisus,* cujus atrium est *purgatorium* pro iis, qui nondum perfecte mundati hac vita excedunt, quae sunt diversae mansiones animabus assignatae. Istae enim sunt omnium, qui ex hac terra peregrinantur, viatorum ultimae vicissitudines. Unde distinctis articulis disseremus: 1.° de morte et judicio, 2.° de inferno, 3.° de purgatorio, 4.° de paradiso.

ARTICULUS I.

De morte et judicio.

1059. Quae sive de morte sive de iudicio scitu necessaria et tenenda sunt, his comprehenduntur:

A) De morte.

1. *Mors in statu praesenti est poena peccati* (n. 394).

2. *Mors est universalis.* (Hebr. 9, 27): *Statutum est hominibus semel mori.* Neque excipiuntur ob hac lege *Elia* et *Henoch*, qui, ut scribit Tertullianus, morituri reservantur, ut antichristum sanguine suo extinguant. Equidem justos illos, qui erunt in fine mundi, ex verbis Pauli (1. Thess. 4, 14) graeci Patres vellent non esse morituros, sed vivos obviam Christo fore in aera sublevandos, verum semper in Ecclesia praevaluit sententia et ipsos esse morituros. Attamen haec mors non erit *status dormitionis;* sed veluti raptus quidam, ita ut statim post mortem sint resuscitandi. Hac ratione utraque conciliari poterit sententia. (1)

3. *Mors finem imponet statui viae* i. d. statui illi, in quo homo potest suam operari salutem (n. 738). (Eccl. 11, 3): *Si ceciderit lignum ad austrum aut aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit;* (Eccli. 18, 22): *Ne verearis usque ad mortem justificari:* (Jo. 9, 4): *Venit nox quando nemo potest operari.* Confirmatur eo quoque, quod secus omne vitae praesentis momentum, Ecclesiae et sacramentorum necessitas, virtutis studium pereant.

1060. *B) De judicio.*

1. *Statim post mortem sequitur judicium particulare,* quo pro meritis futura animae sors determinatur. Est contra Chiliastas docentes animas separatas usque ad diem judicii extremi in incerto relinqui. Item contra Coptos et Nestorianos, Lutherum et Calvinum qui idem fere tradunt (2).

Est *certa* et catholica veritas ex Scriptura et traditione manifestata. (Eccli. 11, 28 sq.): *Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas... In fine hominis denudatio operum illius.* Paulus (Hebr. 9, 27): *Statutum est hominibus semel mori,*

---

(1) S. Thomas *In. 1. Cor. 15, lect. 8.* — (2) Cf. etiam prop. Rosminii 23.

post hoc autem judicium, — Augustinus: « Rectissime et valde salubriter creditur, judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, quo eas oportet jam redditis corporibus judicari » (1); et Chrysostomus: « Sicut illi qui ex carceribus educuntur, una cum ipsis catenis ad judicium protrahuntur, sic omnes animae, cum hinc emigraverint variis peccatorum poenis implicatae ad terribile illud deducentur tribunal » (2). — Congruitatem ita probat S. Thomas: « Quilibet homo et est singularis quaedam persona, et est pars totius generis humani: unde et duplex ei judicium debetur: unum singulare, quod de eo fiet post mortem, quando recipiet juxta ea, quae in corpore gessit, quamvis non totaliter; quia non quoad corpus, sed quoad animam tantum. Aliud judicium debet esse de eo, secundum quod est pars totius generis humani » (in judicio universali) (3).

De *modo, loco,* temporis *puncto,* quo judicium fiet nil certi statui potest. Docent communiter theologi, judicium hoc particulare a Christo, ut homine, exerceri iuxta illud (Jo. 5, 22): *Pater omne judicium dedit Filio;* neque ideo necesse esse, ut Christus ipse per substantialem praesentiam suam ad singulos morientes veniat, vel ut anima judicanda in coelum deferatur, sed judicium fieri per quandam mentis illuminationem, qua anima in ipso mortis instanti et adhuc juxta corpus suum manens, dum opera sua, veluti in libro, legit, simul clare percipit, se judicari et salvari et damnari imperio et efficientia non solum Dei, sed et Christi hominis.

2. *Sententia judicis statim executioni mandatur.* (Eccl. 11, 28): *Facile est coram Deo, in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas;* et nulla aliunde est ratio differendae executionis (4). Quod probari potest et per partes. Sane:

---

(1) *L. 2. de anima et eius orig. n. 8.* — (2) Homil. *4. in Matth.* — (3) *Suppl. q. 88. a. 1.*

(4) « Sicut in corporibus est gravitas vel levitas, qua feruntur ad suum locum qui est finis motus ipsorum, ita etiam est in animabus meritum vel demeritum quibus perveniunt animae ad praemium vel ad poenam, quae sunt fines actionum ipsorum. Unde sicut corpus per gravitatem vel levitatem statim fertur in locum suum, nisi prohibeatur, ita animae soluto vinculo carnis, per quod in statu viae detinebantur, statim praemium consequuntur vel poenam, nisi aliquid impediat, sicut interdum impedit consecutionem praemii

a) Quod justi adhuc purgatione indigentes statim post mortem in purgatorium descendant, docet practica Ecclesiae fides, quae statim a morte pro eorundem liberatione Deum orat.

b) Quod improbi mox in infernum detrudantur, id saepius ab Ecclesia definitum fuit, v. g. ut a Benedicto XII in const. *Benedictus Deus* (a. 1336): « Definimus insuper, quod secundum Dei ordinationem animae decedentium in actuali peccato mortali *mox* post mortem suam ad inferna descendunt, ubi poenis infernalibus cruciantur, » et in conc. Florentino decreto pro unione Graecorum; et probatur parabola epulonis (Luc. 16, 20) et Patrum consensu.

c) Quod denique animae justorum perfecte purae statim ad visionem Dei beatificam admittantur, definivit Benedictus XII (l. c.): « Homines pios plene purgatos et justos ex hac vita decedentes statim assequi beatitudinem et visione Dei beatifica perfrui, » contra plures orientis haereticos, qui generatim sententiae executionem ad diem ultimi judicii differebant, tum nominatim contra Minoritas, qui tempore Joannis XXII putarunt, justorum animas admitti quidem in coelum et Christo frui in forma hominis, sed ante corporis resurrectionem non admitti ad visionem Dei.

Paulus (2. Cor. 5, 1): *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam aeternam in coelis;* et v. 6: *Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus et non per speciem): audemus autem et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore et praesentes esse ad dominum;* et (Philipp. 1, 23) testatur, se *desiderium habere dissolvi et esse cum Christo.* Mortem itaque iuxta Paulum excipit praesentia ad Dominum, esse cum Christo, cui respondet videre eum per *speciem,* sicuti praesenti peregrinationi a Domino respondet *fides.* Et sane frustra optasset mori, si

---

veniale peccatum, quod prius purgari oportet; ex quo sequitur, quod praemium differatur. Et quia locus deputatur animabus secundum congruentiam praemii vel poenae, statim ut anima absolvitur a corpore, vel in infernum immergitur, vel ad coelos avolat, nisi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri, ut prius anima purgetur » *Suppl. q. 69. a. 2.*

Deo frui non liceret, nisi post resurrectionem. (Luc. 23, 43): *Hodie mecum eris in paradiso.* — Hac certa fide et fideles ad martyrium exhortabatur s. Cyprianus: « Quanta dignitas et securitas.... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus, » et seipsos solabantur in tormentis substinendis, et ad ipsos fideles festinabant rogantes, ut cum ad Deum pervenissent, sui apud eum memores forent. Idem colligunt Patres ex Christi *descensu ad inferos*, quo iustos V. T. liberavit a carentia visionis beatificae, ex eius ad *coelum ascensione*, qua coeli ianuam aperuit, ex *discrimine*, quod statuunt, inter iustos V. et N. Testamenti, quod illi scilicet detinerentur post mortem adhuc longe a Domino, isti mox evehantur in coelum cum Christo ad fruendum eadem beatitudine. Cum tamen magis completa beatitudo futura sit, quando animae iterum unientur corporibus suis gloriosis, ideo comparate ad illam gloriam consummatam aliquando Patres beatitudinem iustorum praesentem ut incompletam repraesentant, quatenus animabus inest naturalis quidam appetitus corpus administrandi eique suam communicandi beatitudinem.

ARTICULUS II.

De Inferno.

1061. Licet *inferni* nomen usu loquendi biblico quemlibet locum sedi coelesti oppositum, adeoque etiam *purgatorium, limbum* significare possit, speciatim tamen designat locum et statum, in quo daemones et homines, qui ex hac vita lethali peccato obstricti migrant, in aeternum patiuntur.

Circa infernum duo sunt de *fide:* eius *existentia* et poenarum eiusdem *aeternitas;* priorem, praeter materialistas et incredulos universos, negarunt Sadducaei, Gnostici, et inter Protestantes rationalistae biblici; posteriorem Origenistae, nonnulli catholici tempore Augustini, quos ipse misericordes appellat, Sociniani ac Protestantes non pauci cum rationalistis. De existentia, non est cur specialem demonstratio

nem instituamus, cum argumenta, quibus aeternitas comprobatur, certe demonstrent eas poenas existere. Itaque

1062. Prop. 167. **Daemonum et hominum damnatorum poenae sunt aeternae.**

Declar. Est *de fide* ex symbolo athanasiano, ex synodo VII et V, quae referente Nicephoro (H. E. l. 17. c. 28), anathema dixit contra errorem: « Temporanea esse daemonum et impiorum hominum tormenta finemque ea tempore aliquo habitura atque impios ac daemones in priorem suum statum restitutum iri. »

Quando penas damnatorum dicimus aeternas, non ideo signacamus eas esse etiam intensione aequales, sed e contra tenemus eas esse pro criminum diversitate inaequales, uti definivit conc. Florent. in decreto unionis, et justitia divina exigit reddens *unicuique secundum opera ejus.* (Cf. Matth. 10, 15; Apoc. 18, 6).

1063. Demonstr. i. *a)* Scriptura *positive* inferni poenas vocata aeternas. (Dan. 12, 2): *Et multi, qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt, alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, ut videant semper* (hebr. in contemptum sempiternum; (2. Thessal. 1, 9): *Poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini;* (Apoc. 14, 11): *Et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum;* (Judas 13): *Quibus procella tenebrarum servata est in aeternum;* (Matth. 25, 41, 46): *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum qui paratus est diabolo et angelis eius... Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam;* « quibus verbis, inquit Augustinus, nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quod non finem habet temporis » (1). — *b)* Idem efficacius *negative* exprimit. (Gal. 5. 21): *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur;* (Marc. 9, 42): *Bonum est tibi, debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam* (2), *in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non*

---

(1) *De civ. Dei l. 21. c. 23.*

(2) *Gehennae* nomen, quo vocatur interdum infernus desumptum est a valle *Ghehinnam* prope Jerusalem sita, in qua locus excelsus erat aedificatus, cui nomen Thophat. In eo Judaei in idolatriam prolapsi immolabant filios et filias idolo Moloch, eos comburendos. Pius rex Josias (2 Reg. 23, 11) ut locum pollueret, projecit illuc cadavera, fimum, stercora, quod et deinde continuatum est, ita ut non amplius locus ille fuerit idolatriae consecratus. Imo continuus

moritur, et ignis non extinguitur. In quae verba Augustinus: « Qualiscumque poena significata sit nomine *vermis* atque *ignis* certe si non morietur nec extinguetur, sine fine praedicata est » (1). — *c)* Poenae habent *eandem durationem* ac gaudia, quae certe proprio sensu aeterna sunt. « Christus, ait Augustinus, in uno eodemque loco, in una eademque sententia dicit: *Ibunt isti in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi, par pari enim relata sunt. Hinc *supplicium aeternum,* inde *vita aeterna.* Dicere autem, in hoc uno eodemque sensu vita aeterna *sine fine* erit, supplicium aeternum *finem habebit,* multum absurdum est » (2). Eadem comparatio ad praemium aeternum instituitur in verbis Christi (Jo. 3, 36): *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum,* in quibus attendi debet etiam per se locutio illa indefinita: *non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

1064. II. Nec diversa est hac de re Patrum et Ecclesiae sententia (3). Speciminis gratia Cyprianus: « Cremabit addictos ardens semper gehenna, et vivacibus flammis vorax poena; nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem. Erit tunc sine fructu poenitentiae dolor poenae inanis ploratio, et inefficax deprecatio. In aeternam poenam sero credent, qui in vitam aeternam credere noluerunt. Quando istinc excessum fuerit, nullus jam poenitentiae locus, nullus satisfactionis effectus » (4). Idipsum confirmant martyrum testimonia, qui, ut ex eorum actis constat, propterea etiam tam fortiter tormenta tulerunt *temporalia,* ne inciderent in aeterna (5). Hinc sponte sequitur, ex inferno non esse redemptionem neque per *poenitentiam* damnatorum, quae in statu illo immutabili impossibilis est, neque per aliorum *orationes,* neque per *destructionem* impiorum, unde Patres hanc mortem aeternam vocant *mortem sine morte.*

---

ibi ignis fuit ad comburendum cadavera, ossa ac reliquas sordes. Unde ex horrore loci, cruciatibus, igne, locus tormentorum pro damnatis *gehenna* vocari coepit.

(1) *Ad Orosium.* 6. — (2) *De civ. Dei. l. 21. c. 23.* — (3) Cf. Petavium *de Angel. l. 3. c. 8;* Patuzzi *de futurum impiorum statu l. 3.* — (4) *L. ad. Demetr. cc. 24. 25.* — (5) Cf. Perrone *De Deo Creat. n. 806.*

1065. III. Ratione quoque suadetur. *a)* Ex natura *peccati. α)* Gravitas peccati et correspondens poena non determinatur ex *tempore* quo actus committitur, sed ex *gravitate injuriae* illatae ut videre est in ipsa societate civili. Haec est major vel minor pro majori minorive dignitate personae quae peccando offenditur; « unde majori poena punitur, ait s. Thomas, qui percutit alapha principem, quam alium quemcumque. Ille quicumque peccat mortaliter, peccat contra Deum, cujus praecepta transgreditur, et cuius honorem alii impertitur, dum in alio finem constituit: maiestas autem Dei est infinita; ergo quicumque peccat mortaliter, dignus est poena infinita » (i. d. quae fine careat) (1). — *β)* Licet peccatum realiter sit aliquid transiens; tamen virtualiter est aeternum. « Qui enim, inquit s. Thomas, in peccatum mortale labitur propria voluntate, se ponit in statu a quo erui non potest, nisi divinitus adjutus: unde ex hoc ipso quod vult peccare, consequenter vult in peccato manere perpetuo.... Vel potest dici, quod ex hoc ipso quod mortaliter peccat, finem suum in creatura constituit. Et quia ad finem vita tota ordinatur, ideo ex hoc ipso totam vitam suam ordinat ad illum peccatum, et vellet perpetuo in peccato manere, si hoc sibi esset impune » (2). Atqui maxime convenit, ut qui pro aeterno peccat, in aeternum puniatur: ergo. — *γ)* Si quis voluntarie se privat bono irreparabili, juste hoc bono in perpetuum orbatus manebit. Quicumque oculos sibi eruit, conqueri non debet, si visu in aeternum privabitur, et qui seipsum occidit, hanc vitam nunquam recuperabit. Atqui peccator se privat bono de se irreparabili, nempe vita supernaturali gratiae. Ergo aequum est, ut gratia Dei ac consequenter fruitione Dei in aeternum privetur.

b) Ex parte *Dei. α)* Si Deus poenis aeternis legis suae violationem non ulcisceretur, talemque vindictam peccatores non deberent formidare, sanctio a Deo constituta haud satis efficax foret, ut hominem semper, etiam in maximis tentationibus et summis difficultatibus, in officio contineret. Sublata poenarum aeternitate, vix efficax superesset motivum ad homines constanter sub lege Dei continendos, quemadmodum ex experientia constat. — *β)* Repugnat, Deum aliquando vinci a peccatore. Hoc

---

(1) *Suppl. q. 99. a. 1.* — (2) *Ibid. q. 99. a. 1.*

autem in hypothesi contraria accidere posset. Pone enim, damnatum in malo se obfirmare neque a blasphemando desistere. Quaero jam quid Deus facturus esset? Num ignoscere deberet huic suo inimico infensissimo ac secum in coelum collocare? An saltem illum annihilare? Atqui in utroque casu peccator gloriari contra Deum posset: tu prius a me castigando cessare debes, quam ego a te offendendo desistam. Licet naturaliter me immortalem feceris, ego te, ut me annihiles cogam. — *γ)* Sicut absoluta est oppositio inter malum et bonum, ita congruit sapientiae Dei ut illam manifestam reddat absoluta separatione sorteque in perpetuum diversa. Hoc argumentum ita urget Hieronymus contra Origenistas: « Si longos post circuitus atque infinitis saeculis omnium rerum restitutio fiet, et una dignitas militantium, quae distantia erit inter virginem et postribulum? Quae differentia erit inter matrem Domini et (quod dictu quoque scelus est), victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel et diabolus? Idem apostoli et daemones? Idem prophetae et pseudoprophetae? Idem martyres et persecutores? Finge quod libet annos, et tempora duplica, et infinitas aetates congere cruciatibus, si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est, quia non quaerimus, quid aliquando fuerimus; sed qui semper futuri simus? » (1).

c) Ex parte *status termini.* Bene consulta ratio nullam deprehendit pugnam, imo potius convenientiam, quod Deus praestituerit certum quoddam tempus, nempe praesentis vitae, quo elapso, peccatoribus nulla spes sit veniae obtinendae praesertim cum venia nonnisi per suam obtineri possit gratiam, quam nedum semper dare teneatur, sed ne vel semel quidem tenetur. Id enim consuetum est in humanis societatibus, id congruit cum eo, quod post mortem sola superstes maneat anima, et desinat homo esse ille integer, cui lex et praecepta data sunt. Atqui posita tali lege, quod morte desinat sive meriti sive poenitentiae tempus, culpa jam, in qua quis moritur, aeternum durat, adeoque et poena in aeternum durare debet.

d) Ex *analogia* societatis humanae. « Quandoque enim, ait s. Thomas, qui peccat in aliqua civitate, ex ipso peccato efficitur

(1) *In Jonae* c. 3.

dignus ut totaliter a civium consortio repellatur, vel per exilium perpetuum, vel etiam per mortem.... Et ita etiam secundum divinam justitiam aliquis ex peccato redditur dignus penitus a civitatis Dei consortio separari, quod fit per omne peccatum, quo contra caritatem peccat, quae est vinculum caritatem praedictam uniens. Et ideo pro peccato mortali, quod est contrarium caritati, aliquis in aeternum a societate sanctorum exclusus aeternae poenae addicitur.... Quod autem poena, quam civitas mundana infligit, perpetua non reputatur, hoc est per accidens, vel in quantum perpetuo homo non manet, vel in quantum ipsa civitas deficit; unde si homo in perpetuum viveret, poena exilii vel servitutis, quae per legem humanam infertur, in eo perpetuo maneret (1). » Idem argumentum proposuerat jam Augustinus: « Qui pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid morà qua occiditur, quae perbrevis est, ejus supplicium leges aestimant, et non quod eum in sempiternum auferunt de societate viventium? Quod est autem de ista civitate mortali homines supplicio primae mortis, hoc est de civitate illa immortali homines supplicio secundae mortis auferre (2). » Ex his concludere licet, poenarum aeternitatem non solum rationi non adversari, quod inde quoque patet quod fidei *dogma* est, sed ipsi bene consultae maxime congruere.

1066. Scholion I. De *qualitate poenarum.* Duplicem poenam distinguunt omnes theologi, *damni* scilicet et *sensus.* Poena *damni* correspondens aversioni a Deo quae in lethali peccato continetur, consistit in privatione visionis beatificae ac omnium bonorum, quae illam consequuntur. Hac, nullo diffitente, afficiuntur omnes damnati juxta illud: (Luc. 13, 27) *Nescio vos unde sitis: discedite a me omnes operarii iniquitatis.* — Poena *sensus* correspondens conversioni ad creaturas dicitur illa, quae *directe* malum physicum, molestiam, dolorem infligit damnatis.

Inter varias *sensus* poenas eminet quae ab *igne* oritur, de quo non mediocris est quaestio, utrum sit proprius an metaphoricus tantum ad exprimendam poenarum gravitatem vel conscientiae stimulos. Communis est theologorum et fidelium sententia, ignem illum esse *verum* et *proprium*, qua de re nulla quidem

(1) *Suppl. q. 99. a. 1.* — (2) *De civ. Dei. l. 21. c. 11.*

existit Ecclesiae definitio: temerarium tamen foret a communi recedere sententia. Cum vero dicimus ignem inferni esse *verum* et *proprium*, non propterea dicimus, eum prorsus esse eundem cum igne quo nos modo utimur: vere enim scribit s. Augustinus: « Qui ignis cujusmodi sit, hominum scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit (1). »

Fundamenta, quibus haec sententia innitur, sunt: *a)* regula generalis hermeneutica, quae praecipit, ut verba sensu litterali sumantur nisi aliquid contra rationem sequatur, vel in revelatione id indicetur. Porro neutrum in casu nostro verificatur. *b)* Frequens ejusdem vocis repetitio, quin unquam ejus vocis occurrat explicatio, et praesertim *c)* sententia judicis: si quae enim est occasio, in qua a metaphoricis locutionibus abstinendum est, ea potissimum est quum leges feruntur, sanctio statuitur, sententia dicitur, eo vel magis quod in hac sententia ignis exhibetur ut terminus, ad quem damnati discendent. *d)* Traditio exegetica Patrum, qui saepe conferunt infernalem ignem cum terreno, differentiamque inter utrumque non in eo reponunt, quod unus sit proprius, alter metaphoricus; sed in eo, quod ignis terrenus est extinguibilis, ignis inferni inextinguibilis; ille lucet, hic excoecat; ille consumit et occidit, hic minime; ille corpora, hic mirabiliter et spiritus torquet (2).

---

(1) *De civ. Dei. l. 20. c. 16.*

Quaeri potest utrum, damnatorum poena unquam mitigetur. Existimarunt aliqui Patres, hinc inde aliquam requiem dari damnatis; nunc tamen sententia est communis, in damnatis nullam esse intermissionem aut diminutionem saltem poenae essentialis. Controvertitur quoad poenam *accidentalem*, praesertim eam, quae peccatis venialibus et peccatis jam remissis debetur. Cf. s. Thomam *de Malo* q. 7. a. 10.

(2) Difficilis est quaestio, quomodo animae damnatorum ante resurrectionem et daemones igne corporeo crucientur. Multi cum s. Thoma arbitrantur daemones torqueri igne corporeo per solam alligationem ad ignem infernalem tamquam carcerem eos detenentem. Quae alligatio spiritibus superbis et libertatis suae amantissimis molestissima est. Addunt, daemones, qui in nostro aere degunt, non minus infernali igne cruciari, quam eos, qui sunt in inferno; quia sciunt et perpetuo advertunt allegationem illam sibi deberi et in aeternum passuros in inferno. Alii censent daemones torqueri per realem sui cum igne, quantum ad poenam, adhaesionem seu unionem. Sicut anima nostra, quamvis incorporea, pati potest a corpore combusto, et quasi ipsam comburente propter suam cum eo unionem; quidni daemones devinitus possunt ita uniri igni, ut ab eo patiantur et comburantur? Alii moraliter tantum, per solam apprehensionem. Optime Augustinus (l. 21 *de civ. Dei* c. 10) scribit « torqueri ab igne meris et ineffabilibus, veris tamen modis. »

1067. Scholion II. *De loco seu sede inferni.* Ecclesiae doctrina certissima est, definitum locum a Deo constitutum esse ad reproborum punitionem. Id Patres docent unanimiter, idque in ipsa Scriptura fundamentum habet, uti apparet e. g. ex parabola de Lazaro et divite Epulone.

Si autem quaeratur, ubinam sit locus ille, diversae sunt sententiae. Fert tamen communior in Ecclesia traditio, locum inferni esse subterraneum, et huc spectant non pauca Scripturae loca, uti illud (Num. 16, 31): *Dirupta est terra sub pedibus eorum.... descenderuntque viri in infernum.* Caeterum optime monet s. Chrysostomus. « Ne igitur quaeramus ubi sit (gehenna), sed quomodo eam effugiamus » (1).

1068. Scholion III. *De obstinatione reproborum.* — Obstinatio voluntatis reproborum in malo duo importat: 1.° ut nunquam possint *salutariter* agere, et semper permaneant in peccato, propter quod damnationem incurrerunt; 2.° ut nunquam habeant actum moraliter bonum, nec unquam possint carere omni actu malo. Haec obstinatio passim traditur in ss. litteris, (2) et constat ex unanimi Patrum et theologorum consensu.

1069. Scholion IV. *De aeterna conditione decedentium cum solo peccato originali.* Diximus alibi (n. 396), infantes sine baptismo

---

(1) Hom. 31 *in ep. ad Rom.*

(2) Cf. Ps. 87, 12; 113, 17; Is. 38, 18; Luc. 13, 24. 25.

Haec vero obstinatio oritur partim ex Deo, quatenus ipsis *non largitur gratias,* et partim ex eo, quod damnati in consideratione actuali sunt horum omnium et boni aeterni, quo se privaverunt; et horribilis poenae, quam patiuntur; et peccatorum propter quae patiuntur; et Dei infligentis poenam. Quumque ista sint vehementia, impellunt et cogunt intellectum ad actualem considerationem et appetitum etiam ad actus suos, quos dicemus; sicut homo, qui donum aliquod magnum sua negligentia amisit, vix potest cogitationem ab eo avertere; moveturque appetitus necessario sicut in motibus primo primis. Rursus quum illa semper durent, et cogitatio semper durat: et hoc pertinet ad aeternitatem poenae; cessaret enim tunc labor, quum inconsideratio esset. Ex hac consideratione sequitur desperatio in voluntate, et ex hac, continua impatientia; nam patientia vel minima esset levamen poenae: et rursus sequitur intestinum Dei odium, in quibus semper perseverant ob praedictam causam objecti vehementissimi et Dei deserentis. Quum vero sic habeant considerationem affixam et appetitum aversum a Deo, quidquid aliud cogitant, in illud ordinatur. Unde fit ut omnes eorum actus vitientur et fiant mali, vel quia malo fine faciunt, vel mala circumstantia. Unde etiam bona ipsa non bene faciendo, in malos actus convertunt. Vides hac obstinatione contineri et *obcoecationem.* Card. Toletus *in I. p. q. 46. a. 2.*

decedentes a visione quidem beatifica excludi, sed disputari an *sensus* poenam patiantur. Inter scholasticos et recentiores communissima evasit sententia negans, quae his nititur argumentis. *a)* (Ap. 18, 7) *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Atqui, inquit s. Thomas, parvuli non fuerunt in deliciis: ergo. — *b*) Nemo punitur poena positiva et sensibili propter habitualem carentiam virtutum vel habitualem pronitatem ad vitia, sed solum propter culpam actualem: non enim punitur a magistratibus qui caret habitu justitiae vel pronus est ad furta, sed qui reipsa furatur, quamquam hujusmodi homines ut indigni ab aliquo officio reiici possunt: at infantes carent quidem habitu justitiae et proni sunt ad concupiscendum contra rationem, minime vero actualiter propria voluntate peccarunt: ergo. — *c*) Poena proportionatur culpae; et ideo peccato actuali mortali debetur et poena damni, respondens aversioni ab incommutabili bono, et poena sensus, respondens conversioni ad bonum commutabile. Sed in peccato originali est sola aversio et non conversio: ergo. *d*) — Inter propositiones Synodi Pistoriensis damnatas a Pio VI haec est: « Doctrina quae velut fabulam Pelagianam explodit locum illum inferiorem (quem Limbi puerorum nomine fideles passim designat) in quo animae decedentium cum sola originali culpa, poena damni citra poenam ignis puniantur: perinde ac si hoc ipso quod, qui poenam ignis removent, inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani; falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa. »

Dices: In conc. Florentino definitum est: « illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedant, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendos. » — *Resp. Dist.* Haec disparitas poenarum inter baptizatos et non baptizatos consistit in gradu intensitatis *poenae sensus, neg.;* consistit in diversitate specifica poenarum, ita ut peccato actuali obstricti etiam poena sensus, peccato tantum originali sola poena damni puniantur, *conc.* Discrimen enim inter acerbitatem poenae sensus adest etiam inter eos, qui cum actualibus mortalibus decedunt, inter quos tamen nullum a concilio discrimen indicatur.

Quaenam igitur erit talis infantium conditio? Sunt, qui eos

naturali quadam beatitudine fruituros esse autument, sunt qui hoc negent. Suarez sentit: primo, habituros corpora sana, vegeta, pulchra, incorruptibilia, sine cibo et potu, sine carnis rebellione; secundo, habituros etiam varias perfectiones animarum.

ARTICULUS III.

De Purgatorio.

1070. *Purgatorii* nomine intelligitur locus seu status quidam, in quo post mortem animae, quae vel obstrictae adhuc reatu alicujus temporalis poenae vel etiam aliquibus peccatis *venialibus* ex corpore migraverunt, secundum divinae justitiae rationem cruciantur, quoad penitus ab ejusmodi peccatis expiatae beatitudinem coelestem consequi valeant.

Duo circa purgatorium sunt *de fide:* 1.° purgatorium esse, 2.° animas ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero Missae sacrificio, juvari. Reliquas quaestiones more solito adnectemus.

1071. Prop. 168. **Datur purgatorium, quo animae justae, nondum plene expiatae, reatum poenae temporalis exsolvunt: hae vero fidelium suffragiis adiuvantur.**

Declar. Est contra Aërium saec. IV, Petrobrusianos, Albigenses, Waldenses, Hussitas medio aevo; maxime vero Protestantes saec. XVI, et quidem utraque pars *de fide* ex conc. Florent. et Trident. (sess. 25), iuxta quod Ecclesia sacris litteris et antiquae Patrum traditioni innixa docuit: « Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari. » Haec duo dogmata optime coniunctim pertractantur et demonstrantur: sicut enim secundum primum supponit, ita per secundum primum confirmatur.

1072. Demonstr. i. *Facta collatione* (Judas) *duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), et quia considerabat, quod hi cum pietate dormitionem acceperant, optimam ha-*

berent repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur (2. Machab. 12, 43 sq.). Judas cunctusque populus publice eam manifestat persuasionem, quam Spiritus s. commendat, quod aliqui in altera vita possunt a *peccatis solvi* per fidelium suffragia. Sed a peccatis non solvuntur animae damnatorum in inferno, ubi nulla est redemptio; nec animae beatorum in coelis, ubi nulla potest esse culpa aut poena. Ergo solvuntur a peccatis animae, quae in quodam medio statu temporalis purgationis post mortem existunt; seu existit purgatorium. Neque obstat, quod peccatum ab iis, qui ceciderant, commissum, fuerit per se grave (v. 40); nam incertum est eos in tali peccato esse mortuos, cum potuerint in mortis articulo peccati poenitere, vel forte etiam ob ignorantiam vel levem materiam a gravi culpa excusari; et in tali persuasione fuit certe Judas et populus, cum iudicaverint eos *cum pietate dormitionem accepisse,* adeoque non cum peccato lethali obiisse. Persuasum ergo eis erat in altera vita homines *solvi* a reatu peccati venialis, vel poenae temporalis, seu existere purgatorium. — *b)* (Matth. 12, 32): *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro.* Ad quae verba Augustinus: « Neque enim veraciter diceretur, quod non eis remittatur, neque in hoc saeculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in hoc, tamen remittetur in futuro » (1). In paradisum vero nihil coinquinatum intrat, in inferno nulla peccatorum datur remissio: ergo status medius dari debet ad eluenda huiusmodi peccata. — *c)* (1. Cor. 3, 11 sq.): *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, uniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic autem quasi per ignem.* Fundamentum fidei est Jesus Christus, cui alii superaedificant aurum, argentum, la-

---

(1) *De civ. Dei* l. 21 c. 24.

pides pretiosos, proponendo scilicet doctrinas solidas et utiles; alii *ligna, foenum, stipulas,* doctrinas proponendo vanas et peregrinas, quin tamen laedant fundamentum. Jam vero quae fuerit uniuscuiusque aedificatio, in die iudicii ignis seu acris examinatio manifestabit: cuius opus omni naevo caret adeoque igne iudicii illius non laedetur, ille mercedem accipiet; cuius opus, structura ligni, foeni, stipulae arserit, cuius videlicet praedicatio severum judicii examen non sustinebit, talis detrimentum patietur, ipse tamen, cum fundamentum non laeserit, adeoque crimen grave non commiserit, salvus erit, sed tamquam per ignem; scilicet non sine aliquo dolore, quo defectus ejus expientur. Atqui id intelligi nequit de beatis, neque de reprobis: ergo intelligendum est de animabus justis in statu quodam medio purgationis existentibus, donec perfecte purgatae coelum ingrediantur. Quod autem de his dicitur peccatis venialibus, ex paritate rationis de aliis quoque intelligi debet.

1073. II. *a)* In allatam Pauli interpretationem consentiunt ss. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Anselmus, Thomas, Bonaventura et patres latini in conc. Florentino. Sufficit audivisse Ambrosium ita scribentem: « Cum Paulus dicit: *Sic tamen quasi per ignem,* ostendit quidem, illum salvum futurum, sed poenam ignis passurum ut per ignem purgatus fiat salvus, et non sicut perfidi aeterno igne torqueatur » (1). — *b)* Idem luculenter confirmat *praxis orandi* pro defunctis quae est *α) universalis* uti constat ex Augustino: « Orationibus sanctae Ecclesiae et sacrificio salutari et eleemosynis, quae pro eorum (defunctorum) spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino, quem eorum peccata meruerunt. Hoc enim a patribus traditum *universa* observat Ecclesia » (2); *β) solemnis,* cum locum satis amplum obtineat in liturgia et a conciliis inculcetur; *γ) antiquissima,* viget enim apud sectas orientis, quae jam saec. V ab Ecclesia se separarunt; attingit insuper *aetatem apostolicam,* scribente Tertulliano, quod si horum oblationum pro defunctis « legem expostulas Scripturarum, nullam invenies, traditio tibi praetendetur autrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix » (3), imo, si

---

(1) *Serm. 20 in Ps. 118.* — (2) *Serm. 172 n. 2.* — (3) *De coron. milit.* c. 4.

Patribus credimus, ab *ipsis Apostolis* est. « Sacrificium, inquit Isidorus Hispal., pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro iis orare, quia per *totum orbem* hoc custoditur, credimus, quod ab *ipsis Apostolis* traditum sit. Hoc enim *ubique* catholica tenet Ecclesia, quae nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel sacrificium Deo offerret » (1). Porro hujusmodi orationes, teste Augustino, Ecclesia neque pro beatis neque pro damnatis persolvit, sed pro illis animabus justis aliqua adhuc indigis purgatione. « Si sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro *valde bonis gratiarum actiones* sunt, pro *non valde bonis propitiationes* sunt, pro *valde malis* etsi *nulla* sint *adiumenta* mortuorum, qualescumque consolationes vivorum sunt » (2). Credidit ergo semper et ubique Ecclesia existere purgatorium.

1074. III. Quum nihil inquinatum coelum ingredi possit, et contingat aliquos peccatis venialibus vel aliqua poena temporali, quae, remissa culpa, saepe luenda superest, obnoxios ex hac vita decedere, cumque hos damnare impium sit, debet esse aliquis locus, in quo istae animae mundentur et omne solvant debitum, i. e. dari debet purgatorium. — Doctrina de purgatorio manifestat Dei justitiam et sanctitatem, paradisi gloriam, fovet poenitentiae spiritum, solatur in mortis articulo peccatores poenitentes, deterret a peccatis venialibus, quae alioquin carerent sanctione, quod sanctitate Dei foret indignum, quia tunc melioris conditionis essent negligentes quam solliciti.

1075. Scholion I. *De modo quo purgantur animae.* Triplex est reatus, cujus purgatione anima indigere potest: peccatum veniale, poenae ob culpam sive mortalem sive venialem dimissam adhuc residuae, et pravi habitus.

Peccata venialia a quibus anima non semper purgatur in ipsa morte, quae aliquando poenitentiam praevenit, remittuntur post separationem a corpore virtute gratiae, per quam anima « exit in actum caritatis detestantis veniale peccatum; » qui « dilectionis motus in eis tollit quidem impedimentum venialis cul-

---

(1) *De eccl. offic. l. c. 18. n. 11.* — (2) *Enchir. n. 110.* Cf. etiam Gregorium M. *dial. l. 4. c. 44.*

pae, non tamen meretur absolutionem, vel diminutionem poenae sicut in hac vita » (1).

Habitus pravi, prouti sunt in appetitu sensitivo, in ipsa morte simul cum corpore deponuntur, prouti existunt in voluntate, « credibile est, ait Bellarminus, omnes istos habitus tolli per primum actum contrarium animae separatae, quem statim a separatione elicit. Etsi enim hic non possit uno actu destrui habitus contractus per multos actus, tamen ibi poterit, quia actus ille multo vehementior erit, cum anima tunc sit potentior, quantum ad actus spirituales, nec habeat fomitem contrarium et resistentem, ut hic habet » (2).

Poena temporalis debita peccatis, quoad culpam et poenam aeternam jam remissis, non exsolvitur ipsa mortis amaritudine, quod est tantum privilegium martyrii, sed post mortem, et quidem non *merendo* (nullus enim est merendi locus post mortem) nec proprie *satisfaciendo* per voluntarias poenas, sed *satispatiendo*, quatenus anima poenam taxatam juxta qualitatem et quantitatem reatus plene luit, nisi suffragiis *satisfactionum* adjuvetur.

Ex his intelligitur, utrum animae in purgatorio dicendae sint in *via*, vel in *termino*. Non sunt in *termino*, quem nondum possident, disponuntur tamen ad gloriam, et sic sunt quodammodo in *via;* absolute tamen non sunt in *via* quia mereri non possunt, et hoc sensu sunt quodammodo in *termino*. Sunt ergo in statu medio, dicique possunt esse in termino *gratiae*, nondum vero in termino *gloriae*.

1076. Scholion II. De *poenis purgatorii*. Poena *damni* est visionis beatificae retardatio, quae gravissima est tum ratione *boni*, quo privantur, tum ratione *amoris*, quo in illud jam feruntur, tum ratione *cognitionis*, qua se hujus privationis causam ob nugas quasdam esse agnoscunt.

Praeter hanc certum est in purgatorio dari poenam *sensus*, quae consistit in experientia alicujus nocivi. Quod autem praecipua poena sensus sit ignis corporeus *de fide* non est, cum Graeci in Florentino aperte professi fuerint, se non ponere ignem in purgatorio, sed tantum labores et dolores, qui poenam sensus constituunt; quae doctrina neque in Florent. neque in Trident.

---

(1) Cf. s. Thomas *de Malo q. 8. a. 11.* — (2) *De purg. 1. 2. c. 9.*

damnata est; est tamen admodum *probabile* propter auctoritatem haud paucorum patrum et consensum theologorum.

Quoad poenarum *gravitatem*, id saltem tuto affirmari potest cum s. Bonaventura, maximam purgatorii poenam gravitate praecellere quamlibet hujus vitae poenam. Dubium vero est, utrum *quaelibet* purgatorii poena *omnes* excedat poenas hujus vitae. Generatim purgatorii poenae, ut ut gravissimae, multum allevientur ex Dei amicitia qua fruuntur sanctae patientes animae; ex securitate adipiscendae gloriae; demum ex ipsa voluntatis conformitate cum sanctissimo Dei beneplacito.

De *duratione* poenarum docent theologi 1.° solere aliquas animas satis longo tempore in purgatorio cruciari; 2.° nullas animas ultra diem judicii in purgatorio detentum et cruciatum iri (1).

1077. Scholion iii. De *statu animarum* in purgatorio duo certa sunt apud theologos: 1.° eas omnes de sua salute esse certas; 2.° eas peculiari Dei protectione esse impeccabiles. Nec obstat huic impeccabilitati, quod Ecclesia pro animabus purgatorii oret, ut *liberentur de poenis inferni*, ne *absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum;* solet enim liturgia ecclesiastica fidei mysteria non tam *historice* ut jam peracta, sed *dramatice* ac si modo peragantur, repraesentare, quorum fructus, ut nobis applicentur, postulamus. Sic tempore adventus dicitur: « Rorate coeli desuper ; » et in festo Ascensionis Domini: « Qui *hodie* super omnes coelos ascendisti » (cf. n. 887).

1078. Scholion iv. *De suffragiis.* Dogma fidei est, ut supra vidimus, animas purgatorii fidelium suffragiis juvari. Inter haec efficacissimum est *Missae sacrificium*, deinde *indulgentiae* iisdem applicatae, *jejunia, orationes, eleemosynae,* et quaecumque alia opera bona.

Si quaeratur pro *quibus* valeant, evidens est *de se* valere pro iis, quibus specialis fit applicatio. Dixi *de se,* quia huius applicationis fructus non est *infallibilis* ; pendet enim a misericordi

---

(1) Si quaeras de *loco* purgatorii, accipe quod dicit s. Thomas: « Probabiliter locus purgatorii est duplex: Unus secundum legem communem; et hic locus purgatorii est locus inferior, inferno conjunctus.... Alius est locus purgatorii secundum *dispensationem;* et sic quandoque in diversis locis aliqui puniti leguntur, vel ad vivorum instructionem, vel ad mortuorum subventionem, ut viventibus eorum poena innotescens per suffragia Ecclesiae mitigaretur. » *Ad calcem Suppl. a. 2. de purg.*

acceptatione divina; hinc dicuntur orationes et bona opera animabus prodesse per modum suffragii. Ex parte vero ipsius animae, pro qua offeruntur suffragia, valet illa Augustini regula: « Eis haec prosunt, qui cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt » (1).

Relate vero ad *modum,* prodesse possunt vel per *satisfactionem* applicando eis tum satisfactiones Christi et Sanctorum uti in Missae sacrificio et indulgentiis, tum valorem satisfactorium cujuslibet operis poenalis; vel per *merita cóngrua* applicando eis quaedam opera, quae per se et directe poenalia non sunt, uti est e. g. susceptio sacrae Eucharistiae: vel denique per *impetrationem,* quae maxime spectat ad orationem; licet enim oratio sit etiam opus aliquod sive satisfactorium sive meritorium, impetrationis tamen characterem sibi proprium vindicat. Generatim triplex haec ratio inest simul in quolibet pietatis opere.

Conditiones requisitae in eo, qui suffragia offert, sunt: 1.° ad *satisfaciendum* et *merendum,* ut offerens sit in *statu gratiae,* nisi agat ut Ecclesiae minister (sacrificium Missae et suffragia Ecclesiae). Verum 2.° *impetrationis* valor videtur inesse etiam orationibus privatis eorum, qui in statu peccati versantes defunctis requiem adprecantur. Ratio est, quia impetratio, qua talis, non petentis dignitate sed pura Dei misericordia innititur (2).

Angelos quoque et *sanctos* directe defunctis succurrere posse, sententia longe probabilior affirmat, innititurque precibus Ecclesiae fideliumque sensu.

1079. Scholion v. *De animarum pro nobis orationibus.* Quamvis plures theologi negent, animas purgatorii pro nobis orare posse, communior tamen sententia tenet, eas orare pro nobis, praesertim eas juvantibus. Nihil enim obstare videtur, cum nobiscum sint communione conjunctae, et nos aliorum suffragiis indigere sciant. Sic Moyses et Jeremias leguntur post mortem orasse pro populo. Probabilis quoque est sententia Bellarmini, licitum esse animas purgatorii invocare, sicut preces piorum hominum in terris viventium licet poscere: quod tamen Ecclesia publice facere non consuevit.

(1) *Enchir. n. 110.* — (2) Cf. Sala t. III. n. 218 et sq.

ARTICULUS IV.

De Coelo.

1080. Coelum est locus, ubi Deus gloriam suam manifestat et semetipsum clare ac intuitive conspiciendum praebet electis suis, qui ibidem perfecta felicitate fruuntur. Coelum non modo statum sed locum esse, apparet ex eo, quod ibi et corpora inveniri debent. Ubi autem situs sit, revelatio non docet: indicat tamen ad eum tanquam ad altitudinem ascendi. Status sanctorum in paradiso vocatur *beatitudo.*

1081. *Beatitudo,* quae etiam *summum bonum* ac ultimus finis dicitur, definitur in genere a Boëtio: *Status omnium bonorum aggregatione perfectus;* a s. Augustino: *Bonorum omnium summa et cumulus*; a s. Thoma: *Summum bonum, appetitus rationalis adaequate satiativum* (1).

Dividitur beatitudo: 1.° in *obiectivam,* quae est ipsum obiectum seu res, cujus possessione reddimur beati ; et in *subjectivam* seu *formalem* quae est ipsa hujus obiecti possessio et fruitio. Talis possessio obtineri nequit nisi per aliquam ipsius hominis operationem quae tribus potissimum actibus continetur: visionis, amoris et gaudii, quibus summum bonum, Deus, apprehenditur (2). Patet beatitudinem hanc *subiectivam* magis proprie dici beatitudinem. 2.° In *essentialem*, quae secluso quovis alio facit simpliciter beatum, et *accidentalem* seu integralem, quae est

(1) 1. 2. q. 2. a. 8.

(2) Omnes conveniunt beatitudinem tres hos actus includere; nemo enim sine gaudio est beatus, nemo vero gaudere potest nisi de possessione boni, quod amat, amari autem nequit, nisi quod cognoscitur. Attamen si instituitur quaestio in quo actu *essentia* seu ratio beatitudinis sit constituenda, tres existunt sententiae. Prima, quae est s. Thomae, tenet beatitudinem formalem *essentialiter* consistere in sola visione, actu intellectus, cetera promanare ab ipsa sed pertinere ad *perfectionem,* ita ut, si essent separabilia, haberemus *statum* beatitudinis non perfectum, sed perfectam *essentiam beatitudinis,* sicuti v. g. homo coecus esset essentialiter homo, non tamen perfectus. Altera quam proponit Suarez, docet eam consistere in visione et amore Dei, actibus intellectus et voluntatis; tertia, quam defendit Lessius, requirit etiam gaudium ad essentiam beatitudinis.

beatitudinis complementum. 3.° In *naturalem* et *supernaturalem* prouti Deus viribus naturae tantum rationeque naturae convenienti, vel gratiae auxiliis rationeque naturae exigentiam excedente attingitur (n. 358). De hac postrema nobis hic sermo est.

1082. Prop. 169. **Sancti in coelo Deum intuitive vident; hac visione perfecte constituuntur beati.**

Demonstr. i. p. Hanc partem fuse demonstratam sume ex (n. 369 et sq.)

1083. Demonstr. ii. p. *a)* Generatim coelum variis describitur nominibus, quibus magna felicitas significatur, ut v. g. *vita aeterna, tabernaculum aeternum, patria nostra, corona vincentibus destinata, paradisus Dei, haereditas, convivium coeleste, nuptiae, sessio in throno Dei, sabbatismus, regnum coelorum,* in quo sancti regnant et glorificantur et gaudent gaudio Domini (1); hujus vero possessionis et fruitionis modus dicitur esse per *intuitivam Dei visionem* (2): ergo — *b)* Speciatim vero visioni Dei adscribitur *α)* ipsum beatitudinis nomen (Matth. 5, 8): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. β)* Vita aeterna: (Jo. 17, 3): *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum. γ)* Totalis expletio appetitus (Ps. 16, 15): *Satiabor cum apparuerit gloria tua,* ad quam satietatem declarandam Scripturae (Matth. 25, 21, 23) dicunt *justos ingredi in ipsum gaudium Domini,* quod gaudium manet in ipsis *plenum,* et plenitudine constituitur *omnium bonorum domini* (Jo. 15, 11; Matth. 24, 47). *δ)* Plenitudo voluptatis (Ps. 35, 19): *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae et torrente voluptatis tuae potabis eos: quoniam apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen. ε)* Perfectio consummata intellectualis naturae (1. Jo. 3, 2): *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est;* in quo enunciatur perfecta similitudo cum Deo, quam creatura rationalis potest acquirere. Sicut autem cujusque creaturae bonitas per hoc habetur, quod Deo sub aliquo respectu assimilatur, quippe qui ipse solus est totus bonitatis principium, ita consummata creaturae perfectio, quae beatitudo dicitur, in

---

(1) 2. Cor. 5, 1 et 8; Matth. 5, 20; 1. Cor. 11, 25; Apoc. 2, 7; 1. Petr. 1, 4; Luc. 22, 30; Matth. 22, 2; Apoc. 3, 21; Hebr. 6, 9.

(2) 1. Jo. 3, 2; 1. Cor. 13, 12; Matth. 18, 10 coll. 22, 30.

perfecta assimilatione cum Deo consistet. *ζ)* Consecutio ultimi finis. Etenim regnum coelorum est supremum praemium et corona, quam Deus nobis promittit (Matth. 25, 34). Regnum autem coelorum pro eodem habetur ac Dei visio (Matth. 5. 3. 8. 10). *η)* Exclusio omnis mali et tristitiae (Apoc. 7, 16. 17): *Non esurient neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus aestus... absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: et mors ultra non erit, quia prima abierunt. ϑ)* Nominatim impeccabilitas (Apoc. 22, 3 sq.): *Et omne maledictum non erit amplius: sed sedes Dei et agni in illa erunt, et servi ejus servient ei; et videbunt faciem ejus;* et Ps. 139, 14: *Habitabunt recti cum vultu tuo.* Et re vera ex perfecta et intuitiva Dei visione oritur in beatis intensissimus Dei amor (1), qui totam animae capacitatem explet, ita ut nihil nisi Deum, aut propter Deum amare possint; quamobrem et impeccabiles sunt, quod s. Fulgentius his verbis docet: « Firmissime tene, et nullatenus dubites,... non jam posse quemlibet sanctorum in deterius commutari; quia sic acceperunt aeternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, et ea carere non possunt (2). *ϑ)* Gaudiorum aeternitas; (Jo. 10, 28): *Ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum;* (Matth. 25, 46): *Et ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam.* Porro beatitudo dicitur: *immarcescibilis gloriae corona* (1. Petr, 1, 4); *haereditas aeterna* (Hebr. 9, 15); *aeternum gloriae pondus* (2. Cor. 4, 17); *regnum aeternum* (2. Pet. 1, 11). Praeterea est de ratione *perfectae* beatitudinis, ut nunquam desinat et desinere possit (3).

1084. II. Cyrillus Alex.: « Nihil vera Dei contemplatione est pretiosius; quandoquidem nos summae beatitudinis haec facit participes » (4); Augustinus: « In visione merces tota promittitur delectationis et desiderii nostri... Visio quae est facie ad faciem summum praemium promittitur justis » (5). — Suadetur ratione. Beatitudo nihil aliud est quam summi boni i. e. Dei apprehensio et possessio: atqui Deus, utpote purus spiritus et ipsa veritas, aliter apprehendi et possideri nequit, quam per visionem et inde resultantem amorem et fruitionem: ergo.

---

(1) S. Thomas 3. q. 10. a. 2. Cf. et Becanum p. 2. tr. l. c. l. q. 9.
(2) *Lib. de Fide ad. Petr. c. 23.* — (3) l. 2. q. 5. a. 4. — (4) *L. 3. contr. Jul. n. 83.* — (5) *De Trinit.* l. l. cc. 9. 13.

1085. Scholion I. *De lumine gloriae.* Hanc visionem esse *supernaturalem* demonstravimus (n. 72 sq.) Hinc ad eam requiritur, uti contra Beguardos definitum est in conc. Viennensi, *lumen gloriae.* Etenim « cum virtus naturalis intellectus creati non sufficit ad essentiam Dei videndam, oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectivae *illuminationem* intellectus vocamus » (1). Omnes consentiunt hoc lumen esse principium quoddam *supernaturale,* intellectum confortans et complens in ratione potentiae proximae ad videndum Deum, illudque esse quid *habituale* atque *inhaerens,* et non mere *actuale* nec *extrinsecum.* Sicut lumen rationis lumine fidei perficitur, ita utrumque elevatur et completur ad videndum Deum uti est in se. In ulteriore autem explicatione non conveniunt inter se theologi (2). Lessius, paucis sed perspicuis verbis, lumen gloriae ita declarat: « Lumen istud est suprema quaedam irradiatio et participatio lucis illius, qua Deum seipsum videt, per quam intellectus ad statum divinum elevatur et fit deiforme; » deinde ejusdem munera adsignans pergit: « Primo elevat mentem ad statum divinum eamque efficit deiformem et similem Patri. Mens enim sic illustrata et elevata constituitur in actu primo et vires accipit ad productionem visionis essentiae divinae. Secundo expandit mentis capacitatem in immensum, ut sit capax immensi et illimitati boni, sicut si uter, qui per se tantum sit capax unius amphorae, ita interius extendatur et dilatetur, ut possit intra se complecti totum Oceanum.... Tertio mentem sic elevatam et expansam determinat et rapit in visionem, eam eminenti modo juvando et simul concurrendo ad illius visionis productionem; et simul essentia divina intime praesens intellectui concurrit instar sigilli ad eam visionem formandam et sibi assimilandam » (3). His consonant verba Catechismi Romani:

---

(1). 1. q. 12. a. 5.

(2) Juxta Thomassinum lumen gloriae est Spiritus s. hypostasis, beatorum mentem intime illustrans, et juxta Petavium (*de Deo* l. 7. c. 8) Deus ipse animae beatae conjunctus. Communior autem inter theologos est sententia Thomistarum, quae tenet, lumen gloriae esse habitum supernaturalem, qui permanenter inhaeret beatorum intellectui, illumque elevat ac roborat ad Dei visionem eliciendam. — Ceterum quoniam totus status gloriae respondet statui gratiae in hac vita cf. etiam quae de hoc diximus n. 705.

(3) *De summo Bono* l. 2. c. 8 n. 44 et 52.

« Qui illo (Deo) fruuntur, quamvis propriam substantiam retineant, admirabilem tamen quamdam et prope divinam formam induunt, ut dii potius quam homines videantur. Una illa ratio divinae substantiae cognoscendae relinquitur, ut ea se nobis conjungat, et incredibili modo intelligentiam nostram altius extollat, atque ita idonei ad ejus naturae speciem contemplandam reddamur. Id vero lumine gloriae assequemur, cum eo splendore illustrati Deum verum in ejus lumine videbimus » (1).

1086. Scholion II. *De diversitate visionis atque beatitudinis perfectione.* Licet omnes beati Deum videant, attamen contra Jovinianum stoicorum placita secutum et Lutherum, tenendum est, et quidem ex conc. Florentino *de fide*, eos « intueri ipsum Deum Trinum et unum *pro meritorum diversitate, alium alio perfectius.* » Visio enim beatifica est merces, merces vero reddi debet *unicuique secundum opera ejus* (Matth. 16, 27). Unde etiam Dominus ait: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* (Jo. 14, 2). Quam diversitatem s. Thomas explicat ex eo, quod « intellectus plus participans de lumine gloriae perfectius Deum videbit. Plus autem, prosequitur s. Doctor, partecipabit de lumine gloriae, qui plus habet de caritate, quia ubi est major caritas, ibi est majus desiderium, et desiderium quodammodo facit desiderantem aptum et paratum ad susceptionem desiderati. Unde qui plus habet de caritate, perfectius Deum videbit et beatior erit » (2). Hinc ex diversa caritate erit diversum desiderium beata visione satiandum, ex diverso desiderio diversa luminis virtus et capacitas ad visionem. Proinde unusquisque Deum videbit eoque fruetur pro desiderio et capacitate sua, unde nec unus alteri invidebit, quia unusquisque tantum sibi beatitatis percipiet, quantum percipere volet et poterit.

1087. Scholion III. *De objecto visionis primario et secundario.* Objectum *primarium* est Deus, illumque beati videntes intuitive vident omnia in Deo formaliter existentia. Hinc beati vident omnes Dei perfectiones et divinas personas. Verum, licet totus Deus prouti est in se videatur, non tamen potest *comprehendi* (n. 66); itemque licet totus ab omnibus videatur, attamen *diversa intensitate* visionis a diversis videtur. — Objectum *secun-*

---

(1) P. 1. a. 12. n. 8. 9. — (2) 1. q. 12. a. 6.

darium sunt creaturae, quas beati in Deo vident. Hinc eorum omnium, quae Deus facit vel facere potest, tanto aliquis plura cognoscit, quanto perfectius Deum vident. Quia vero nemo Deum *comprehendit*, ideo nemo *omnia possibilia* videre potest; attamen omnes beati cognoscunt omnia singularia, quae ad ipsos spectant, qualia sunt ea quae ad beatos pertinebant, cum in terris degerent, et preces, quae ad eos diriguntur.

1088. Scholion IV. *De beatitudine accidentali et aureola.* Praeter beatitudinem essentialem admittenda est in coelo etiam beatitudo *accidentalis*, quae maxime reponenda est in cognitione et amore humanitatis Christi, B. Virginis, et in angelorum atque sanctorum societate (1). Huc etiam referunt theologi *aureolam* quae est « quoddam privilegiatum praemium privilegiatae victoriae respondens » (2). Hoc gaudium post resurrectionem etiam in corpus speciali fulgore redundabit. Pro triplici victoria de tribus praecipuis Christi nostraeque salutis hostibus, nempe *carne mundo* et *daemone* relata, tres solent statui aureolae: *virginis, martiris, doctoris* (3). De carne, ejus illecebris resistens, triumphat *virgo;* de mundo mortis contemptu *martyr;* deque daemone eum sana doctrina e fidelium cordibus expellens, *doctor.*

CAPUT II.

De novissimis mundi.

1089. Ad mundi novissima, seu ad extrema generis humani fata, quae in divinis literis dici solent *illa dies, dies Domini, dies Christi, dies Filii hominis, novissimus dies, finis, consummatio saeculi,* tria referuntur: 1.° signa praevia; 2.° resurrectio mortuorum; 3.° iudicium universale; 4.° mundi renovatio et regnum Christi aeternum. De his quatuor articulis agendum.

---

(1) Cf. Catech. Rom. p. 1. c. 13. q. 10. — (2) S. Thomas *Supplem.* 96 a. 11. cf. a. 5. — (3) *Ibid.* a. 7. et a. 12.

ARTICULUS I.

De signis adventus Christi.

1090. Signa quae Christi adventum praecedent, communiter haec recensentur: praedicatio Evangelii per universum mundum, magna populorum apostasia, reditus Henoch et Eliae, Judaeorum conversio, adventus Antichristi, perturbationes maximae in ordine physico (1). Haec omnia quamvis certo sint ventura, tamen ex modo prophetico quo praenuntiata sunt, et ex ipsa eorum natura, multa nobis circa ea remanent arcana atque obscura (2). De singulis breviter.

1. *Praedicatio Evangelii per universum mundum.* (Matth. 24, 14): *Praedicabatur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* (cf. Jo. 10, 16). Hoc signum melius negativum dixeris.

2. *Apostasia a fide.* (Luc. 18, 8): *Filius hominis veniens, inveniet, putas, fidem in terra?* et (2. Thess. 2, 3): *Nisi venerit discessio (ἀποστασία) primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius per-*

---

(1) « In illo itaque judicio vel circa illud judicium has res didicimus venturas, Eliam Thesbitem, fidem Judaeorum, Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremptionem, mundi conflagrationem ejusdemque renovationem. Quae omnia quidem ventura credendum est: sed quibus modis et quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen, eo quo a me commemorata sunt ordine, esse ventura ». Augustinus *De civ. Dei* l. 20. c. 30.

(2) De mundi duratione sapienter animadvertit Augustinus de *civ. Dei* l. 18 c. 53: « Quaeri solet: quando istud erit? Importune omnino! Si enim hoc nobis prodesset, a quo melius quam ab ipso Domino magistro interrogantibus discipulis diceretur? Non enim siluerunt inde apud eum, sed a praesente quaesierunt dicentes: *Domine si hoc tempore praesentaberis et quando regnum Israel!* At ille: *Non est*, inquit, *vestrum scire tempora, quae Pater posuit in sua potestate* (Act. 1, 6. 1).... Frustra igitur annos, qui huic saeculo remanent computare ac definire conamur cum hoc scire non esse nostrum ex ore veritatis audiamus. Recensita vero triplici de mundi fine opinione, subdit: « Coniecturis quippe utuntur humanis, non ab iis certum aliquid de Scripturae canonicae auctoritate profertur. Omnium vero de hac re calculantium digitos resolvit et quiescere jubet ille qui dixit: *Non est vestrum scire* etc. Neque diebus nostris ex signis aliquid magis concludi potest, quam Augustini aetate.

ditionis, dies Domini non veniet. Ex hoc apparet, ante consummationem fidem quidem praedicandam omnibus, non vero ab omnibus esse suscipiendam.

3. *Reditus Henoch et Eliae.* (Malach. 4, 5): *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis*, et (Apoc. 11, 3 sq.): *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducenti sexaginta.... Et cum finierint testimonium suum, bestia quae ascendit de abysso, faciet adversum eos bellum, et vincet illos, et occidet eos.* — S. Ambrosius: « Nam et bestia illa Antichristus ex abysso ascendit, ut adversus Eliam atque Henoch, qui propter testimonium Domini Jesu terris sunt redditi, praeliaretur, ut legimus in Joannis Apocalypsi (1); — Voluit autem Deus, hosce viros ex prioribus mundi aetatibus generationi novissimae praedicare, tum ut solemnior, adeoque patentior futura sit fidei praedicatio; tum etiam ut ostendatur, eundem esse omnis legis, naturae, circumcisionis et gratiae auctorem Deum: eundem esse Christum et eandem fidem quae ab initio mundi usque ad finem praedicatur.

4. *Judaeorum conversio.* (Rom. 9, 27): *Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiae salvae fient* (cf. 11, 25; Matth. 17, 11); tamen, *probabilius*, non omnes, sed maxima eorum pars, ii, nempe, de quibus Daniel (12, 1): *In tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro vitae.*

5. *Adventus Antichristi.* Hoc nomen *antichristus* dupliciter in Scriptura accipitur: *a)* sensu latiori, et significat omnes eos, qui Christum oppugnant, pseudoprophetas, haereticos, Ecclesiae persecutores, juxta illud Ioannis (1. ep. 2, 18): *Et nunc antichristi multi facti sunt; b)* sensu stricto et antonomastico, et denotat magnum illum Christi adversarium, qui in fine mundi venturus describitur. De hoc loquitur Paulus (2. Thessal. 2, 2. sq.): *Neque terreamini.... quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati (ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας), filius perditionis, qui adversatur et extollitur super omne quod dicitur Deus aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se*

---

(1) *In Ps.* 45. n. 10.

tamquam sit Deus.... Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum, cuius est adventus secundum operationem satanae, in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. (Cf. Matth. 24, 24; Daniel. 7, 20; Zach. 11, 16; Apoc. 13). Ex his locis, collatis simul Patribus (1), haec de ipso constant: *a)* Antichristus certe est venturus. *b)* Ipse erit persona singularis et determinata, non moralis, neque diabolus, natione probabiliter Judaeus. *c)* Scelestissimus in concupiscentiis foeminarum (Daniel 11, 37), homo peccati, qui cultum divinum sibi arrogabit, christianos acerbissime persequetur, innumerisque signis et prodigiis gentes seducet. *d)* Universalem politicam potestatem acquiret, adeo ut penes ipsum totius mundi imperium futurum esse haud immerito credatur; eius tamen regnum non diu durabit, quia propter electos breviabuntur dies illi. Nam *Dominus Jesus interficiet eum spiritu oris sui* (2. Thess. 2, 8; cf. Apoc. 20). Non multo post autem veniet dies judicii (Matth. 24, 23 sq.).

6. *Perturbationes maxime* in ordine physico. (Matth. 24, 29): *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo et virtutes coelorum commovebuntur;* et (Luc. 21, 25): *Et erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum; arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi.* — Huc spectat quoque juxta nonnullos *ignis conflagratio,* de qua inferius.

ARTICULUS II.

De resurrectione mortuorum.

1091. *Resurrectio* definitur: *corporis morte amissi restitutio et animae cum eodem iterata coniunctio.* Spectata causa efficiente dicitur *resuscitatio,* et est actio Dei homines mortuos omnipotenti sua virtute ad vitam revocantis. Dicitur etiam « *re-*

---

(1) Hos videsis apud Stentrup th. 152 sq.

surrectio carnis, ut distinguatur a resurrectione *spiritus,* quae in hac vita efficitur, et « ne quis, ut docet Catechismus Rom., animam simul cum corpore interiisse, utrumque vero in vitam revocari existimaret.... » nam « cum nemo nisi mortuus fuerit, ad vitam revocetur, anima proprie non dicitur resurgere » (1).

Resurrectio carnis est dogma religionis christianae fundamentale, cui tota fides, totaque spes christiana innitur. Fides: nam *si mortuorum resurrectio non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo praedicatio nostra, inanis est fides vestra* (1. Cor. 15, 13); spes: *Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras enim moriemur* (ib. 32. sq.) Ex altera parte vero « nulla in re, ut testatur Augustinus, tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixe et copiose contradicitur fidei christianae, sicut de carnis resurrectione (2).

Illam negarunt Sadducaei, Simoniani, Marcionitae aliique; impossibilem dicunt rationalistae, ignorarunt penitus gentiles. Veritatem de ea catholicam paucis expressit Tertullianus (3): « Resurget igitur caro et quidem *omnis,* et quidem *ipsa,* et quidem *integra.* » Praeter haec sunt et aliae quaestiones, quas breviter in fine exponemus.

1092. Prop. 170. **Ad Christi iudicis adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus, quae nunc gestant.**

Declar. Est *de fide* ex omnibus symbolis, praesertim ex Athanasiano: « Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, » et ex conc. Lateranensi IV: « Omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quae nunc gestant. »

Comprehendit *universalitatem* resurrectionis, tam iustorum scilicet quam impiorum, et corporum *identitatem,* adeo ut omnes idem corpus physicum resumpturi sint, quod per mortem amiserunt: quae duo strictissimo nexu iuncta et ad fidem pertinentia iisdem argumentis comprobantur.

1093. Demonstr. I. *a)* (Job 19, 25. sq.): *Scio enim quod Redem-*

(1) P. 1. c. 12. q. 2. — (2) *Serm. 2. in Ps. 88. n. 5.* — (3) *De resur. carnis* c. 63.

ptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est haec spes mea in sinu meo. Non esse hic sermonem de spe salutis et pristinae felicitatis recuperandae, ut excipiunt adversarii, sed de *corporis resurrectione*, liquet *α)* ex ipsis verbis; *β)* ex solemnitate exordii, quae tanto mysterio magis congruit (v. 23 et 24); *γ)* ex eo quod nedum talem spem in sinu repositam haberet; sed illam penitus abiecerat cf 7, 6; 17, 1; *δ)* denique Patrum auctoritate, inter quos Hieronymus: « Resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius vel cautius scripserit » (1). — Huc ex V. T. merito refertur visio Ezechielis (37, 1. sq.), quae licet proxime non agat de resurrectione carnis, sed de restitutione Israel, illam tamen manifesto supponit (cf. Is. 26, 19); praedictio Danielis (12, 2): *Multi de his* (i. e. multitudo eorum), *qui dormiunt in terrae pulvere evigilabunt: alii in vitam aeternam, alii in opprobrium, ut videant semper* (hebr. in ignominiam aeternam); firmissima Judaeorum fides, cuius testes sunt Machabei (2. Machab. 7, 9; cf. v. 14): *Tu quidem, scelestissime, in praesenti vita nos perdis; sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit*, et Marta (Jo. 11, 24): *Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.*

b) In N. T. habemus: *α)* explicitas Christi promissiones. (Jo. 6, 55): *Ego resuscitabo eum in novissimo die;* (Jo. 5, 28): *Nolite mirari hoc quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent qui bona fecerunt in*

---

(1) Epist. 53 *ad Paulin.* n. 8. — Quoad diversitatem textus hebraici, *prouti nunc legitur,* animadvertimus, 1.° Hieronymo, qui certe linguam hebraicam caluit, eam tantam non fuisse, ut dogma resurrectionis illis verbis clare expressum non agnosceret; et 2.° significationem textus hebraici cum versione Vulgatae facile conciliari etiam uti nunc est. Licet enim in hoc (v. 25) legatur *surget* (Redemptor) loco *surrecturus sum,* sensus tamen quoad rem praesentem est idem. Nam saepe Apostolus docet, resurrectionem Christi esse causam meritoriam et exemplarem resurrectionis nostrae. Hinc textus hebraicus *directe* exprimeret hanc causam, indirecte vero et per *consequentiam* resurrectionem nostram: cum Vulgata contra directe exprimeret nostram resurrectionem, *supponendo* ejus causam. Unde Glossa ordinaria, utrumque complexa, habet: « Resurrectionem quam Redemptor in se ostendit, in nobis faciet. » Cf. Patrizi dissertationem de vaticinio Jobi *(de interpret.* etc. l. 2. q. 10).

resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii. (Cf. etiam Matth. 22, 31.) — *β)* Praedicationem Apostolorum, ex quorum effatis huc spectantibus eminet illud in 1. Cor. 15, ubi Paulus, comprobata (v. 1-12) Christi resurrectione, de nostra disserit et non solum *octies* saltem testatur, *mortuos esse resurrecturos*, verum illam variis etiam rationibus confirmat, ex resurrectione nempe Christi, ex efficacia redemptionis ipsius, ex perfecta Christi de morte victoria, ex divina providentia, etc. (v. 12 — 35), et in ipsum resurrectionis *modum* inquirit (v. 35. sq.)

1094. II. Idem confirmatur luculentissima traditione christiana, quae manifesta est in symbolis omnibus, in professione martyrum, in ritu sepulturae, in epitaphiis monumentorum, in scriptis Patrum. Imo Patres, exquisitis undique analogiis rationibusque, hoc dogma illustrare illudque rectae rationi minime adversari, sed potius ei omnino congruere ostendere nituntur. Praecipuae sunt, quas deducunt: *α)* Ex *Dei omnipotentia:* « Qui ex nihilo nos fecit Deus, numquid jam existentes, et cadentes rursus excitare non poterit? » (1) — *β)* Ex *justitia Dei:* « Quam absurdum.... aliam substantiam operari, aliam mercede dispungi, ut haec quidem caro per martyria lanietur, alia vero coronetur; item e contrario haec quidem caro in spurcitiis volutetur, alia vero damnetur » (2). — *γ) Exemplo Christi:* « Sicut surrexit Dominus in corpore, quod apud nos in sacro sepulcro conditum jacuit, ita et nos in ipsis corporibus, quibus circumdamur et sepelimur, in die judicii resurrecturi sumus » (3). — *δ)* Ex *dignitate carnis:* « Templum igitur Dei, in quo inhabitat Spiritus s., et membra Christi non partecipare salutem, sed in perditionem redigi dicere, quomodo non maximae est blasphemiae? » (4). — *ε) Ex perfectione redemptionis Christi:* « Quam indignum Deo, *dimidium* hominem redigere in salutem. Pene minus facere, cum etiam saecularium principum plena semper indulgentia vindicetur. Diabolus validior in hominis injuriam intelligitur, *totum* eum elidens. Deus infirmior renunciabitur, non totum relevans. Atqui et Apostolus suggerit (Rom. 5, 20), ubi delictum abundaverit, illic gratiam abundasse » (5). — *ζ)* Ex *quotidiana*, quae cernitur in hoc

---

(1) Cyrill. Hieros. *Catech. 18.* — (2) Tertull. *de resurr. carn.* n. 56. — (3) Hieron. *ep. ad Pammach.* c. 7. — (4) Iren. *adv. haer.* l. 5. c. 6 n. 2. — (5) Tertull. l. c. c. 46, et 34.

universo, *renovatione*, qua in suasione ducem sequuntur Paulum, qui (1. Cor. 15, 36. sq.) seminis utitur exemplo, quod terrae commissum prius corrumpitur, deinde ad novam resurgit vitam. « Vide adeo, inquit Minucius Felix, quam in solatium nostri resurrectionem futuram omnis natura meditetur. Sol demergitur et nascitur, astra labuntur et redeunt; flores occidunt et reviviscunt; post senium arbusta frondescunt; semina nonnisi corrupta reviviscunt. Ita corpus in sepulcro, ut arbores in inverno, occultant vigorem ariditate mentita. Quid festinas, ut cruda adhuc hieme reviviscat et redeat? Expectandum nobis etiam corporis ver est » (1).

1095. **Corollarium** I. Resurrectio mortuorum est *universalis* et *simultanea*. Documenta enim allata nullam faciunt exceptionem, imo pleraque (cf. Jo. 5, 28. sq. conc. Later. etc.) explicite *omnes* resurrecturos esse docent; argumenta aeque valent de omnibus. — Non solum omnes, sed *eodem tempore* resurgent, quod est tenendum adversus Chiliastas, docente Paulo (1. Cor. 15, 52): *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba.... et mortui* (sine exceptione) *resurgent...., et nos immutabimur.* Unde Gennadius: « Erit resurrectio mortuorum *omnium* hominum, sed *una* et *insimul* et *semel.* Non prima justorum et secunda peccatorum, ut fabula est somniatorum, sed una omnium » (2). Ea quae obiiciuntur, ut (Ps. 1, 5): *Non resurgent impii in judicio* (3); (Ps. 113, 17): *Non mortui laudabunt te, Domine;* (1. Cor. 15, 50): *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptelam possidebit,* facile diluuntur. Primo et tertio testimonio impiis denegatur non resurrectio simpliciter, sed resurrectio *gloriosa*, altero mortui cultu publico et solemni, sicuti viventes, dicuntur non laudare Deum.

1096. **Corollarium** 2. Ex iisdem documentis colligitur *identitas* corporum resuscitandorum (cf. speciatim Job. 19, 23; symb. Athan; conc. Later. etc.). *Oportet enim corruptibile hoc induere in-*

---

(1) *In Octav.* n. 34.

S. Thomas *contra gent.* l. 4 c. 79 corporum resurrectionem tribus argumentis ratione suadet: ex conditione *non naturali* quod anima perpetuo maneat a corpore separata, ex *incompleta felicitate* animae separatae, ex divina *providentia* et *justitia* quoad praemia et poenas.

(2) *De eccl. dogm. c. 6.*

(3) In textu hebraico est: « Impii non sustinebunt se in judicio. »

corruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem (1. Cor. 15, 52). — Tertullianus: « Resurrectionis vocabulum non aliam rem vindicat, quam quae cecidit. Surgere enim potest dici, quod omnino non cecidit, quod semper retro jacuit. Resurgere autem non est nisi ejus, quod cecidit. Iterum surgere, quia cecidit, *resurgere* dicitur. *Re* enim syllaba iterationi semper adhibetur » (1).

Dices: Corpus humanum, vitae decursu, quoad totam materiam, perpetuis mutationibus, non semel renovatur; imo sunt populi immediate anthropophagi, qui carnibus hominum se nutriunt, ita ut caro quae unius fuit, jam in carnem transeat alterius ;vel saltem mediate omnes plus minus antropophagi dicendi sumus, cum cadavera resolvantur in sua principia, his nutriantur vegetabilia, quibus aluntur animalia, et per haec homines. Ergo corpus in resurrectione non poterit esse physice idem cum seipso.

Resp. Ad hanc difficultatem, quae antiquos non latuit, solvendam, haec animadvertantur: 1.° alia, quoad *identitatem,* est quaestio juris, alia facti; aliud nempe est quaerere utrum *idem corpus,* quod quis dum viveret habuit, *resuscitetur;* et aliud, quid *requiratur* vel non requiratur, ut habeatur corporis *identitas.* Prior est *de fide,* de posteriori vero, si excipias elementum formale, animam nempe, quod omnes ad identitatem omnino necessario agnoscunt, quoad cetera non una est sententia (2). — 2.° Communiter docent theologi, quod et naturales scientiae confirmant, non omnes partes materiae semper manere in corpore, sed fluere et refluere. Ex quo plane consequitur, *non totam materiam quam unusquisque habuit toto vitae suae tempore, resumendam esse in resurrectione;* secus haberentur monstra. « Illa ergo materia, inquit Suarez, quae sufficiens fuerit, ad hujusmodi corpus componendum, resumetur, et satis erit ad veram resurrectionem » (3). — 3.° Communiter etiam theologi s. Augustinum secuti docent, unumquemque resurrecturum in juvenili aetate. Ex hoc vero consequitur in iis, qui in infantia moriuntur, aliquam materiae partem esse supplendam; atque *hoc supplementum non obstare identitati corporis resurgentis* (4). — 4.° Si-

---

(1) *Cont. Marc.* l. 5. c. 9. — (2) Cf. illas penes Jungmann *De Novissimis* n. 224 et sq. — (3) *De Myster. Vitae Christi* d. 44. sect. 2. n. 8. — (4) Cf. S. Thom. *Suppl.* q. 81 a. 1.

ne speciali miraculo evenire non posse, ut duo homines in toto vitae decursu eandem omnino materiam habeant. Nullus enim est qui solis humanis carnibus nutriatur; imo pauci sunt qui aliquando eis utantur in cibum, ac deinde tot sunt rerum transmigrationes, ut naturaliter accidere non possit eandem omnino materiae partem, tam in generatione quam in nutritione et augmento a duobus hominibus participari. Quod vero mediate ex principiis, in quae cadavera resoluta sunt, accipiunt, adhuc minus est; nam herbae et plantae, ut etiam demus quod adversarii autumant, praeter nutritionem, quam ex defunctorum corporum principiis adsciscunt, alia multa in proprium alimentum convertunt; imo illorum pars minima est, quam ex cadaveribus attrahunt, quod propterea pariter dici debet de animantibus, ac de hominibus, qui tum terrae fructibus tum animantibus vescuntur. — 5.° Denique cum omnia regantur divina providentia, Dei erit, qui resurrectionem decrevit, corporum elementa, quae ad eorum identitatem absolute exiguntur, tueri et servare, itemque curare ne in alterius transeant corporis proprietatem. Ex his intelligi potest, quomodo *absque identitatis praejudicio* eadem materiae pars, ad plurium hominum corpora pertinere potuit. In resurrectione vero hic ordo, juxta s. Thomam, servabitur, ut, si aliqua materiae pars fuerit successive in pluribus hominibus, resurgat in eo, ad cujus perfectionem magis pertinebit. Quare v. g. si fuit eadem materiae particula in capite unius et deinde in pede alterius, resurget in priore. Quod si illa materiae particula secundum eundem perfectionis modum fuerit in utroque, resurget in eo, in quo primitus fuit; nam, uti advertit s. Augustinus: « ab illo quippe altero, tamquam mutuo sumpta deputanda est; quae sicut aes alienum, ei reddenda est, unde sumpta est » (1).

1097. Scholion. *De dotibus corporum gloriosorum.* — Christi resurrectio est causa *exemplaris* resurrectionis nostrae juxta illud Pauli (Phil. 3, 21): *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Quemadmodum in corpore Christi glorioso quaedam erant eximiae qualitates, ita corpora beatorum pro cujusque meritis gloria refulgebunt, nominatim vero dotibus *impassibilitatis, subtilitatis, agilitatis* et *claritatis*

(1) *De civ. Dei* l. 22. c. 20. Cf. Mazzella *de Deo Creatore* n. 1372 sq.

ornabuntur, quarum meminit Apostolus (1. Cor. 15, 42 sq.). Redundare dotes istae dicuntur ex beatitudine animae ad corpus, non quasi a beatitudine animae effective producantur in corpore; sed quatenus apte et congruenter beatitudini animae, producuntur a Deo in corpore beatae animae unito. E contra damnatorum corpora, licet physice integra, in deterius mutabuntur, iisque qualitatibus erunt praedita, quae beatorum dotibus plane sunt contrariae.

1. *Impassibilitas* ea est dos, qua excluditur omne vitium, omnisque in corporibus gloriosis defectus, et efficitur ne molesti aliquid pati, ullove dolore aut incommodo affici possint; nihil enim aut frigorum vis, aut flammae ardor, aut aquarum impetus obesse eis poterit. *Seminatur*, inquit Apostolus, *in corruptione, surget in incorruptione* (1. Cor. 15, 42). — Inter corporales vero defectus, quibus corpora gloriosa eximuntur, etiam illi merito recensentur, qui ex aetate proveniunt, dum corpus vel non ad debitam et convenientem magnitudinem excrevit, ut accidit in infantibus ac infirmis, vel, uti in senibus, virtutem et vigorem suum amisit. Communiter itaque theologi docent, etiam illos defectus in resurrectione reparari; ac plerique censent, resurrecturos esse homines in ea aetate in qua Christus mortuus est et resurrexit, et in ea statura, quae in virili aetate eorum corpori conveniebat, ita ut, quemadmodum dicit Augustinus, « suam quisque recipiat mensuram, quam vel habuit in juventute, si senex fuerit, vel fuerat habiturus, si est ante defunctus » (1). Huc a pluribus Patribus referuntur verba Apostoli (1. Ephes. 4, 13): *Donec occuramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.*

2. *Subtilitas* est illa qualitas, qua fit, ut salva corporis veritate, ipsum corpus de esse spiritale animae glorificatae participet, ejus imperio omnino subjciatur, eique serviat et ad nutum praesto sit. Haec dos ab Apostolo vocatur spiritalitas: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* (Ib. v. 44). In quae verba Augustinus: « Sicut Spiritus carni serviens non incongrue carnalis, ita caro spiritui serviens recte appellabitur spiritualis, non quia in spiritum convertetur, sed quia spiritui summa et

(1) *De civ. Dei* l. 22. c. 15.

mirabili obtemperandi facilitate subditur, omni molestiae sensu, omni corruptibilitate et tarditate detracta » (1). — Ut autem spiritui sit conveniens corpus, inter cetera requiritur, ut in motu et celeritate ei non obstet: unde opus est quadam facultate penetrandi alia corpora una cum spiritu absque ulla sui vel alterius laesione, aut figurae mutatione. Haec tamen *penetrabilitas* non est effectus *physice* proveniens a dote subtilitatis: sed *moraliter,* quatenus Deus in signum et manifestationem hujus dotis, illam concedit (2).

3. *Agilitas* illa est dos, « qua corpus, inquit Catechismus Rom. (3) ab onere, quo nunc premitur, liberabitur, facillimeque in quamlibet partem anima voluerit, ita moveri poterit, ut ea motione nihil celerius esse queat. » Motus erit quidem successivus, nec simul corpus in diversis locis erit; sed erit summa celeritas ac facilitas, ita ut ad nutum animae, quocumque ea voluerit, corpus celerrime moveatur. « Deus, inquit Augustinus, imperabit animo, animus corpori, tantaque ibi obediendi erit suavitas et facilitas, quanta vivendi regnandique felicitas » (4). Porro beati non solum propria corpora, sed etiam aliena summa celeritate et virtute movere poterunt, quod indicat Apostolus cum ait: *surget in virtute,* i. e. in magno robore et potentia.

4. *Claritas* est fulgor ex gloria animae summaque eius felicitate in corpus redundans, ita ut sit quaedam communicatio illius beatitudinis, qua anima fruitur, quemadmodum etiam anima ipsa beata efficitur, quod in eam pars divinae felicitatis derivetur. De hac claritate Salvator (Matth. 13, 43): *Justi,* inquit, *fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Ac ne quis de eo dubitaret, suae transfigurationis exemplo id demonstravit. Apostolus vero saepius agit de hac dote, quam et *gloriam* appellat. *Seminatur,* scribit, *in ignobilitate; surget in gloria.* (Ib. v. 43); et: *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae* (Phil. 3, 21). Hoc vero munere non aeque omnes perinde ac primo ornari, credendum est. Erunt quidem sanctorum corpora omnia aeque impassibilia, sed eundem splendorem non habebunt; nam ut testatur Apostolus: *Alia claritas solis, alia*

---

(1) *Ibid.* l. 13. c. 20. — (2) Cf. s. Thomam *in 4. dist.* 44. q. 2. a. 2.
(3) P. 1. c. 12. q. 11. — (4) *L. c.* l. 19. c. 27.

claritas lunae, alia claritas stellarum: stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum (1). — Ad claritatem referendae sunt etiam *cicatrices* martyrum, de quibus s. Thomas: « Cicatrices vulnerum non erunt in Sanctis, nec in Christo fuerunt in quantum important aliquem defectum; sed in quantum sunt signa constantissimae virtutis, qua passi sunt pro iustitia et fide » (2). *Aureolae* quoque quibus distincta martyrum, virginum, et doctorum merita praemiantur, quamvis proprie sint in anima, tamen et in corporibus glorificatis iuxta communem theologorum doctrinam speciali quodam decore adfuturae sunt. Fatentur tamen plerique, ignotum nobis esse, quale futurum sit hoc signum in corporibus beatorum.

1098. Scholion. *Quaestiones aliae ad corporum resurrectionem pertinentes.* — Ex hucusque disputatis consequitur, omnes resurrecturos esse corporibus integris. « Nihil, ait Augustinus, tunc vitii in corporibus existet; si aliqui plus pinguedine obesi et crassi extiterint, non totam corporis molem assument; sed quod illam habitudinem superabit, reputabitur superfluum; et e diverso, quodcumque vel morbus vel senium confecit in corpore, reparabitur per Christum virtute divina, ut si aliqui propter macrorem fuerint graciles, quia Christus non solum nobis corpus reparabit, sed quidquid per miseriam huius vitae fuerit nobis ademptum » (3). Damnatis vero ad dolorem, ignominiam et supplicium omnia corporis membra restituentur.

Relate ad functiones vitales, cessabunt illae vitae *animalis*, « quia comedere et bibere et dormire et generare ad animalem vitam pertinent, cum sint ad primam perfectionem naturae ordinata, ideo in resurrectione talia non erunt » (4); non vero illae vitae *sensitivae*, nam « beati, ait s. Thomas, utuntur sensibus ad delectationem, secundum illa, quae statui incorruptionis non repugnant. » Et sane singuli sensus summae cuiusdam atque honestissimae delectationis sunt capaces totusque homo praemio afficietur, quod ostendunt etiam omnia patrum argumenta quibus probant, decere, imo et iustum esse, ut corpus, quod tot tantaque propter Deum est passum, resurgat, ne suo careat praemio. Ani-

---

(1) Cf. Catech. Rom. l. c. — (2) *Suppl.* q. 84. a. 1. — (3) *De civ. Dei.* l. 22. c. 19-21. — (4) *Ibid.* q. 81. a. 4.

ma itaque humana, non solum in parte rationali visione et fruitione Dei beabitur; sed etiam in parte sentiente, quod fiet perceptione obiectorum sensibilium, et delectatione inde hausta. Quare e. g. visus beatitudine sibi conveniente perfundetur, ex pulcherrimorum corporum aspectu, maxime Christi Domini, et Sanctissimae eius Matris: quae pulchritudo est omnium, quae oculos rapere possint, iucundissima. Auditus suavissimo cantu recreabitur etc. Appetitus sensitivus ineffabili delectatione, a purissimis animae gaudiis profluente, inundabitur. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis eos* (Ps. 35, 9). *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!...... Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum* (Ps. 83, 1). *Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei et pars mea Deus in aeternum* (Ps. 72, 25).

Hinc intestina et humores corpus resuscitatum habebit, quum haec omnia in corpore humano pertineant ad perfectionem naturae. Sanguinem etiam in corpore resuscitato adfuturum esse, s. Thomas hoc argumento peremptorio probat. Resurrectio nostra erit conformis resurrectioni Christi. Sed in Christo resurrexit sanguis; alias nunc vinum non transubstantiaretur in sanguinem eius in sacramento altaris. Ergo et in nobis resurget sanguis, et eadem ratione alii humores (1). — Certum est etiam, quemque resurrecturum esse in *suo sexu*, vel virili vel muliebri. Nam considerata natura individui debetur diversus sexus diversis hominibus; haec etiam diversitas competit perfectioni speciei, cuius diversi gradus implentur per dictam diversitatem sexus. « Erunt tamen, inquit Augustinus, membra feminea non accomodata usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis concupiscentia, quae nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clementia (2).

---

(1) *Suppl.* q. 80. a. 3.

(2) *L. c.* l. 22. c. 17. — Generatim quoad membra, quorum post resurrectionem haud erit usus, s. Thomas advertit: « Membra possunt dupliciter considerari in comparatione ad animam, vel secundum habitudinem materiae ad formam, vel secundum habitudinem instrumenti ad agentem. Si ergo membra accipiuntur secundum primam comparationem, finis eorum non est operatio, sed magis perfectum *esse* speciei quod etiam post resurrectionem requiretur. Si autem accipiuntur secundum secundam comparationem, sic finis eorum est operatio. Nec tamen sequitur quod quando deficit operatio frustra sit in-

ARTICULUS III.

De judicio universali.

1199. Resurrectionem immediate excipit *judicium* extremum, quod etiam dicitur *universale*, quia omnes angeli et homines in illo comparebunt coram tribunali Christi, ut solemniter per Christum de universis judicium agatur. Hujus veritatem demonstrabimus et praecipua adjuncta adiiciemus.

1100. Prop. 171. **Post resurrectionem fiet judicium universale.**

Est *de fide* ex omnibus symbolis, nominatim ex Athanasiano: « Ad cujus (Christi) adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem. »

Demonstr. i. *a)* De hoc judicio sermo est in *psalmis* (95, 12; 107, 9); apud *Isaiam* (13, 9); *Joelem* (2, 1. sq.); *Sophoniam* (1, 12. 14); *Zachariam* (14, 15) et *Malachiam* (4, 1. sq.) — *b)* Clarius illud praedixit Christus, idque passim ut in parabola zizaniorum (Matth. 13, 30. 39), et praesertim ubi, parabolis propositis de decem virginibus et de talentis distributis servis, concludit extremum judicium ponendo ob oculos illis verbis: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae: et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem....* et prosequitur notissimam referens sententiam quae ab judice pronuntiabitur, sive supra electos, sive contra impios. Concludit vero: *Et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam* (Matth. 25, 31. sq.) — *c)* Apostoli, ut plurimum, ab hujus judicii denuntiatione evangelii praedicationem auspicabantur (Act. 10, 42; 17 31; 24, 25), itemque de eodem extremo judicio saepissime loquuntur in suis epistolis (2. Cor. 5, 10; 2. Petr. 2, 9; Jud. 14):

---

strumentum, quia instrumentum non solum servit ad exequendam operationem agentis, sed etiam ad ostendendam virtutem ipsius. Unde oportebit, ut virtus potentiarum animae in instrumentis corporis demonstretur, etsi nunquam in actu prodeant, ut ex hoc commendetur sapientia Dei. *Suppl.* q. 80. a. 1.

et nominatim Joannes in Apocalysi (20, 12): *Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt... et judicati sunt mortui ex his, quae scripta erant in libris secundum opera ipsorum* (1).

1101. II. Patres certatim magnum istud spectaculum extollunt et celebrant, illiusque sollicite assignant etiam rationes. Potissimae sunt: *a) Justitia divina.* Augustinus postquam dixit, quod nunc frequenter in malo sunt boni, et in bono mali, quod videtur iniustum, subdit « Cum vero ad illud Dei judicium venerimus, cujus tempus jam proprie dies judicii, et aliquando dies Domini nuncupatur, non solum quaecumque tunc judicabuntur, verum etiam quaecumque ab initio judicata, et quaecumque usque ad illud tempus adhuc judicanda sunt, apparebunt esse justissima. Ubi hoc quoque manifestabitur, quam justo judicio Dei fiat, et nunc tam multa ac pene omnia justa judicia Dei sensus mentesque mortalium lateant; cum tamen in hac re piorum fidem non lateat, justum esse quod latet » (2). — *b) Gloria Christi.* Frequenter hanc rationem tangit Augustinus conferendo humilitatem primi adventus cum gloria secundi. « Tunc, inquit, manifeste veniet inter justos et iniustos judicaturus juste, qui occulte venerat judicandus ab injustis iniuste » (3). « Oportebat ut taceret in passione, non taciturus in judicio; judicandus enim venerat, qui postea judicaturus veniret: et ideo cum magna potestate judicaturus, quia magna cum humilitate judicatus (4). — *c) Socialitas hominis,* quod argumentum ita pulchre evolvit s. Thomas: « Judicium de aliqua re mutabili perfecte dari non potest ante ejus consummationem; sicut judicium de aliqua actione, qualis sit, perfecte dari non potest, antequam sit consummata, et in se et in suis effectibus: quia multae actiones videntur esse utiles, quae ex effectibus demonstrantur nocivae. Et similiter de homine aliquo judicium perfecte dari non potest, quoad ejus vita terminetur, eo quod multipliciter potest mutari.... Sciendum tamen quod licet per mortem vita hominis temporalis terminetur secundum se, remanet tamen ex futuris secundum quid independens: uno quidem modo

---

(1) Cf. Sala t. 3 n. 244. — (2) De *civ. Dei* l. 20. c. 2. Cf. simile argumentum in Catech. Rom. P. 1. c. 8. q. 4. — (3) *Ibid.* c. 14. — (4) *In Ps. 37.*

quod adhuc vivit in memoriis hominum, in quibus quandoque contra veritatem remanet bonae famae vel malae. Alio modo, in filiis qui sunt quasi aliquid patris, secundum illud (Eccl. 30): *Mortuus est pater ejus, et quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se; et tamen multorum bonorum sunt mali filii*, et e contrario. Tertio modo, quantum ad effectum suorum operum; sicut ex deceptione Arii et aliorum seductorum, pullulat infidelitas usque ad finem mundi; et usque tunc proficit fides ex praedicatione apostolorum. Quarto modo, quantum ad corpus, quod quandoque honorifice traditur sepulturae, quandoque vero relinquitur insepultum, et tandem incineratum omnino resolvitur. Quinto modo, quantum ad ea in quibus homo suum affectum defixit, puta in quibuscumque temporalibus rebus, quorum quaedam citius finiuntur, quaedam diutius durant; omnia autem haec subduntur existimationi judicii divini. Et ideo de his omnibus perfectum et manifestum judicium haberi non potest, quamdiu hujus temporis cursus durat. Et propter hoc oportet esse finale judicium in novissimo die, in quo perfecte id quod ad unumquemque hominem pertinet quocumque modo perfecte et manifeste judicetur » (1).

1102. Scholion. *De judicii adiunctis.* — Judicii *adiuncta* praecipua sunt quatuor: majestas judicis, causae discussio, prolatio sententiae, sententiae executio.

1. *Majestas judicis.* Ad hanc pertinet: *a) Persona* judicis quae erit *Christus homo.* Constat ex symbolo, ex Scriptura passim e. g. (Jo. 5, 27): *Potestatem dedit ei etiam judicium facere, quia filius hominis est;* et (Act. 1, 11): *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* (Cf. Matth. c. 24 et 25). Quod ita explicat Suarez: « Licet illud judicium etiam sit a Patre et Spiritu sancto, ut a prima et principali causa, habente primariam auctoritatem judicandi, cujus vices gerit Christus ut homo: tamen non erit a Patre ut a persona immediate ferente judicium; hoc autem modo judicabit Filius tamquam propria persona, in qua subsistit illa humanitas, per quam judicium fit » (2). — *b) Crucis signum* apparens in coelo quod tamquam regium vexillum ante ipsum deferent angeli, totoque

(1) 3 q. 59. a. 5. — (2) *In 3.* p. q. 59. a. 1.

judicii tempore omnium conspectui elatum tenebunt. (Matth. 24, 30). — *c) Gloria,* in qua veniet (Ib. 16, 27). Gloriosam quidem ejus humanitatem videbunt omnes, divinitatem vero soli electi — *d) Comitatus* omnium angelorum (Ib. 25, 31). Assidebunt cum Christo judice, et ipsi iudicantes duodecim Apostoli; imo secundario ordine, alii quoque justi qui Christo fideliter adhaeserunt, judicii exercendi erunt participes (1).

2. *Causae discussio. a)* Causa judicii universalis est *tota vita* i. e. opera sive bona sive mala, quamvis per poenitentiam deleta (2); nec non talenta et gratiae, *totius generis humani.* Omnes homines, tam mali quam boni, ministerio angelorum, ad locum judicii deducentur (3), qui juxta communiorem sententiam est vallis Josaphat (Joel. 3, 2), non procul ab Hierosolymis. Neque excipiendi sunt parvuli, licet non subjicientur judicio discussionis. *Probabilius* quoque judicabuntur angeli, boni qui-

---

(1) Judicii participatio intelligi potest tripliciter: *comparative, interpretative,* et *formaliter. Comparative,* i. e. eo modo quo non tantum boni malos, sed etiam mali judicabunt pejores: ostendendo alios comparatione sui majori poena dignos esse; atque ita (Matth. 12) Ninivitae et Regina Austri dicuntur judicaturi et condemnaturi Judaeos. — *Interpretative,* approbando nempe judicis sententiam, eamque ut justam venerando; et ita omnes boni judicabunt ut dicitur (1. Cor. 6, 2): *An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo judicabunt?* — *Formaliter,* ut judices et assessores Christi, non tantum sententiam judicis approbantes, sed eam etiam in judicatorum notitiam ex officio deducentes. Hac ratione judicabunt Apostoli et quicumque cum Apostolis sua reliquerunt, ut Christum sequerentur, juxta verbum Domini (Matth. 19, 28): *Amen amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me in regeneratione, quum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.*

(2) Conveniunt generatim theologi cum s. Thoma contra opinionem Magistri Sententiarum, peccata etiam justorum esse manifestanda, quia hoc requiritur ad integritatem illius judicii, utque divina justitia ac gratia et misericordia clare eluceant. « Attamen, inquit, Suarez *(l. c. disp. 57. sect. 7),* sicut memoria peccatorum non efficit dolorem aut tristitiam in beatis, ita quoque eorum manifestatio pudorem aut tristitiam non infert. Non enim jam sunt capaces harum passionum. »

(3) Significatur sono tubae, uti videtur, metaphorice aliquod signum universale *evidentissimum* et *praeclarissimum* (Aug. *ep. ad Honoratum),* quo velut instrumento quodam divinae virtutis omnes mortui suscitandi sint ad vitam et convocandi ad tribunal judicis Christi, quomodo tubae sonitu solebat olim populus convocari. — Erit autem hoc signum, ut est verosimile, vehementissimus quidam sonus, angelorum ministerio per universum orbem terrarum diffusus, qui quidem ad excitandos mortuos ita valeat, quomodo valuit ad excitandum Lazarum vox illa Domini: *Lazare veni foras.*

dem judicio approbationis, mali vero condemnationis. Scilicet daemonum damnatio, dudum judicio particulari definita, ad manifestandam Dei aequitatem publico judicio declaranda est: ideo dicuntur praevaricatores angeli in *judicium reservari* (2. Pet. 2, 4). — *b) Modus* vero *discussionis* fiet ex libris, qui aperiendi dicuntur (Dan. 7, 10; Apoc. 20, 12). Hi libri sunt, ut sentit Augustinus, omnium hominum et angelorum corda, conscientia et memoria, in quibus tam jura quam facta conscripta reperientur. Qui libri *aperti* dicuntur, quatenus conscientiae patebunt omnibus, perinde atque librum apertum legentibus patent ea, quae in illo sunt. Hoc vero fiet illuminante Deo mentem uniuscuiusque tum circa propria facta, tum circa aliena. « Quaedam vis, ait Augustinus, est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul omnes et singuli judicentur » (1).

3. *Sententiae prolatio.* Postquam mentali, ut videtur, voce, bonos laudando, malos vituperando, alloquutus fuerit: *Esurivi enim*, etc; et similiter utrique, mentali voce, responderint quae leguntur (Matth. 25), atque hoc modo causa cujuscumque conclusa erit, de singulis propria et particularis sententia, uniuscujusque meritis accomodata mentali locutione feretur. Singulis hac ratione judicatis, ad consumandum et absolvendum judicium, sententia illa generalis tum pro bonis tum pro reprobis proferetur voce sensibili: *Venite benedicti*, etc; et: *Discedite a me*, etc.

4. *Sententiae executio.* Lata sententia, statim sequetur executio; nam quum judex sit omnipotens, sermo ejus est efficax. Probabiliter ignis, qui judicem comitatur summa vi irruet in damnatos. Aperto vero magno terrae hiatu, cum immenso fragore, strepitu et clamore ad infernum descendent. Christus cum omnibus electis magno triumpho redibit in coelum ubi regnabit in aeternum.

1103. Scholion ii. *De Chiliasmo.* Chiliastae sunt qui, saec. II et III regnum Christi gloriosum in terris, quasi intermedium inter praesentem mundi seu Ecclesiae militantis statum et

(1) *De civ. Dei.* l. 20. c. 14.

ipsam gloriam aeternam per mille circiter annos duraturum admittebant. Alii hoc regnum intermedium collocant inter adventum Christi et judicium universale. Asserunt nempe, mille annis ante judicium universale Christum venturum, et devictis hostibus, futuram esse eo tempore resurrectionem sanctorum, quae est *resurrectio prima,* Christumque cum sanctis resuscitatis et cum justis viventibus per mille annos gloriose regnaturum, post quos futura erit impiorum resurrectio, quae est *resurrectio secunda,* quam universale excipit judicium. Alii ponunt illud inter judicium universale et ingressum in coelum. Pro gaudiorum vero varietate, sive carnalium sive spiritualium, quibus justi in illo statu frui deberent, chiliasmus distinguitur in *crassum et subtilem.* Priorem propugnarunt Iudaei, Ebionitae, plures etiam recentiores, ut Mormones, Irvingiani; posteriorem haud pauci Patres admittebant: Papias, Iustinus, Irenaeus, Tertullianus, Lactantius; ipse Augustinus hanc opinionem « utcumque tollerabilem » dicit, ipsumque eam aliquando amplexum fuisse (1).

Chiliasmus crassus est manifeste absurdus et jam a Patribus accensetur haeresibus; Chiliasmus vero subtilis nunquam fuit quidem damnatus, sed communiter reiicitur a theologis ut *falsus* et *temerarius.* Nam ex testimoniis hucusque allatis constat, nec inter adventum Christi et judicium universale, nec inter judicium et coelum longiorem moram interponi: ergo falso prorsus fingitur regnum millenarium intermedium. Adversatur deinde Chiliasmo sensus Ecclesiae, in qua demum praevaluit et jam per saec. XIII *plane communis* facta est sententia contraria (2).

Verba vero Apoc. (20, 4): *Vixerunt et regnaverunt* (justi) *cum Christo mille annis. Caeteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima,* quibus suam opinionem fulciebant, quamquam obscura sunt, cohaerenter tamen ad dogmatum analogiam et Patrum sensum intelligi debent. Hinc sensus est: Christus in suo adventu primo, de quo angelus ibi loquitur, Satanam per mille annos, i. e. per diuturnum tempus a Scriptura nondum definitum, usque ad adventum Antichristi alligavit, non permittens illi tantam vexandorum

---

(1) *De civ. Dei* l. 20. c. 7. (2) Cf. Franzelin *de Traditione* th. 16.

hominum potestatem, quantam olim permiserat. Iusti autem his mille annis. i. e. toto tempore usque ad Antichristum, in coelis cum Christo regnabunt. — Resurrectio *prima,* de qua hic Joannes, est spiritualis illa, qua anima a morte peccati ad vitam gratiae, ac deinde gloriae, revocatur. Post illam igitur spiritualem resurrectionem futura est resurrectio corporum ut ibidem dicitur: (v. 13) *Mors et infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant,* et haec est resurrectio *secunda* (1).

ARTICULUS IV.

De mundi innovatione et Christi regno aeterno.

1104. *A) De mundi innovatione.*

Rei exploratae instar haberi debet, mundum hunc in saeculorum consummatione non destruendum sed renovandum esse. Perspicue id docet s. Petrus (2. ep. 3, 10 sq.): *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo coeli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera, exurentur. Cum igitur haec omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus et pietatibus.... Novos vero coelos et novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitat.* Et Joannes in Apocalypsi postquam de ultimo iudicio postremis v. capitis praecedentis dixerat, subdit (21, 1 sq.): *Et vidi coelum novum et terram novam. Primum enim coelum et prima terra abiit, et mare iam non est.* Nimirum abeunte et destructo praesente mundo, novus orietur mundus. His enim duobus continetur renovatio mundi.

1105. Duobus autem modis renovationem mundi concipere possumus. Primo minus proprie, si nempe in nihilum reducto mundo praesente, alius mundus Dei omnipotentia creatus in eius locum sufficiatur. Secundo proprie, si manente quoad substantiam praesente mundo, nova velut quaedam forma virtute divina in eum inducatur. Hoc altero modo mundi renovationem intelligendam

(1) Ad chiliasmum plus minusve accedit opinio eorum, qui ante secundum Christi adventum felicissimam quandam Ecclesiae conditionem admodum longam sperant futuram; iuxta Evangelium enim omnes christiani crucem baiulare, se mortificare et tentationes vincere semper tenentur.

esse, plane certum esse videtur. Apostolus enim non esse praesentibus aedhaerescendum, sed ad altiora animum tollendum, hac quoque ratione confirmat (1. Cor. 7, 31): *Praeterit enim figura huius mundi;* quasi diceret: Tota illa mundi dispositio et facies, secundum quam ad usum nobis est, caduca et fluxa est, et aliquando cessabit, alia succedente non substantia sed longe diversa mundi figura et statu. Huc spectat etiam quod scribit (Rom. 8, 19 sq.): *Expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes; et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri.* Totum universum sensibile anxie filiorum Dei glorificationem expectat, quoniam his glorificatis illud quoque gloriam consequetur, utpote non amplius hominum necessitatibus coacte deserviturum. In extremo itaque tempore, quum gloria filiorum Dei plenam suam revelationem habitura est, totum universum sensibile erit innovandum ita ut quoad substantiam plane idem sit cum eo, a quo in praesenti circumdamur. Nam non secus iuxta Apostolum est eadem creatura adhuc redimenda et postea redempta, quam idem est corpus nostrum adhuc redimendum et postea redemptum. In hunc sensum verba Scripturae intelligunt etiam Patres, eandemque doctrinam tradunt. — Confirmatur ratione quoque theologica. Praesens enim hic mundus non talis, qualis nunc est, a Deo creatus est, sed in meliori statu conditus, ad inferiorem, quem modo tenet, statum, homine peccante, devolutus est. Propter hominem creatus cum homine vinculis adeo arctis colligatus est, ut aliquid ipsius hominis esse videatur, ac ad hominem ea fere ratione referatur, qua ad animam corpus refertur. Hinc labente homine una cum ipso lapsus veluti est mundus, quatenus ipse in maledictionem incurrit, seu potius eo, quo poterat modo, maledictionis particeps effectus est, qua homo a Deo ob peccatum percussus est. Si autem talia sunt vincula inter hominem et mundum, si communis est mundo cum homine maledictio, numquid non etiam communem illi cum hoc credemus benedictionem, nonne redemptio-

nem, qua Deus hominem cumulavit, putabimus ad mundum extendendam, ut, sicut cum homine concidente concidit, ita cum homine plene reparato reparetur? (1).

1106. Si de modo quaeritur, quo haec innovatio fiet, docet Petrus (l. c.), traduntque Patres et theologi passim, igne Deum tamquam instrumento usurum esse ad illam rerum mundanarum velut purificationem et clarificationem exequendam. Mundi itaque innovationem praecedet efficietque totius mundi per ignem corporeum et proprie talem conflagratio. « Iudicatis, scribit Augustinus, his qui scripti non sunt in libro vitae, et in aeternum ignem missis, (qui ignis cuiusmodi et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte, cui spiritus divinus ostendit), tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione praeteribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Illa itaque, ut dixi, conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quae corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt; atque ipsa substantia eas qualitates habebit, quae corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus in melius innovatus apte accommodetur hominibus etiam carne in melius innovatis » (2).

---

(1) Hanc aliam specialem rationem assignat s. Thomas, qui duplici in praesenti vita creaturarum recensito ministerio, prosequitur: « Primo ergo ministerio creaturarum homo glorificatus nullo modo indigebit, cum eius corpus sit futurum omnino incurruptibile, divina virtute id faciente per animam quam immediate glorificat. Secundo etiam ministerio non indigebit homo, quantum ad cognitionem intellectivam, quia tali cognitione Deum sancti videbunt immediate per essentiam. Sed ad hanc visionem essentiae oculus carnis attingere non poterit; et ideo, ut ei etiam solatium congruens de visione divinitatis praebeatur, inspiciet divinitatem in suis effectibus corporalibus, in quibus manifesta iudicia divinae maiestatis apparebunt, et praecipue in carne Christi, et post hoc in corporibus beatorum, et deinceps in omnibus aliis corporibus. Et ideo oportebit, ut etiam alia corpora maiorem influentiam a divina bonitate suscipiant quam nunc, non tamen speciem variantem, sed addentem cuiusdam gloriae perfectionem; et haec erit mundi innovatio. Unde simul mundus innovabitur, et homo glorificabitur. » *Suppl.* q. 91. a. 1.

(2) *De civ. Dei* l. 20. c. 16.

Sunt theologi, qui defendunt, incendium mundi iudicium praecessurum esse. Hanc opinionem ita exponit s. Thomas: « Ignis finalis conflagrationis, quantum ad hoc quod judicium praecedet, aget ut instrumentum divinae justitiae, et iterum per virtutem naturalem ignis. Quantum ergo pertinet ad virtutem naturalem ipsius, similiter aget in malos et bonos qui vivi reperientur, utrorumque corpora in cinerem resolvendo. In quantum autem aget ut instrumen-

Toto itaque hoc universo beati ut convenit conditioni eorum fruentur, praesertim quatenus iudicia et effectus divinae maiestatis in ipso conspicient, atque admirabuntur, ita ut tunc maxime totius universi creati harmonia et pulchritudo ac splendor, cuius nunc vix veluti scintillam (Eccli. 42, 21) videmus, nobis manifesta futura sint ac perspicua. Unde omnes quoque universi huius innovati partes beatis non alienum quid erunt, sed veluti ipsorum proprietas. Sicut igitur cetera, ita et terra ipsis pervia erit, nec sine relatione ad eos; atque eo magis ipsis erit dilecta, eaque fruentur, quo maiora sunt opera divinae misericordiae, quae tum pro universis hominibus, tum pro singulis in hac terra fuerunt peracta.

1107. *B) De regno Christi aeterno.*

Judicatis hominibus, restauratoque universo, Christus etiam ut homo perpetuo in coelo regnabit. Hoc manifeste Scriptura docet (Dan. 7, 13. 14 et Luc. 1, 32. 33), profiteturque Ecclesia in symbolo illis verbis: *Cuius regnis non erit finis.* Placet hoc verbis illustrare s. Pauli, qui postquam (1. Cor. 15, 23) scripsit, Christum primum resurrexisse, postea vero, in eius nempe adventu secundo, resurrecturos esse, qui in eum crediderint, hunc in modum loquendo prosequitur: *Deinde finis, quum tradiderit regnum Deo et Patri, quum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem. Oportet autem (γάρ) illum regnare, donec* (1) *ponat*

---

tum divinae justitiae, diversimode aget in diversos, quantum ad sensum poenae. Mali enim per actionem ignis cruciabuntur; boni vero, in quibus nihil purgandum invenietur, omnino nullum dolorem ex igne sentient, sicut nec pueri in camino ignis (Daniel 3), quamvis eorum corpora non servabuntur integra sicut puerorum servata fuerunt; et hoc divina virtute fieri poterit, ut sine doloris cruciatu resolutionem corporum patiantur. Boni autem, in quibus aliquid purgandum reperietur, sentient cruciatum doloris ex illo igne plus vel minus, pro meritorum diversitate. Sed quantum ad actum quem post judicium ille ignis habebit, in damnatos tantum aget, quia omnes boni habebunt corpora impassibilia. » *Suppl.* q. 74. a. 8. — Haec sententia cum ea, quam amplexi sumus, aliquatenus conciliari potest. Brevissimo sane tempore hominum mors, resurrectio et immutatio, ac judicis adventus evenient. Convenienter itaque supponimus, simul ignem tum a judice vindice, tum ex terrae abyssis proventurum esse, ita ut eo involvantur reprobi qui jam resurrexerunt in interitum, quin tamen eo purgentur justi, cum jam in gloriosis corporibus resurrexerunt, et incipiat mundi conflagratio. Judicio autem finito eodem igne in infernum damnati abripientur, et mundi innovatio consummabitur.

(1) Res nota est, adverbium *donec* aliaque similia affirmare vel negare aliquid de certo quodam tempore, prae quo potissimum extare dubitatio poterat, quin aliquid de reliquo tempore affirment vel negent (cf. n. 564).

omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius.... Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi (αὐτῷ, ei) omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.

Consummato saeculo Christus *tradet Deo et Patri regnum* suum Ecclesiam sanctorum, i. e. deponet non regni et regis essentiam, quae eo continetur, quod quis subditos habeat ipsum agnoscentes regem et dominum ipsiusque voluntatem tamquam legem vitae sequentes, sed eam regendi et gubernandi functionem et modum, quem exercet regendo conservando aedificando Ecclesiam in hoc mortali stadio militantem necnon impugnando et superando adversarios nominis sui. Modus enim iste regni, ab huius essentia separabilis, Christo necessario convenit usque dum victor pedibus colla omnium inimicorum prostratorum premat. Quum Christus adeo perfecte regno suo potitus fuerit, cessabit quidem ab illa functione, quae praesentis oeconomiae propria est, minime vero a regia dignitate, quae in eo maxime consistit, quod beati omnes Christum agnoscant regem et dominum suum sub Patre, quodque voluntatem Christi suam faciant, et cum Christo et sub Christo unum ament, quaerant et velint, gloriam divinae Majestatis.

Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia; non quasi prius non fuerit subiectus, sed modo non ita apparet subiectus Patri, quia occupatur in regenda Ecclesia; tunc vero splendide et perpetuo apparebit; quia cum Patri regnum tradiderit, completo opere nostrae salutis, quod ipsi commissum erat, unum id aget ut se totum cum corpore suo mystico ad Patris gloriam referat.

Ut sit Deus omnia in omnibus. Deus principium est et finis omnium; hinc omnibus praestitutus est hic finis, ut sint manifestatio divinae Majestatis. Porro duplex distingui ejusmodi manifestatio potest, altera *obiectiva,* altera *formalis* (n. 313). Creatura irrationalis illam manifestationem obiectivam necessario prae se fert, adeoque sub hoc respectu Deus necessario, semper et perfecte est omnia in omnibus. Creatura vero rationalis praeter manifestationem illa obiectivam quam communem habet cum ceteris rebus, quatenus videlicet per suam entitatem divinarum perfectionum

repraesentativa est; qua *rationalis* insuper sibi propria ac peculiari ratione ad Deum ordinatur quatenus manifestationem quoque formalem divinarum perfectionum prae se fert, quae in solis actibus vitalibus intellectus et voluntatis reperitur, quibus fit, ut e mente finita Deus suprema veritas, et bonitas, supremusque Dominus, cui omnia vivunt, velut reluceat, ab eaque percipiatur et sentiatur (1). Hujus formalis Dei gloriae ratione habita, Deus non

---

(1) De his actibus vitalibus, quibus consummata formalis gloria Dei simulque perfecta beatitudo nostra continetur, juverit adferre, quae praeclare disputat Lessius, ex quibus penitius intelligitur etiam quomodo Deus tunc *erit omnia in omnibus.* Intellectiva potentia, inquit, lumine gloriae illustrata et adiuta, format in se vivam imaginem Divinitatis, fitque Deo similis eminentissimo modo possibili: insuper, per eandem formaliter transit et penetrat in Deum, et Deus in ipsa novo modo existit, et se ipsi cum omnibus suis bonis communicat, ut omnium dulcedine et pulchritudine perfruatur. Hoc totum fit vi visionis breatificae. Potentiae intellectivae velut socia et suppar accedit voluntas, qua anima toto impetu fertur in bonum intellectu conceptum, ut illi novo modo se uniat, nempe per amorem, et in illud veluti transformetur.

Per has duas potentias anima nostra duplici modo, eoque eminentissimo, intrat in Divinitatem, et Divinitas in illam, fitque mutua veluti penetratio et intima unio vitalis inter animam et Deum. Unde ex hac unione mutuoque contactu nascitur in anima ineffabilis quidam dulcedinis sensus seu delectatio, qua infinitam Dei dulcedinem vitaliter coniunctam veluti degustat. Sicut enim cum obiectum conveniens naturae, sensu percipitur, nascitur statim vitalis quaedam suavitas in anima ex coniunctione vitali talis obiecti, quae suavitas delectatio vocatur: ita cum summum illud obiectum delectabile perfectissimo modo percipitur intellectu, et simul amatur, ex illa praesentia et coniunctione vitali perfectissima nascitur vitalis quaedam suavitas summa et eminentissima, quae gaudium dicitur et delectatio.

Ex his patet, naturam rationalem multo sublimiori modo ad gloriam Dei ordinari, quam res caeteras. Primo, quia per suos actus ita tendit in Deum, ut ipsum immediate attingat, eique vitaliter uniatur, et particeps Divinitatis evadat. Secundo, quia repraesentatio divinarum perfectionum, quae fit per illos actus, longe est excellentior quam repraesentatio obiectiva de qua supra dictum est. Illa enim est vitalis et formalis quae per se sentitur; haec non est vitalis, nec per se sensibilis, sed obiectiva quasi imaginis mortuae. Illa naturam rationalem efficit beatam; haec nihil novi naturae confert, cum in ipsa naturae entitate consistat. In illa relucet ipsa Divinitas perfecte prout est in seipsa, quia per illam clare, et ut est in seipsa, repraesentatur menti, et ab ea percipitur et sentitur, quod in nulla imagine obiectiva fieri potest: quia impossibile est ut aliquid obiective repraesentet essentiam divinam, ut communiter theologi docent. Unde merito in tribus illis actibus suprema Dei gloria extrinseca constituitur.

Petes: Quo modo gloria Dei in amore et gaudio constituitur, cum haec non habeant vim repraesentandi, ac proinde in illis non reluceant divinae perfectiones? Respondetur, amorem et gaudium beatorum maxime ad gloriam Dei pertinere, quia continet vitalem eminentissimam commendationem et laudem

necessario, nec semper, nec perfecte est omnia in omnibus, sed tunc primum necessario, in aeternum et perfecte omnia erit in omnibus, quum, iustis in coelum receptis reprobisque sub pedibus Christi eos conculcantis subiectis, omnia una propemodum vox erunt vitalis et valide valens perque totum universum sonans: *Domine quis similis tibi? Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria in saecula saeculorum.* Tunc Christus cum omnibus electis, caput cum corpore in unum Divinitatis obsequium et gloriam per contemplationem, amorem, gaudium, laudem, gratiarum actionem incumbent; ex quo fiet, ut cum omnes in Deo quidquid sancte et iuste amare possunt et desiderare sint habituri perfectaque sint fruituri felicitate, tum maxime unus Deus in omnibus dominetur et glorificetur.

Divinitatis. Deus enim non potest magis laudari et commendari a beatis quam per summum amorem et per summum gaudium; nam per amorem aestimatur ab ipsis ut summum bonum, et omnibus praefertur, et omnia ad ipsum ordinantur: idem fit per summum de ipso gaudium. Unde hi actus natura sua repraesentant divinam excellentiam et bonitatem ut est in seipsa; non ut effectus ipsius (sicut aliae res creatae) sed ut actus vitales repraesentant conditionem obiectorum in quae tendunt, a quibus speciem suam accipiunt.

Porro, sicut in his tribus actibus summa Dei gloria, quam ipse potissimum in omnibus suis operibus intendit, sita est; ita in iisdem situm etiam est summum hominis et angeli bonum, et formalis beatitudo: nam per hos actus omnes beati spiritus supra se infinite elevati Deoque uniti, fiunt deiformes summa et eminentissima cum Deo similitudine, qua nulla maior animo concipi potest. Unde instar cuiusdam divinitatis in omnem aeternitatem fulgebunt, tamquam filii gloriae et claritatis divinae: per eosdem actus omnes se in immensum expandent, ut tanto bono quantum fas est se exaequent et coëxtendant, ut totum capere ac comprehendere possint. Non haerebunt exterius quasi in superficie, sed omnes eius profundum ingredientur, et intrabunt *in gaudium Domini sui,* alii plus alii minus, pro magnitudine luminis gloriae; quod cuique communicabitur: cui profundo immersi, seipsos et omnia creata amittent, quia omnia alia bona et gaudia ad hoc pelagus bonorum et gaudiorum instar nihili videbuntur. Nulla ipsis in hoc profundo caligo, nulla obscuritas (sicut nobis in hac vita Divinitas in caligine moratur); sed lux et serenitas immensa, quamvis eam plene comprehendere nequeant. *De perf. div.* l. 14. c. 5. n. 78 sq.

INDEX

INTRODUCTIO.

CAPUT I.

DE THEOLOGIAE NOTIONE.

CAPUT II.

DE DOGMATE SENTENTIISQUE THEOLOGICIS.

TRACTATUS I.

De Deo uno.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA.

CAPUT II.

DE DEI ESSENTIA.

CAPUT III.

DE DISTINCTIORI DIVINAE ESSENTIAE CONCEPTU, SEU DE ATTRIBUTIS

CAPUT IV.

DE SCIENTIA DEI.

CAPUT V.

DE VOLUNTATE DIVINA.

DISPUTATIO I.

DE VOLUNTATE DEI UNIVERSIM.

DISPUTATIO II.

DE VOLUNTATE DEI SALVIFICA.

TRACTATUS II.

De SS. Trinitate.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE VERITATE MYSTERII SS. TRINITATIS EX FONTIBUS REVELATIONIS DEMONSTRANDA.

CAPUT II.

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS SEU DE ALIQUO EJUSDEM MYSTERII INTELLECTU.

CAPUT III.

DE RATIONIS RELATIONE AD MYSTERIUM TRINITATIS.

TRACTATUS III.

De Deo creatore.

SECTIO I.

De rerum creatione generatim.

SECTIO II.

De homine.

CAPUT I.

DE HOMINIS ORIGINE.

CAPUT II.

CAPUT III.

DE STATU ORIGINALI PROTOPARENTUM, SEU DE ELEVATIONE NATURAE HUMANAE AD ORDINEM SUPERNATURALEM.

CAPUT IV.

DE NATURAE HUMANAE LAPSU, SEU DE PECCATO ORIGINALI

SECTIO III.

De angelis.

CAPUT I.

DE ANGELIS IN SE IPSIS.

CAPUT II.

DE RELATIONE ANGELORUM AD HOMINES.

TRACTATUS IV.

De Verbo incarnato.

SECTIO I.

De incarnatione.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

DE UTRIUSQUE NATURAE IN CHRISTO UNIONE.

CAPUT IV.

DE CONSECTARIIS UNIONIS HYPOSTATICAE.

SECTIO II.

De Redemptione.

SECTIO III.

Mariologia.

TRACTATUS V.

De gratia Christi.

PROLEGOMENA.

SECTIO I.

De gratia actuali.

CAPUT I.

CAPUT II.

DE GRATIAE ACTUALIS NECESSITATE.

CAPUT III.

DE GRATIAE EFFICACIA.

CAPUT IV.

DE GRATIAE DISTRIBUTIONE.

SECTIO II.

De gratia habituali.

CAPUT I.

DE NATURA IUSTIFICATIONIS.

CAPUT II.

CAPUT III.

SECTIO III.

De merito.

CAPUT I.

PRAENOTIONES DE MERITO.

CAPUT II.

DE VERITATE ET OBIECTO MERITI.

TRACTATUS VI.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET EXISTENTIA SACRAMENTORUM.

CAPUT II.

DE CAUSA EFFICIENTE SACRAMENTORUM.

CAPUT III.

DE EFFICACIA SACRAMENTORUM.

TRACTATUS VII.

De Baptismo.

TRACTATUS VIII.

De Confirmatione.

TRACTATUS IX.

De SS. Eucharistia.

CAPUT I.

DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

CAPUT II.

DE SACRIFICIO.

TRACTATUS X.

De Poenitentia.

CAPUT I.

CAPUT II.

DE ACTIBUS POENITENTIS.

CAPUT III.

TRACTATUS XI.

De Extrema unctione.

TRACTATUS XII.

De Ordine.

CAPUT I.

DE SACRAMENTI ORDINIS VERITATE ET GRADIBUS.

CAPUT II.

TRACTATUS XIII.

De Matrimonio.

CAPUT I.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT II.

DE MATRIMONII PROPRIETATIBUS.

CAPUT III.

TRACTATUS XIV.

De Novissimis.

CAPUT I.

DE NOVISSIMIS SINGULORUM HOMINUM.

CAPUT II.

DE NOVISSIMIS MUNDI.

pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE lege
16	2	implicite	explicite
20	19	exequturi	executuri
28	1	meminem	neminem
34	31	quam	quem
43	10	assentiae	essentiae
43	30	*τετράγματον*	*τετραγάμματον*
48	18	partecipati	participati
49	32	Pithagora	Pythagora
51	10	experietiae	experientiae
60	20	e	et
62	13	exibeat	exhibeat
67	22	spirito	spiritu
113	23	eterno	aeterno
125	28	determinat	determinet
132	12	sempliciter	simpliciter
145	14	sanctus	sancti
146	32	*ἀρκή*	*ἀρχή*
148	10	Thomas	Thoma
172	1	quae	qua
183	35	aliquid	aliquod
186	18	erba	herba
201	7	scimiam	simiam
216	15	recte	rectae
223	17	dogma	dogmate
225	21	illibentur	illabantur
226	5	juxta	justa
235	30	exhibitur	exhibetur
245	22	subiicimus	subiicimur
252	16	Demones	Daemones
258	11	Angeli	Daemones
270	15	Persona	persona
271	1	vero	verum
272	17	hoc	hos
343	8	divitus	divinitus
344	4	sacrificii	sacrificio
350	12	Deum	Deus
355	6	ea	et
357	7	superabundas	superabundans
358	25	aliscendem	ulciscendum
360	12	necessariam	necessaria

pag.	lin.	ERRATA	CORRIGE lege
366	32	*γεγόμενον*	*γενόμενον*
376	25	indenticus	identicus
378	7	civitate	civitatem
379	16	immaculatata	immaculata
379	19	et	ex
382	13	genetrix	genitrix
384	23	Mattheus	Matthaeo
399	6	coniugens	coniungens
415	6	ab	ad
454	33	coelesti	terrena
459	36	damtaxat	dumtaxat
539	10	capitist, otius	capitis, totius
551	10	gratias	gratia
561	9	n.	N.
555	36	quamquem	quemquam
565	37	dominicem	dominicam
568	7	qui	quid
572	8	quod	quoad
582	29	extrinseas	extrinsecas
598	11	*φ*	*ζ*
606	24	singuli	singulis
622	10	erga	ergo
649	13	voce	vocis
653	18	remittentur	remittuntur
663	9	premii	praemii
679	29	misteriorum	mysteriorum
684	12	tollerare	tolerare
686	1	fedei	fidei
689	8	satisfacto	satisfactio
699	25	superabundans	superabundantem
700	20	priorum	piorum
700	23	mysterium	ministerium
704	28	scuscitanti	sciscitanti
728	15	exagerata	exaggerata
728	31	qui	quae
761	10	penas	poenas
761	10	signacamus	significamus
766	16	discendent	descendent
781	18	martiris	martyris
782	10	praedicabatur	praedicabitur
789	12	antropophagi	anthropophagi

pag. 33	Jer. 32, 14	*pro* 32, 19	
,, 35	1. Cor. 11, 11	,, 1. Cor. 2, 11,	
,, 77 et 79	Eccl.	,, Eccli.	
,, 170	Eph. 11, 10	,, 2, 10	
,, 199	Gen. 1, 7	,, 2, 7	
,, 252	Matth. 16, 10	,, 18, 10	
,, 252	Jer. 7, 9	,, 17, 9	

pag. 259	Sap. 10, 15	*pro* Eccl. 10, 15
,, 260	Ap. 2, 9	,, 12, 9
,, 306	Jo. 5, 10	,, 6, 38
,, 329	Hebr. 8, 26	,, 7, 26
,, 467	Eccl. 11, 2	,, 2, 12
,, 477	Luc. 6, 48	,, 12, 48